BIBLIOTHECA
FF. PRÆDICATORUM
CONVENTUS
CIVIT. BENITIÆ
Lit. 242 a 242
Pl.

Einsidlæ, apud C. & N. Benziger, fratres.

Discite a me, quia mitis sum et humilis corde et invenietis requiem animabus vestris. (Matth. 11, 29)

DE IMITATIONE

SACRI CORDIS JESU

LIBRI QUATUOR.

AUCTORE

P. J. ARNOLDO, S. J.

Property of
COSA
Please return to
...logi
Union Library

SUPERIORIBUS APPROBANTIBUS.

EINSIDLÆ, EBORACI NOVI (New-York) et CINCINNATI 1863.

TYPIS ET SUMPTIBUS

FRATRUM CAROLI ET NICOLAI BENZIGER.

ROMÆ,
J. SPITHŒVER.

MATRITI,
M. OLAMENDI.

PARISIIS,
J. LECOFFRE ET COMP.

BRUXELLIS,
H. GOEMAERE.

Property of
COSA
Please return to
Morgan
Union Library

TESTIMONIA

EORUM, QUI DE HOC OPERE EX OFFICIO JUDICARUNT.

I.

OPINIO REVERENDISSIMI

P. Roothaan, Præpositi Generalis S. J.

excerpta ex litteris Paternitatis ejus ad auctorem missis.

„Rev. in Christo Pater. P. C.

Accepi tempore suo manuscriptum (quod appositum habet annum 1846) opus de Imitatione S. S. Cordis Jesu, quod Reverentia vestra elucubravit. Summopere mihi placuit argumentum libri, et studium Reverentiæ vestræ ad promovendum cultum tam salutarem et tantopere commendatum .... Spero fore, ut opus Reverentiæ vestræ typis edatur ad christifidelium utilitatem .... Cum mihi ob temporis angustias illud adnotare non

Arc H815

liceret, commisi uni ex N. N. P. P., cujus pietas et doctrina solida mihi apprime notæ sunt.... Neque inde putet Reverentia vestra ipsius opus minus me curaturum ac commendaturum esse....

Reverentiæ vestræ servus in Christo,

J. Roothaan."

II.

APPROBATIO CENSORUM EUROPÆORUM.

Ex epistola Admodum Rev. P. Provincialis ad auctorem data.

„Rev. Pater. P. C.

Admodum Rev. Pater S.... huc retulit librum Reverentiæ vestræ manuscriptum de Imitatione S. Cordis Jesu, mihique asseruit illum a Censoribus Europæis fuisse approbatum.... Opus occasione præsenti ad Reverentiam vestram remisi....

Reverentiæ vestræ servus in Christo,

J. B. D."

III.

CENSORUM AMERICANORUM JUDICIA.

1. „Perlegi opusculum, cui inscriptio: De Imitatione Sacri Cordis Jesu. Opus hoc mihi valde placet, videturque omnino aptum ad amorem erga S. Cor Jesu in cordibus fidelium inflammandum, ad abundantem meditationis materiam suppeditandam, nec non ad virtutis et perfectionis omnimodæ semitam monstrandam. Neque judico aliquid obstare, quominus typis mandetur, multo minus censeo in illo aliquid esse contra fidem aut bonos mores. *(Prim. Cens. Prof. Theol. mor.)*“

2. „Legi opus, cui titulus: De Imitatione Sacri Cordis Jesu libri quatuor. Ac primo quidem, placet argumentum auctoris, quod fructum copiosum legenti et meditanti præbere poterit. Dein modus, quo argumentum suum auctor prosequitur, plenus est. Demum ratio styli refert nativam simplicitatem, quæ placet. Neque video, quid in hujusmodi opusculo desiderari ulterius possit. Neque reperi, quod vel fidem vel mores sobrios ac genuinos lædat. *(Sec. Cens. Prof. Theol. dogm.)*“

3. „Legi librum, cui titulus: De Imitatione S. Cordis Jesu, et inveni eum valde aptum ad desiderium perfectionis excitandum, et simul talem, qui lectorem dirigat, ut in via perfectionis inoffenso pede ambulet. (*Tert. Cens. D. D.*)“

4. „Imprimatur opus, quod animas ad sanctitatem ducet. (*Quart. Cens. Sup.*)“

PROLOGUS.

1. Christiana devotio specialis omnium antiquissima, est devotio erga sacratissimum Cor Jesu, Filii Dei. Antequam sancta Sacramenta aliaque devotionis objecta existebant, jam beatissima Virgo Maria dulcissimum Cor Jesu sui colebat; jam Sanctus Joseph Cor illud amplexabatur; jam Pastores et Magi, jam Simeon et Anna, jam Apostoli et Discipuli, ad illud et per illud trahebantur, illi studebant, illud amabant. Postquam vero Jesus omnes advocaverat homines, ut discerent, „Se mitem esse et humilem Corde“; postquam e thesauro Cordis sui donum optimum, sanctissimæ Eucharistiæ Sacramentum, deprompserat; postquam denique voluerat Cor suum in cruce aperiri et apertum manere, tamquam asylum omnium; tum vehementer aucta est erga divinum ejus Cor devotio. Jam specialiorem devotionem hanc sparserunt Apostoli in mundum universum. Inde Patres Ecclesiæ eam coluerunt tenerrime, ac religiosissime commendarunt. Sancti demum omnium deinceps seculorum devoti Cordis Jesu discipuli fuerunt. Cum autem venisset plenitudo temporis, quo elargiri omnes Cordis sui divitias statuerat, apparuit benignitas Salvatoris, et velle se devotionem erga sacrosanctum Cor suum deinde spe-

cialissimam esse, ille ipse revelavit, testificans ac promittens, se affluenter gratias suas effusurum omnibus, qui huic Cordis sui cultui specialissimo se devoverent.

2. Hujus cultus objectum est Cor Jesu ipsum. Cum autem in Jesu Christo duæ sint naturæ, divina et humana, atque una persona tantum, persona divina; Cor Jesu Christi est Cor divinæ personæ, Cor Verbi incarnati. Ac quoniam persona divina cultu supremo honoranda est; cultus deferendus sacrosancto Jesu Cordi, quod a divina persona nec separari nec etiam præscindi potest, pariter supremus est. Hæc est veritas Catholica, quæ protrivit oppositos errores.

3. Finis hujus devotionis summatim est triplex. Primus quidem, ut modis omnibus amorem Jesu rependamus pro amore ejus immenso, cujus symbolum est Cor ejus, quo tam multa et magna pro nobis fecit et passus est, quoque nobis pretiosissimum suavissimumque Eucharistiæ Sacramentum largitus est. Secundus vero, ut per pietatis nostræ fervorem compensemus, quantum in nobis situm est, omnes injurias, quibus sanctissimum ejus Cor, quod ipsemet exhibuit tamquam affectionum suarum sedem, umquam affectum fuerit et etiamnum afficiatur. Tertius denique, ut imitantes quod colimus, eosdem affectus induamus, eadem sensa, quæ Cor ejus animarunt in vita activa atque passiva, et adhuc in vita ejus Sacramentali ac beata animant.

4. Ex hujus devotionis antiquitate, objecto, multiplici fine, devotionem optimam, fructuosissimam, solidissimam, maxime consolatoriam esse patet. Sed cum religionis sit compendium, imi-

tari quod colimus, ac cæteri fines in vera Imitatione contineantur et exerceantur; ideo ad hanc Imitationem urgendam et, quantum licet, dirigendam, omnibus hoc offertur opusculum.

5. Opus hoc, in quo habes summam Theologiæ Asceticæ, cum doctrinam tum exercitium spiritualis interiorisque vitæ complectentem, amplam meditationis quotidianæ materiam per annum totum suppeditabit. Ita singulis annis id repetere, magis scrutari, semper profundius menti et cordi imprimere valebis. Poteris, si tibi placuerit, vel a principio profectus, pergere sine interruptione usque ad operis finem, vel ab eodem initio procedens, regularem cursum aliquando interrumpere, sive cum aliqua necessitas aut utilitas tua te ad alium locum accomodum sollicitaverit, sive cum tua devotio diebus illis, quibus ad sanctissimum Sacramentum accedis, te ad librum ultimum invitaverit.

6. Hic non omnia, quemadmodum in libris materiam meditationum tradentibus fieri solet, generalia et communia, sed specialia et particularia, tum circa mala vitanda tum circa bona facienda, proponuntur, idque ob graves admodum rationes. Et primum quidem, ne quis currat in incertum, aut aërem verberet, intendens vel aggrediens quidquid in transitu occurrerit, nihil autem obtinens, nihil potiens. Deinde, ut aliquid determinatum assidue ante oculos habens, vires ac conatus tam meditationis et orationis, quam examinis et bonorum operum, ad hoc dirigat, ut expugnet expugnandum, vel acquirat acquirendum. Denique, ut ea, quæ sunt causæ seu radices quodammodo cæterorum malorum, diruens singula, facilius et

efficacius omnia destruat; utque eas virtutes capitales, quarum Jesus in humilitate et charitate Cordis sui exemplum nobis præcipuum dedit, singulas discens et acquirens, reliquas virtutes expeditius certiusque obtineat.

7. Ut is, qui hoc utitur opere, juvetur ad res melius ac penitius intelligendas, ad facilius et fructuosius meditandas, singulis capitibus convenientia Imitationis Christi loca indicantur, ita quidem ut in opere toto tota Imitatio Christi indicetur.

8. Quod ad scribendi rationem attinet, quamquam verissimum est, non in sublimitate sermonis aut sapientiæ annuntiandum esse testimonium Christi, cum non in sermone sed in virtute sit regnum Dei; visum est tamen duo diligenter esse curanda: unum quidem, ut stylus ubique rei subjectæ conveniret, alterum vero, ut sermo satis purus esset.

9. Denique animadvertendum est, non tam indolem esse hujus opusculi, ut publice legatur aliis, quam ut sibi soli legat, qui eo uti voluerit. Ea enim est forma, ea sermocinatio, ut, si velis gustare, debeas quodammodo solus cum solo Jesu, ore ad os et corde ad cor, conversari.

DIRECTORIUM IN LIBRUM PRIMUM.

1. Qui fructum omnem ex hoc opere colligere sibi vult, is libri cujusque scopum recte intelligere, mediaque proposita ad scopum attingendum rite adhibere, et obstacula ab assequendo scopo impedientia superare diligenter debet. Quamobrem de his tribus ante singulos libros breviter dilucideque tradendum, quod tuto dirigat.

2. Scopus libri primi est, cor liberare, primum a peccati maculis, deinde ab amore iniqui mundi, denique ab inordinato affectu erga seipsum. Atque hæc tribus modis intelligi, totidemque gradibus fieri possunt.

Primo quidem, ut liberes animam ab omni peccato mortali, et eo usque ab amore mundi, inordinatoque affectu erga teipsum, ut Deum, Creatorem et Salvatorem tuum, actu rebus omnibus præferas, ac proinde ut nolis pro ulla re, quæcumque hæc fuerit, divinam Majestatem mortaliter offendere.

Secundo autem, ut cor emundes ab omni veniali peccato deliberato, et usque eo ab amore mundi, et affectu inordinato erga teipsum, ut neque pro obtinendis omnibus rebus creatis, neque pro ipsa vita tuenda aliquod peccatum veniale deliberate committere velis.

Tertio demum, ut te purifices ab imperfectionibus illis, quas magna erga divinam gratiam fidelitas cavere potest; atque ita te disponas, ut mundum abhorreas, omnemque inordinatum affectum erga teipsum detesteris.

Ex quibus patet, omnes, incipientes, et proficientes, imo et perfectos, posse utiliter hoc libro uti, atque eum usque repetere. Etenim, „credite mihi, inquit S. Bernardus, et putata repullulant, et effugata redeunt, et reaccenduntur extincta, et sopita denuo excitantur. Parum est ergo semel putasse, sæpe putandum est: imo si fieri possit, semper; quia semper quod putari oporteat, si non dissimulas, invenis.“

Hic, quæso, diligenter adverte, perfectam cordis mundationem rem esse summi momenti, unde fere omnia reliqua in vita spirituali pendeant. Ratio præcipua, ob quam reperiuntur tam pauci, qui viam virtutis facilem et amœnam experiuntur; tam pauci, qui expedite constanterque progredi perseverant; tam pauci, qui ad unionem divinam pertingunt; tam pauci demum, qui etiam hic in vita iis bonis fruuntur, quæ hic a Domino puris cordibus promissa sunt, — hæc est, quia pauci interius se perfecte purificant. Multi multum laborant, et parum proficiunt: iterum incipere sæpe tenentur, virtutis suavitatem vix ac ne vix quidem gustant; portant crucem, sed unctionem ejus non experiuntur. Et, licet salvari tandem possint, tamen pro omni æternitate privant tum seipsos immensa beatitudine, tum Deum magna gloria, quam facile meruissent, si perfecte se purificassent. Quamobrem vix est quidquam, quod dæmon impedire magis nititur, quam integram Cordis purificationem.

Sinet nos satis quiete virtutibus incumbere, et ipsi perfectioni studere, dummodo cordis puritatem negligamus. Scit enim nos hoc modo in illusionem lapsuros, nec virtutes genuinas ac solidas, multo minus veram perfectionem umquam acquisituros esse. Atque hæc est illusio communis, animabus nondum bene purificatis maxime cavenda: Velle scilicet, superficiali cordis purificatione facta, statim cum Jesu in vita interiori non nisi familiariter agere, cum ipso inter virtutum flores recreari, fructus gustare suavissimos: aut, quod adhuc periculosius est, perfecta cordis puritate neglecta, aspirare ad interna cum Jesu unione, amorisque ejus beatifica dulcedine fruendum. Aliæ quidem sunt illusiones, quibus animæ vitam spiritualem incipientes expositæ sunt; veluti: mortificationem externam usque ad excessum colere; animo interne quodammodo obstinato velle obtinere, per vim quamdam, sive liberationem a re molesta, sive rei desideratæ consecutionem; timorem usque ad animi dejectionem fovere. Sed istæ, licet periculosæ, non tam communes nec tam fatales sunt, quam ea, qua quis ad puritatem interiorem negligendum inducitur.

3. Huc ergo omnia dirigere debes. Itaque conandum, 1°. ut, bene apprehensa destinatione tua ad veram beatitudinem sempiternam, omnem malitiam et malum omne peccati quam perfectissime cognoscas, et deformitatem omnem in te per peccatum effectam ex animo quodammodo sentias; 2°. ut quam perfectissimam cognitionem vanitatis ac pravitatis mundi acquiras, miserrimamque sortem illorum, qui se a mundo in æternum perdi ul tropatiuntur, intime percipias; 3°. ut vere

cognoscas teipsum, qualem per culpas tuas te feceris, quam miser sis ex teipso, ad quid ex teipso tendas.

Ad hæc autem omnia assequenda, non sufficit librum legere cursim, verum oportet attente diligenterque meditari, actuque exercere, quæ dicuntur. Omnia enim in hoc opere non tam explicantur quam indicantur; idque eo, primum, ut ipse reflectas, atque coneris res tibi evolvere tibique applicare; deinde, ut ipse affectus cordis elicias, petasque a Domino ea, quibus pro animæ statu indigeas; denique, ut saporem internum et fructum uberiorem percipias. Sic enim meditando, pie desiderando, enixe petendo, res melius intelliges, et fructuosius tractabis; atque vicissim Dominus conatus istos pro Cordis sui generositate remunerabit, eisque gratia sua benedicet. Quæ quidem non de primo libro tantum, sed de reliquis etiam intelligenda sunt.

4. Modus hoc libro utendi, duplex potissimum esse potest; uterque tutissimus, uterque facillimus, ut experientia constat plurimorum, etiam illiteratorum, qui horas integras, nullo tædio, fructu magno, meditationi impendere consueverunt.

Primus modus incipientibus, qui orationi mentis nondum assueti, non possunt habere discursus continuos, præcipue accommodatus est. Nihil tamen obstare videtur, quominus alii etiam hoc modo meditentur, præsertim cum non ita dispositos se reperiunt, ut profundiora speculari possint.

Primum itaque orationem recita præparatoriam, quæ semper eadem est, et hæc esse potest: „Collige ad te, Domine Jesu, omnes sensus meos; munda quoque cor meum ab omnibus perversis

et alienis cogitationibus: intellectum illumina, affectum inflamma, ut attente et devote, in hoc oratione, sensus corporis et animæ facultates ad gloriam tuam et meam salutem adhibere valeam, et exaudiri merear ante conspectum divinæ Majestatis tuæ per sacratissimum Cor tuum. Amen. Domine Jesu, in unione illius divinæ intentionis Cordis tui, qua ipse in terris laudes Deo persolvisti, hanc tibi orationem persolvo." Qua dicta, breviter teipsum siste coram Domino, in aliquo mysterio congruo, vel in sancto Tabernaculo tibi præsentem. Denique orationis faciendæ fructum ab ipso pete ferventer. Et hæc quidem tria initium seu ingressum meditationis constituunt, quocumque modo hæc fiat.

Tum, si primo uteris meditandi modo, 1°. lege lente et attente unum aut plures versus, prout necesse vel utile fuerit; 2°. considera, quam verum sit, quod modo legisti; quam verum id crediderint Sancti, aliique omnes, qui animas suas ab æterna perditione liberare, easque in æternum salvare cupierunt; quam verum id tu ipse crediturus sis in morte; 3°. examina teipsum, dispiciens, quomodo te circa id opere et usu habueris usque adhuc; si bene, gratias age Domino, illique tribue gloriam, nec omitte gratiam petere, ut pergas bene, imo et melius perfectiusque; sin autem male, dole, contritionis actus elice, pete veniam; 4°. bonum fac propositum te emendandi, aut in melius proficiendi, eligens apta media, et gratiam petens ad propositum exequendum. Quibus finitis, si statutum meditandi tempus non sit expletum, ad alios versus transi, et eumdem ordinem sequere.

Si vero secundo meditandi modo uteris, post ingressum meditationis supradictum, 1°. exerce memoriam, legendo vel recordando meditationis materiam; 2°. intellectum exerce, primo, ratiocinando de meditationis subjecto, ac per causas et effectus discurrendo; secundo, inquirendo, quid inde ad actum deducendum; tertio, quæ rationes seu incitamenta urgeant; quarto, quomodo hactenus egeris; quinto, quid in posterum faciendum; sexto, quæ impedimenta removenda; septimo, quæ media eligenda; 3°. exerce voluntatem, primo, pios congruosque affectus excitando et actus internos eliciendo; secundo, bona formando proposita particularia, præsenti animæ tuæ statui accommodata; tertio, petendo enixe gratiam pro te et aliis.

Demum, 1°. fit colloquium cum Jesu per cordis effusionem; 2°. recitatur concludens oratio, qualis hæc: „Domine Jesu Christe, qui ineffabiles Cordis tui divitias Ecclesiæ tuæ novo beneficio aperire dignatus es; præsta, quæso, ut hujus Sacratissimi Cordis amori respondere, injuriasque eidem afflictissimo Cordi ab ingratis hominibus illatas, dignis obsequiis compensare, et ejusdem Cordis sensa in rebus omnibus induere valeam: qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti, Deus per omnia secula seculorum. Amen.“ Tertio, denique, commendando te Beatissimæ Virgini Mariæ, Angeloque tuo Custodi et Patronis, finem impones. Atque hæc tria cujusvis meditationis finem seu egressum formant.

Cum experientia constet, exempla Sanctorum in corda cum peccatorum tum justorum miram salutaremque vim exercere, ipsorum exempla frequenter adducuntur. Ut vero hæc fructuosius

mediteris, oportet, ut consideres particularem aliquem, vel aliquos particulares Sanctos, quos tibi Patronos eligis, aut erga quos devotionem specialem foves. Alii enim aliorum exemplis magis ædificantur ac moventur: sic religiosus vitas Sanctorum Ordinis sui melius cognoscere, eisque magis studere solet; atque illi, qui in mundo degentes, Deo servire nituntur, erga Sanctos, quorum exempla sibi melius congruunt, vehementius affici, illosque æmulari consueverunt. Cum igitur Sancti dicuntur ad exemplum Cordis Jesu aliquid fecisse, aut in re aliqua fuisse insignes, oportet aliquem Sanctum mente seligere, in particulari videre, quid ac quomodo egerit, ejus intercessionem apud Dominum implorare, te illi commendare. Quodsi nullus Sanctus menti opportune occurrat, exemplum sanctissimæ Virginis Mariæ intueri, intercessionemque et protectionem ejus flagitare semper poteris.

5. Denique ut caveas aut superes obstacula, quæ ab inimicis æternæ beatitudinis tuæ objiciuntur, quæque ad conscientiam referri solent; primum, quid sit conscientia, recte intelligere debes. Porro conscientia est dictamen ex ratione præsentatum, quod interius monet vel ostendit in casibus particularibus, quid faciendum, aut quid omittendum sit, idque sub pœna peccati, quia res præcepti est, vel ob meriti incrementum majusve Dei beneplacitum, quia res consilii est tantum. Dicitur autem dictamen ex ratione: quia est conclusio activa ex principiis, rationi sive naturæ sive gratiæ seu fidei lumine cognitis. Exempli causa: Conscientia me admonet, hodie (die Dominica) teneri me ad Missam audiendam. Hoc autem deducitur ex tacitis his præmissis: Diebus Dominicis

est obligatio audiendi Missam: atqui hodie est dies Dominica: ergo hodie est obligatio audiendi Missam. At notatu dignum est, conclusionem hujusmodi clam deduci ac præsentari homini, ipsi etiam invito: ut manifestum est in illis, qui nolunt auscultare conscientiam, ne a rebus, quibus illicite indulgent, deterreantur, neu in iis turbentur. Prorsus enim inviti audiunt conscientiam prohibentem ac condemnantem. Hinc patet, conscientiam, si vere fuerit conscientia, ab homine independentem, illique superiorem esse.

Hic advertat diligenter et discat, qui nimis ad timiditatem vel ad scrupulositatem pronus est, conscientiam esse, non nervorum agitationem, non repræsentationem imaginationis, non vagum timorem, non denique casus possibilitatem. Non minori cura animadvertat et notet, quisquis nimium ad laxitatem aut temeritatem propendet, non voluntatis desiderium, non naturæ inclinationem aut aversionem, non passionem aliquam, non demum subtilitatis artificium, esse conscientiam. Verum tum hic, tum ille recordetur, conscientiam esse dictamen ex ratione præsentatum, seu vocem Spiritus Dei, qui ratione tamquam interno organo nobis interius loquitur, manifestatque in casibus particularibus suam voluntatem præcipientem, vel beneplacitum suum consulens.

Conscientia alia est vera seu recta. Est autem recta illa, quæ res ostendit, sicuti vere sunt: tamquam præceptas seu obligantes, quæ præceptæ sunt; tamquam periculosas, quæ periculosæ sunt; tamquam consultas aut meliores, quæ consilii vel perfectionis sunt. Hæc, si ita eam sequimur, ut ex sancto Dei timore, quo sicut filii boni Deum

offendere timemus, ac peccata, amicitiam ejus aut benevolentiam paternam destruentia, vitemus, conscientia timorata vocatur. Si vero ita ei fideles sumus, ut, ea dictante, omnem defectum voluntarium caveamus, eique in rebus omnibus obtemperemus, conscientia delicata dicitur.

Alia est falsa seu erronea. Illa est, quæ res ostendit falsas seu differentes ab eo, quod vere sunt. Hoc autem plerumque fit culpa hominis, qui organum, quo utitur Spiritus Dei, vitiat, ita ut divinam vocem non transmittat. Ignorantia, peccati habitus, quævis passio inordinata illud plus minusve depravat. Vel ut apertius dicam, ignorantia, peccati habitus, quælibet passio inordinata, singulatim efficiunt, ut aliquid falsum aut futile assumatur tamquam unum principiorum, ex quibus conclusio activa seu conscientia deducatur. Unde fit, ut hujusmodi conscientia sit vox, non Spiritus divini, sed alterius spiritus, qui passione aliisve rebus illis utitur ad interius loquendum.

Si conscientia errat culpa nostra voluntaria, vincibiliter erronea nominatur, ac nos errorum reos facit. Est autem culpa nostra voluntaria, vincibiliter erronea, si, cum actum vel actus causam ponimus, menti occurrit erroris cognitio aut dubitatio, erroremque vitandi obligatio, et insuper negligitur ordinaria diligentia ad veritatem cognoscendam. Quodsi conscientia erret sine nostra hujusmodi culpa, dicitur invincibiliter erronea, et nos coram Deo innocentes relinquit.

Ad erroneam conscientiam et scrupulosa et laxa, ex oppositis ortæ, referuntur. Scrupulosa, ea, quæ credit se videre, et etiam correcta persistit credere, se videre peccatum ubi peccatum

non est, errat eo plerumque, quod imaginationi, proprii judicii pertinaciæ, vel passioni cor constringenti indulget anima; ex quo interius agitata aut confusa, videt objecta aliter quam vere sunt, aut confundit res cum rebus, præcepta cum consiliis, probabilia cum possibilibus, peccatum et periculum cum peccati et periculi specie seu simulacro.

Laxa vero, illa, quæ sibi persuadet se non videre, atque admonita etiam pergit sibi persuadere, se peccatum vel periculum non videre ubi vere sunt, in hunc errorem labi solet, quia homo afficitur corde ignorantia culpabili laborante, vel peccato ex habitu addicto, vel indulgente passioni, qua inordinate aliquid cupit aut horret. Unde fit, ut talem habens conscientiam culpandus sit, quia errores cavere potest, removendo eorum causam, quam removere utique debet, cum eam removendi obligationem sufficienter advertit.

Maxima cura cavenda est conscientia tum scrupulosa, tum laxa. Utraque enim non solum periculosa, sed etiam damnosa: utraque perfectionem impedit, eamque reddit impossibilem, et, quod magis timendum est, utraque ipsam salutem periculo perditionis exponere solet. Quare unusquisque rectam conscientiam habere curet.

Ut autem committat aliquis peccatum formale, seu peccatum quo Deus offenditur et homo reus fit, oportet, primo, ut actus sive internus sive externus, quo vel per commissionem vel per omissionem peccatur, sit malus seu illicitus, aut tamquam malus seu illicitus a conscientia reputetur; secundo, ut mens malum actus morale, seu actum esse illicitum advertat, cum facit actum, aut cum actus causam ponit; tertio, ut voluntas, sciens,

actum esse malum seu illicitum, ei libere consentiat, dum internam habet libertatem eligendi inter consensum et dissensum. Si enim internum aut externum facit actum, cujus malum morale non advertit, sive cum actum facit, sive cum causam actus ponit, actum quidem vult aut velle potest, sed non tamquam moraliter malum, cum eum illicitum esse non videat. Nihil enim volitum nisi cognitum. Quamobrem volendo aut faciendo hujusmodi actum, non nisi materiale peccatum committit, quod nihil aliud est, quam error conscientiæ invincibiliter erroneæ, et quo nec Deus offenditur, neque homo reus fit.

Ad peccatum autem mortale committendum, requiritur, quemadmodum non Theologi solum, sed etiam Sancti docent, primo, ut actus internus vel externus sit graviter malus, vel tamquam graviter malus a conscientia reputetur; secundo, ut mens grave malum actus plene advertat, cum actum facit, aut cum actus causam ponit; tertio, ut voluntas scienter ac libere det plenum consensum. Quorum trium si unum desit, peccatum, quod aliter esset mortale, veniale est.

Nemo formale peccatum committit invita voluntate sua. Aliter enim quam sua libera voluntate homo peccare formaliter non potest. Potest autem, si vult, per abusum liberi arbitrii sui, malum seu illicitum cogitare, sibi proponere vel repræsentare, ei consentire, peccare. Præterea dæmon potest, divino permissu, ac solet ei injicere cogitationes repræsentationesque, etiam malas, ut eum alliciat ad consensum voluntatis dandum; cogere autem eum ad consentiendum, numquam potest. Denique Deus ipse, bonique et beati Spi-

ritus ejus cogitationes suggerere, et objecta præsentare consueverunt, sed semper ut ad bonum inducant hominem, cujus voluntatem ad bonum juvant, at numquam cogunt.

Ex his patet, in homine triplex esse genus cogitationum et motionum: primum, oriens ex ipsius hominis libera voluntate; alterum, extrinsecus injectum a dæmone, spiritu malo; tertium, extrinsecus quoque suggestum a bono Spiritu. Porro, „ex sermonibus eorum cognoscemus eos: et quis spiritus sit, qui loquatur, ipsa suggestio declarabit.“ (S. Bern.) Ad cujus rei intelligentiam inserviunt regulæ sequentes, quas de spiritibus discernendis tradunt Sancti.

Prima. Illis, qui facile peccant mortaliter, spiritus malus apparentes carnis delicias, sensuales delectationes suggerere vel proponere communiter solet, quo eos securius sibi retineat, magisque in peccatis ac vitiis promoveat.

Erga quas personas modo contrario utitur Spiritus bonus: conscientiam earum pungit assidue et turbat, ut eas infelicitatis animæ reddat conscias, deterreatque a peccando, et convertat.

Secunda. Malus spiritus fallaci suasione artificiove conatur homines ad inordinatum amorem ac cupiditatem divitiarum seu rerum abundantiæ inducere, ut eos postea facilius in peccata cadere faciat.

Spiritus autem bonus susurrat, cor ab inordinato affectu aut cupidine rerum terrenarum liberum esse servandum, ut impedimentis non involvatur.

Tertia. Spiritus malus sollicitat, urget, insistit, ut homo ad vanum honorem aspiret.

Bonus vero Spiritus proponit et inculcat generosam humilitatem, veram hominis gloriam et securam.

Quarta. Illis, qui percipientes necessitatem vacandi æternæ saluti suæ, incipiunt serio cogitare de ea tutanda, malus Spiritus pudorem quemdam et humanum respectum ingerere solet, ut bona cœpta impediat.

Bonus autem Spiritus illos animat atque stimulat, ut, respectum humanum despicientes, fortiter procedant.

Quinta. Illis, qui se a peccatis ac vitiis purgandos sincere curant, seque in obsequii divini studio magis magisque promovent, spiritus malus immittit molestias, scrupulos, tristitias, rationes falsas, alias denique id genus perturbationes, quibus profectum illum impediat.

Spiritus vero bonus solet recte agentibus aut bene conantibus animos addere et vires, illustrare mentem, consolationem ingerere, pacem dare et tranquillitatem, ut expeditius alacriusque per bona opera semper ulterius progrediantur.

Sexta. Obnixe satagit malus sSpiritus, ut anima, quam circumvenire cupit et perdere, fraudulentas suggestiones suas teneat secretas. Quantum potest, obstat ne cui spirituali rectori molimina sua detegantur, a quibus ita excidere se noverit.

Bonus autem Spiritus amat lucem et ordinem, quia bene agit, et opera ejus bona sunt.

Septima. Spiritus malus se gerit, ut belli dux consuevit. Quemadmodum enim hic dispositionem explorat et vires alicujus arcis, quam expugnare desiderat, eamque aggreditur ex parte debiliori; eodem modo spiritus malus, circumiens explorat

dispositionem nostram virtutesque nostras omnes, theologicas et morales, et qua parte nos reperit debiliores, ea nos aggredi solet et expugnare conatur.

Octava. Consuevit malus spiritus, tentator, animo et robore plane destitui, quoties videt spiritualem adversarium, corde imperterrito et ardua fronte, tentationibus reluctari; sin autem percipiat eum trepidare et quasi animum despondere, nulla est bestia in terra inimico illo tunc efferatior ac pertinacior in hominem, ut malignæ obstinatæque mentis suæ desiderium adimpleat.

S. Ignat. S. Thom. S. Theresia.

LIBER PRIMUS.

Admonitiones ad cor nostrum purificandum utiles.

CAPUT PRIMUM.

Fundamentum.

1. *Vox Jesu.* Discite a me, quia mitis sum et humilis Corde; et invenietis requiem animabus vestris.

Vox Discipuli. Hæc sunt Jesu Christi verba, quibus virtutes Cordis ejus discere atque imitari jubemur, ut ab omni animæ miseria expediri, et vere beatificari possimus.

Hæc est doctrina ejus, hæc est ratio discendi, hic fructus, hic denique finis.

Primus discendi ardor, nobilitas est magistri. Quid nobilius Dei Filio, qui unus est Magister noster, ab æterno Patre suo constitutus, et in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ Dei?

Doctrina ejus veritas est, omnes artes et scientias hujus mundi antecellens, neque ad perituras aliquas opes, ad aliqua transitoria oblectamenta, ad famam aliquam temporariam sternens viam, verum ad divitias immensas permansuras, ad ineffabiles perpetuasque delicias, ad honores supremos et sempiternos.

Quidquid nobis agendum docuit, ad unum reduxit documentum: Discite a me, quia mitis sum et humilis Corde; quod omnibus hominibus accommodavit, ac discendum dat omnibus, pusillis et magnis, plenissime sciens, quæcumque necessaria sunt, in hoc, si recte intelligitur ac servatur, præcepto contineri.

Tota ipsius vita exercitium fuit hujus doctrinæ, quam, ad nos animandum, prius ipse cœpit facere quam docere.

2. Discamus hoc breve præceptum, et satis sapientes erimus, sciemusque sufficienter, nec opus erit quærere quidquam ulterius.

Modus discendi est agere, quod fieri debet dupliciter: studendo scilicet et exercendo.

Ante omnia vero, ut intelligamus quod discere studemus, et ad actum deducere valeamus quod intellexerimus, enixe orare nos oportet.

Deinde meditari debemus diligenter profunditatem, et altitudinem, et latitudinem præcepti, assidue ponentes ante oculos nostros divinum exemplar Magistri, atque inspicientes, quid corrigere, quid effugere, quid tenere, ad quid aspirare debeamus.

Tum, quoniam non sufficit scire, sed et facere oportet præceptum, quod totum activum est, et non nisi actu perfecte discitur, debemus, simul ac incipimus studere, incipere etiam facere, cogitatione et verbo, et opere mites et humiles corde exhibentes nosmetipsos Deo et hominibus.

Et proficientes intelligentia et exercitatione, oportet ita nos laborare, ut vis præcepti se evolvat usque perfectius in omni vitæ nostræ ratione, in sensis nostris intimis, sermonibus, actionibus, omnibus et singulis, imo in horum omnium modis.

3. Ita si discamus quod nobis discendum divinitus datum est, consequemur fructum, quo studium laboremque nostrum certissime remunerandum esse, ille ipse promisit, qui neque falli neque fallere ullo modo potest.

Quis est fructus promissus? Optimus plane. Invenietis, inquit, requiem. Quid est invenire requiem?

Utique id invenire, quo expleti et contenti quiescamus, nec laboremus amplius disquirendo, neque invite amittendi formidine agitemur.

Hanc requiem qui invenerit, vere quietus erit vereque beatus: qui autem non invenerit, quidquid aliunde habuerit, irrequietus semper erit et beatitudinis expers; quia corde non satiatur, quia ultra quærere cogitur, quia indesinenter periclitatur etiam invitus acquisita perdere.

Sic omnes constituti sumus, ut natura impellamur ad beatam requiem appetendam, neque in nostra habeamus potestate, eam non appetere.

Maximo sane beneficio Dominus nobis indidit hoc desiderium excitans, hanc facultatem urgentem; sic enim fortius in re et suavius in modo prosequimur illud ipsum, quo beari nos oporteat.

Et licet pro libero nostro arbitrio valeamus requiem quærere in rebus variis, in omnibus tamen desiderium hoc nostrum, facultas hæc instabit urgebitque, donec invenerimus objectum, ad quod quærendum et consequendum facultas ista nobis data fuit.

Christus Dominus, Deus noster, qui hujus in nobis facultatis auctor est, et quem repugnat nobis dedisse invincibilem facultatem sine objecto, vel dedisse sine possibilitate objecti attingendi, hic nobis ostendit, ubi sit quærendum verum objectum, quomodo sit inveniendum.

Discite a me, quia mitis sum et humilis Corde, et invenietis requiem. Non distinguit, non excipit: inveniemus igitur requiem veram, genuinam felicitatem.

Nam etsi requies, felicitas, in tempore, pro mortalis vitæ conditione, non possit esse undique plena, erit tamen vera, quemadmodum Dominus promittit, et experientia constat innumerorum Sanctorum, qui mites et humiles discipuli fuerunt mitis et humilis Jesu.

Profecto ea fruemur pace, quam nullus hostis externus perturbet: ea gaudebimus tranquillitate, quam nulla commotio interna agitet: denique similitudine et unione potiemur divina, quæ maximam felicitatem vitæ, imo bona omnia contineat, quaque nos privare, invita voluntate nostra, nemo possit.

4. Hujusmodi colligentes fructum, tutabimur finem, sempiternam animarum nostrarum beatitudinem. Ait enim: Invenietis requiem animabus vestris.

Si animæ sint nostræ, non ita nostræ sunt, quasi a nobis essent, cum ipse fecerit eas et non ipsi nos: verum nostræ, quia nobis eas dedit. Dans autem, dedit ad finem se dignum, ut, cum ipse operatus fuerit quod debet, quod quidem semper facit, utpote infinite perfectus, nos vicissim cooperaremur, sicque beatam ac perpetuam quietem procuraremus animabus nostris.

Hic est finis, sempiterna beatitudo animæ cum gloria Domini, finem intendentis, intime conjuncta.

Si enim Deus gloriosus in omnibus operibus suis, quam gloriosus in opere tanto, salute animarum in æternum triumphantium, ipsumque perpetuo laudantium!

Ad hunc finem mille mediis modisque nos munit et adjuvat: ad hunc præcedit ipse nobis, ut bonus pater filiis suis, comes prævius, ostendens viam certam et jucundam, allevans et recreans.

5. Quæ cum ita sint, sequamur alacriter tantum ac talem ducem.

Quid nobis honorificentius? Gloria enim magna est, sequi Dominum: maximus honor, discipulos esse Cordis ejus dilectos.

Quis secularis honor excogitari potest, qui non in tantæ dignitatis comparatione vanescat?

Nec quidquam utilius, cum inde pendeat quies animæ, felicitas nostra in vita, in morte, in æternitate. Hæc autem tanta res est, ut sola sufficere possit, ac sine ea reliquæ omnes vanæ sint et tandem inutiles.

Id facile demum et dulce; quoniam mandata ejus gravia non sunt, verum ea jussa nobis dat, eaque suppetit media, ut non modo illa perficere possimus, verum etiam ut nullus salutis hostis, nulla obstacula nos ab illis perficiendis impedire valeant.

Discentes autem ab ipso Salvatoris Corde, e dulcissimo fonte amoris haurimus, quo acti, laborem, si quis fuerit, vel non sentimus vel diligimus, adeoque facilem experimur et dulcem.

O Jesu mitis et humilis Corde! suscipe me, quæso, discipulum tuum, discipulum Cordis tui, et præsta, ut diligenter a te discam mitis esse et humilis corde, atque ita inveniam requiem animæ meæ ad æternam gloriam tuam.

Legito Imitationis Christi
Lib. I. c. 1. et c. 3. No 1. et 2.

CAPUT SECUNDUM.

Quod nulla res mundi cor nostrum vere quietum, vere contentum reddere possit.

1. *V. J.* Fili, creatus es ad beatitudinem. Hoc ratio probat: hoc experientia constat: hoc docet fides.

Felicitatem indesinenter quæris, et bene facis. Sed desine quærere felicitatem tuam in creaturis: quia non invenies ibi.

Nulla enim res hujus mundi cor tuum explere valet, et si solus omnia creata simul haberes, cor adhuc inane foret ac miserum.

Terrena cordis sitim excitant, sedare non possunt: imo vero quanto plura possederis, tanto vehementius sities.

Quomodo in creaturis id invenire posses, quod in illis non est? Nemo enim dat quod non habet.

2. Num tu attinges quod nullus mortalium attingere umquam potuit? Ecce sapientissimus hominum omnibus abundabat bonis, novis perpetuo affluebat deliciis, divitiarum suarum immensitate stupefecerat nationes, gloriæ suæ fama ultimas impleverat terras.

Præ inanitate tamen cordis coactus est exclamare: Vanitas vanitatum, et omnia vanitas!

Habeas quidquid in mundo cor tuum desiderare possit: sis totius orbis terrarum dominus: honorent te homines universi: experire omnia: et reperies te adhuc nihil invenisse, nisi vanitatem et afflictionem spiritus.

3. Noli mirari hoc, fili mi; non enim ad mundum factum est cor tuum. Quidquid igitur in

mundo habetur, nobilissima destinatione tua atque cordis tui affectu indignum est.

Ad majora creatus es, ad æterna natus, ad infinita destinatus. Ne ergo in sordibus jaceas, cum ad regnandum in perpetuum constitutus sis.

Quid tibi prodesset, mundum lucrari universum, si animæ tuæ jacturam faceres? Profecto bis infelix esses: hic quidem ob malæ conscientiæ statum torquentes cordis angores patereris, postmodum autem miseriæ subjaceres æternæ.

Beatus itaque, qui spernit quidquid ad cor decipiendum aptum fuerit, qui omne veræ felicitatis impedimentum generose abjicit, qui memor dignitatis suæ destinationis, super omnia creata in Creatore suo quærit beatitudinem.

4. *V. D.* Deus, Salvator meus, ad beatitudinem creasti me, et beatitudinem quærere non cessavi usque adhuc, et tamen nondum gustavi beatitudinem, nondum reperi.

Cupiditates meæ iteratis vicibus clamabant: Ecce hic est, aut illic. Credidi insanus, et desideriis inordinatis obcæcatus, discurri huc illuc, et loco felicitatis quæsitæ, inveni miseriam, et gustavi amaritudinem.

Me miserum! creatus ad beatitudinem in te, Deus meus! laboravi disquirens beatitudinem extra te in creaturis; et ecce a beatitudine, ad quam factus eram, longius aberravi, et infelicitatem, ad quam factus non eram, mihi nactus sum, et in ea perii.

Deus, Salvator meus! aperi oculos meos, ut jam recte videam tantum errorem meum, et fac, ut errore liberatus, quæram efficaciter in te, quam in creaturis non possum invenire, beatitudinem.

Imit. Chr. Lib. I c. 1 *No.* 3. 4. 5. *Et Lib. III. c.* 27.

CAPUT TERTIUM.

Quod cor nostrum in Corde Jesu veram requiem, genuinam felicitatem, inveniat.

1. *V. J.* Fili, si vis consequi veram felicitatem, cor tuum totum da in similitudinem et consuetudinem Cordis mei.

In Corde meo invenies pacem ac tranquillitatem, quam mundus nec dare nec auferre potest.

Si semel in interiora Cordis mei perfecte introisses, inde cerneres omnia terrena, sicut in se sunt, non sicut ab insipientibus mundi idololatris existimantur.

Tunc a superfluis et molestis creaturarum curis facile expedireris, atque nihil te dignum duceres nisi bona genuina.

2. Jam quidem cor tuum continuæ vicissitudini subjectum, septies mutatur in die, ita ut modo lætum, modo triste; nunc tranquillum, nunc agitatum; aliquando amore creaturarum accensum, aliquando vanitatum earum pertæsum; jam fervens, mox tepescens, sic veluti mare sit inconstans.

Si autem cor tuum meo esset unitum, subito fieret tranquillitas magna et permanens.

Tutus enim in Cordis mei unione, tanquam in portu salutis, semper idem manere, inconcussusque et a mutatione defensus perstare valeres, sive prosperitatis sive adversitatis flaret ventus.

Si in Corde meo lates, nullus inimicus tibi nocere poterit. Diabolus quidem circuit, quærens quem perdat, multosque secum in perditionem trahit: ad te autem non appropinquabit, nec pacem tuam turbare valebit.

5. Utinam ergo cognosceres donum divinum! utinam scires, quanta in eo sint bona! tota revera quies tua, tota felicitas tua in eo continetur.

Jugis pax, imperturbata securitas, verum cordis gaudium omnibus diligentibus et incolentibus Cor meum.

Quid juvant opes? quid honor? quid ipsa oblectamenta, si cor non fuerit quietum ac contentum? Et quid totus mundus dare potest, nisi inquietudinem et ægritudinem cordis?

Miser itaque eris, quidquid tibi fuerit, quoadusque requiesces in me, qui tibi sufficio solus.

4. *V. D.* Sic profecto expertus sum, Domine; nam in rebus omnibus pacem quæsivi, et non inveni nisi turbationem post turbationem.

Voluisti utique propter teipsum simul et propter nos, ut cor nostrum in te solo inveniret pacem. Fecisti enim ad te, Domine, cor nostrum: et irrequietum se sentit et infelix, donec quiescat in te.

O Cor Jesu dulcissimum! Sanctissimæ Trinitatis deliciæ! Angelorum Sanctorumque omnium lætitia! beatissime animarum paradise! quid extra te volo, cum in te sit totum, quod desiderare possum ac debeo?

In te cœlum habet suum gaudium; in te terra suam felicitatem: cum ergo sis beatitudo omnium, cur non esses mea? Imo, Jesu Corde dulcissime! tu requies mea, tu beatitudo mea in perpetuum.

Imit. Chr. Lib. III. c. 34.

CAPUT QUARTUM.

Quod ad salutem necessarium sit, Cor Jesu imitari.

1. *V. J.* Fili, unum ante omnia necessarium est, ut æternum salves animam tuam. Illa enim perdita, perdita sunt omnia; illa autem salva, salva sunt omnia.

Verum æternam animæ salutem non assequeris, si non fueris imitatus Cor meum.

Nam quos præscivit Deus, etiam prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui.

Quenam autem est hæc Filii Dei imago, cui omnes salvandi conformari debent, nisi Cor meum?

Non enim cuilibet datum est, exteriora mea imitari, nec pendet ab homine facere miraculosa, quæ ego feci.

Præterea ob diversitatem humanæ vitæ statuum, non possunt omnes exteriorem meam sequi vivendi rationem: interiores autem Cordis mei affectus imitari possunt ac debent omnes, magni et parvi, docti et indocti, in quocumque statu vivant.

Si ergo optas in æternum salvari, Cordi meo conformare, et tuo corde senti quæ ego sentio meo.

2. Etsi distribueres inter pauperes facultates tuas omnes; etsi traderes maximæ pœnitentiæ corpus tuum; etsi omnia cognosceres mysteria; etsi stupenda prodigia faceres; si cordi tuo non habetur similitudo cum meo, nihil es, et nihil tibi prosunt in æternum ista omnia.

Ex similitudine tua cum Corde meo judicandus es, ac conditionem tuam æternam recepturus.

Multi autem in judicio dicent mihi: Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, et dæmonia

ejecimus, et virtutes multas fecimus? Respondens vero dicam illis: Nescio vos: videtisne vulnera, quæ inflixistis? agnoscitisne Latus, quod pupugistis, quodque propter vos apertum mansit, nec tamen intrare voluistis?

Nihil igitur juvat quidquid feceris, nisi feceris secundum Cor meum.

3. Non pietatis exterior species, sed cor devotum reddit hominem vere bonum, et mihi charum.

Tantum in tuto pones salutem tuam, quantum cor tuum meo Cordi conformaveris.

Age pro salute tua quidquid agere vales: non potest esse nimia sedulitas, ubi periclitatur æternitas.

Moriturus reperies omnia esse perdita, quæcumque egeris, nisi ad me et salutem retuleris.

Si itaque summi momenti sit salus æterna, memento, quanti salus est animæ tuæ, tanti esse Cordis mei Imitationem.

4. *V. D.* O salus animæ æterna! res momentosa, una mihi summe necessaria! cur enim sum in hoc mundo, nisi ut animam meam salvem? Et cur redemptus, tot mediis instructus fui, tot beneficiis divinis cumulatus, nisi ut facilius ac suavius salvam faciam animam meam?

Ast eheu! nondum cœpi serio id, propter quod in hoc mundo positus sum. Redemptus meipsum rursus et vilius mancipavi, et perii abusu mediorum ipsorum ac beneficiorum, quibus facillime felix et salvus esse potuissem.

O Domine Deus! imo justissime permittere potuisses, me in æternum perire, et pati infortunium sempiternum, quod per meam malitiam abusumque donorum tuorum mihi merui.

Sed quoniam id, pro infinita Cordis tui bonitate, non permisisti; imo vero, novo maximoque beneficio, fecisti me æstimare et diligere æternam animæ meæ salutem, ingratus amplius non ero, non amplius jacebo miser in malo, non amplius exponam animam meam perditioni æternæ.

Statuo vero ac promitto, me cooperaturum suavissimis Cordis tui consiliis animam meam faciendi beatam ac salvam.

Imit. Chr. Lib. II. c. 7.

CAPUT QUINTUM.

Quod omnis perfectio nostra in Corde Jesu imitando consistat.

1. *V. J.* Fili, omnis perfectio tua in similitudine cum divino Corde meo consistit.

Cor enim meum, Cor Verbi Dei, virtutum omnium norma, ipsa sanctitas est.

Quicumque ergo imitatur Cor meum, imitatur Deum, Salvatorum suum, perfectionem ipsam.

Cum autem Cor meum sanctitatis exemplar sit et omnis gratiæ fons, a Corde meo disces, quid ad sanctificationem tuam facere te oporteat, et ad faciendum hauries fortitudinem.

Si igitur vis perfectus fieri, Cor meum imitare: quo magis illi conformis, eo perfectior eris.

2. Cor meum humile: humilitas autem veræ sanctitatis fundamentum.

Si a Corde meo non didiceris humilitatem, numquam hanc virtutem possidebis, nec cognosces nisi nomen ejus.

Quodsi volueris super aliquid aliud fundare

perfectionis molem, non stabit, sed flatu minimi venti subvertetur, eritque ruina magna.

Cor meum etiam mite et charitate plenum: charitas vero perfectio sanctitatis.

Veræ autem charitatis flammis numquam ardebit cor tuum, nisi fuerit accensum illo amoris igne, quo flagrat meum.

Væ tibi, si alieno igne accenderis cor tuum! ardebis quidem, sed ad perditionem tuam.

3. Numquam solidas acquires virtutes, nec veram assequeris sanctitatem, præterquam per Cordis mei Imitationem.

Quantavis signa virtutis exhibueris, quantumvis etiam devotus visus fueris, tuo corde non imitante meum, omnis tua pietas non erit, nisi inconcinna vultus compositio.

Nulla quidem perfectionis spes est, si tibi Cor meum non proposueris perfectionis exemplar.

4. Sic profecto fuit a constitutione mundi. Etenim in lege antiqua prædictum notumque erat, qualis Corde futurus essem; et nemo Electis annumeratus fuit, nisi qui venturi Cordis mei qualitates in corde suo expressisset.

Ab initio autem Ecclesiæ usque adhuc, semper fuit Cor meum sanctificatio Apostolorum, fortitudo Martyrum, constantia Confessorum, puritas Virginum, perseverantia Justorum, Sanctorum denique omnium perfectio.

Macte igitur, fili: sequere Cor meum, quocumque te duxerit: quanto propius illud secutus fueris, tanto propius ad perfectionem consummatam accedes.

Ex imitatione Cordis mei universæ legis adimpletio perfecta pendet et omnis sanctitas.

Signum prædestinationis certum est, assiduus Cor meum imitandi conatus.

5. *V. D.* O dulcis Jesu, fons vitæ et gratiæ! anima me, adjuva me, ad discendum et imitandum Cor tuum, normam virtutis, sanctitatis exemplar.

Libera cor meum ab omni illusione, ab omni impedimento: præsta, ut simplici et puro affectu te quæram, interiora sensa tua, Cordis tui dispositiones, induam, me tibi intime assimilem.

Eheu! Domine, quam tibi dissimilis corde sum! quam parum hucusque laboravi ad Cordis tui vitam vita mea exprimendum!

Et utinam non laborassem ad cor meum a tuo alienandum et pervertendum! O cæcitatem! O insaniam animæ meæ!

Miserere mei, Domine Jesu! miserere mei, secundum magnam Cordis tui misericordiam.

Quam multi sunt, qui non tamdiu vixerunt, nec tot media habuerunt, ac nihilominus se sanctificarunt, ferventes Cordis tui discipuli facti! Et ego nondum sanctitatis initium habeo: et ego adhuc peccator sum.

Tempus est, Domine, tempus est, ut opus sanctificationis meæ usque adeo neglectum incipiam.

Hoc me excitat, hoc me stimulat, adhuc posse me sanctificari, adhuc posse me fieri Cordis tui discipulum, adhuc posse me insigniri isto prædestinationis signo lætissimo.

Erige me, optime Jesu, da auxilium, adde animum: ecce nunc cœpi.

Imit. Chr. Lib. I. c. 3.

CAPUT SEXTUM.

Quod quicumque vult Cor Jesu imitari, suum cor purificare debeat.

1. *V. J.* Fili, si vis te in Cordis mei consuetudinem dare, et familiaritatis ejus gustare dulcedinem ineffabilem, ab omni malo cor tuum purifica.

Ego enim, Dilectus tuus, purus et immaculatus, qui delector inter lilia.

Quomodo existere posset unio Cor meum inter et tuum, nisi istud sedulus expurgaveris?

Cor namque meum quis arguet de peccato? Tu vero quomodo dicere posses: Mundum est cor meum, cum ipsum cor tuum tibi contrarii sit conscium?

Heu, fili! quale cor tuum! In peccato natum, tamdiu dæmonum receptaculum, tot maculis fœdatum ac deformatum, ad malum vehementer inclinatum et a superno bono misere alienatum, tam multas inordinatas fovens affectiones easque nutriens peccatorum procreatrices, mundo et seipso plenum, in rebus plerisque omnibus solens pro fine seipsum habere!

2. Mirum profecto, ut invitare me audeas, ad veniendum in tale cor, et residendum tot inter sordes.

Abominatio mihi cor pravum, cor autem sordidum mihi nausea: quomodo ergo me in eo manere delectaret?

Ego cor purum quæro: et omnes deliciæ meæ in illo habitare, ibique inter lilia recreari.

Qui igitur diligit cordis munditiam, mea fruetur præsentia, Cordisque mei experietur teneritudinem, et divinam dulcedinem.

3. Ne decipiaris, fili, existimando, bene esse

tibi, modo exterius te rite gesseris, si quidem ego præcipue cor intueor.

Quid vero tibi proderit, omnibus creaturis per exteriora placuisse, si per interiora displicueris mihi?

Si cor tuum fuerit immaculatum, totus immaculatus eris: ab intus enim ex corde procedunt malæ cogitationes, impuritates, furta, avaritiæ, dolus, blasphemia, denique mala omnia.

Fiat itaque cor tuum purum, et nihil impediet, quominus ad internam unionem meam dulciter pervenias, et pleno ore gustes, quam suave sit Cor meum.

Quodsi tantum exterius a malo declinaveris, nec peccatum ex corde tuo eradicaveris, numquam a vitiis liber eris: sed decies plus pullulabunt intus, quam foris vitare poteris; et cum exterius videberis stare, interiorum malorum pondere corrues.

4. Eja, fili mi, præpara mihi in corde tuo nitidum habitaculum, et ego veniens ero totus tibi, et tu totus eris mihi, eritque familiaritas mirabilis, et unio non nisi expertis nota.

Esto bono magnoque animo, ac statim incipe hoc omnis momenti opus: nullum senties verum gaudium, donec id compleveris.

Quod multos ab integra cordis purificatione impedit, metus est difficultatis.

Verum dolus est diaboli: hic enim vetus humanæ salutis inimicus, sciens, a vera totaque emundatione cordis pendere, non solum salutem et perfectionem tuam, sed etiam alienam, maxime autem gloriam meam, te ab illa prohibere omni ope nititur.

Noli attendere suggestiones artificis, qui non curat, utrum veris an falsis suum obtineat finem.

Sed ora, gratiam pete divinam: cum ea fortiter opus aggredere; et videbis omnes difficultates coram magnanimitate tua evanescere, ac in quibus rebus majores difficultates te reperturum esse credebas, in his majores consolationes attonitus invenies.

5. *V. D.* Oro et obsecro, Domine, cor mundum crea in me, et spiritum rectum innova in interioribus meis.

Totum cor meum inquinatum est sordibus: e corde infectæ sunt facultates animæ et corporis sensus. Eheu! Domine, quid est in me, quod macula careat, aut quod omnino purum sit?

Emitte, quæso, lucem gratiæ tuæ, et illumina mentem meam, ut omnia mala, quæ commisi, et bona omnia, quæ omisi, cognoscam ac defleam.

O quam me pœnitet, dulcissime Jesu, quod habitaculum tuum tam indigne violarim, quod te offenderim, quod Cor tuum afflixerim! Doleo, o summum bonum meum, doleo et detestor omnia peccata mea: confiteor malitiam et ingratitudinem meam: imploro Cordis tui misericordiam.

Domine, si vis, potes me mundare: lava me, quæso, ab iniquitate mea, et a peccato meo munda me. A delictis etiam occultis, et ab alienis purifica cor meum.

Veni, Jesu, veni ad cor meum, et fac tibi flagellum e funiculis sancti timoris, vividæque gratitudinis, et puri amoris, atque ejice omnes hanc domum tuam profanantes.

Ecce nullum illorum admittam amplius: domus tua, domus orationis vocabitur: ibi te colam, ibi te amabo, ibi me de te occupabo.

Imit. Chr. Lib. III. c. 31.

CAPUT SEPTIMUM.

Quod cor nostrum præsertim a peccato gravi, summo malo, debeat esse mundum.

1. *V. J.* Vide, fili mi, ne in corde tuo sit peccatum, quod mortem parit æternam.

Quomodo diligere aut hospitio in cor tuum admittere potes vel audes hostem capitalem, qui admissus, te indubitanter mancipium inferni, hominum miserrimum, imo ipsis entibus irrationalibus viliorem reddet?

Quam multi dicunt: Oh! quot mala desolantur terram! Veruntamen unum est malum, peccatum, nec est aliud præter ipsum.

Evita peccatum, et quidquid tibi acciderit, in tuum cedet bonum.

2. Mirum est, ens rationale ultro committere peccatum, quod natura sua tam detestabile ac indignum est, ut etiamsi nec cœlum daretur nec infernus, ob turpitudinem tamen intrinsecus inhærentem, fugiendum foret.

Si autem infinitam dignitatem offensi, et vilitatem infinitam offendentis consideraveris, peccatum esse malum quodammodo infinitum videbis.

Quicumque mortaliter peccat, Deum ipsum aggreditur, ac Deum ipsum tolleret, si tolli posset: neque per peccatorem stat, quominus cœli et terræ Deus destruatur.

3. Tantum malum est peccatum, ut ad infernale monstrum hoc perdendum, justitiæque divinæ satisfaciendum, ego, Filius Altissimi, e throno Majestatis meæ descendere, et factus homo, continuum per vitam martyrium subire, ac tandem in cruce doloribus confectus, expirare debuerim.

Ah! miser homo! quomodo illud ames perpetrare, quod mihi constitit tanti? Aut quomodo pro momentaneo oblectamento omnes labores, doloresque, et mortem acerbissimam meam renovare velis?

Si mortaliter offendis, criminis longe gravioris te reum facis, quam Judæi, tortores mei. Hi enim si me gloriæ æternæ Dominum cognovissent, me numquam morti tradidissent. Tu vero, tu me cognoscis: imo quis et qualis sim, tu scis beneficiorum meorum experientia.

Nonne, sola charitate, ego te non tantum creavi, et redemi, et conservavi; verum etiam semper, magis quam tenerrimus parens, te protexi, te curavi, te fovi?

Quidquid es, et quidquid habes, ego tibi dedi, ac super omnia tibi meipsum elargitus sum: et pro his omnibus mihi retribuis ista?

Ecce si animali ratione carenti abjectum cibi fragmentum projicias, quantum potest, gratum se exhibet. Ego autem tibi bona præstiti infinita, et tu versus, persequeris me usque ad mortem! Attende et considera, quid hinc tibi de te sentiendum sit.

4. O! fili æternæ dilectionis meæ, quem amavi, magis quam vitam meam, amplius peccare noli. Si diligis me, imo si diligis vere teipsum, fuge peccatum.

Quandocumque enim mortale admittis, supernaturaliter moreris; quidquid meritorum possederis, amittis; jus ad cœlestem hæreditatem perdis; dæmonibus fis cohæres inferorum; felicitati præfers infelicitatem, infernum cœlo, diabolum mihi.

Hæc meditare, fili mi, ut penitus discas, prout

humana mens capere valet, quantum malum sit peccatum; utque evites, quod solum te perpetuo miserum reddere potest.

5. *V. D.* O anima mea! en peccatum! Vere malum summum, deturpans hominem infra irrationalia, obstruens portas cœli, abyssum inferorum aperiens! O monstrum abominandum, horrendum millies magis quam ipse dæmon!

O Deus meus! rubesco fateri, et diffiteri non possum, me peccati factum esse mancipium abjectissimum, et per-summam insaniam, per summam ingratitudinem, per summam malitiam, cum ipso et per ipsum frequenter insultasse tremendæ Majestati tuæ, coram qua ipsi Angeli præ veneratione pavent.

Confundor penitus, cum vilior factus sim entibus rationis expertibus, patrando iniquitatem, quam ipsa ratio reprobabat, et omnibus facultatibus animæ, et corporis sensibus abutendo.

6. O Domine Deus! tu impressisti mihi amabilem tuam imaginem, et ego, ea tœdata, superinduxi horribilem imaginem diaboli; imo multipliciter diabolo horribiliorem me feci.

Ille enim, nulla præcedente vindicta, peccavit superbiens; ego, cognita ejus pœna, peccavi contemnens: ille semel in innocentia constitutus; ego multoties restitutus: ille se erexit contra eum, qui fecit ipsum; ego contra eum, qui me etiam refecit.

Miserrimus ego peccator, pro nihilo vel etiam pro re nihilo viliore, abjeci ultro amicitiam tuam, felicem animæ pacem, jus ad æternam beatitudinem; ac tradidi meipsum servum infelicem diabolo, participans amodo infortunium ejus, et par-

ticipaturus tormenta ejus sempiterna, nisi resipiscens, inveniam misericordiam in Corde tuo.

7. Vere, Domine Jesu! non sum dignus invenire misericordiam, qua toties abusus sum: non sum dignus servire tibi, cum factus sim servus diaboli. Si vis me tractare sicut merui, infernus domus mea est.

Sed, Deus, Salvator meus! in Corde tuo infinita est misericordia: id ostendunt ipsa peccata mea: nisi enim infinita esset misericordia tua, numquam tolerasses infinitum peccatorum meorum malum.

O Jesu! miserere mei, secundum magnam misericordiam tuam. Veniam rogo supplex, ac spero fore, ut mihi, misero peccatori, ignoscas. Doleo sincere de peccatis commissis, firmiterque statuo tibi deinceps fideliter servire ac te ferventer diligere.

Imit. Chr. Lib. III. c. 8. *No.* 1. 2. 3. *Et c.* 13. *No.* 3. *Et c.* 14. *No.* 1.

CAPUT OCTAVUM.

Quod etiam a minimo peccato cor nostrum purum esse debeat.

1. *V. J.* Fili, ab omni delicto munda cor tuum: et a macula peccati etiam minimi cave diligenter.

Nihil est, nihil esse potest, propter quod peccatum quantumvis leve committere liceat.

Quamvis ergo universum servare posses mundum, me vel in minima re offendere nefas esset, siquidem ego totum mundum infinite supero.

Nonnulli cavent a gravibus, levia autem sine scrupulo admittunt; indicium satis evidens, ipsos sui potius quam mei amore regi.

Sed miseri suo experientur damno, quantum seipsos fefellerint.

2. Quicumque enim spernit modica, paulatim ad magna decidet: ac cuncta putare parva sensim assuefactus, bene sibi adhuc esse existimabit, cum sine multo conscientiæ stimulo admittet magna.

Cum juvet insensatum in margine præcipitii incedere; juste fiet, ut pede labante in imam ruat abyssum.

Cave itaque veniale, si mortale committere nolis.

Tamdiu salutem tuam periculo expones, quamdiu noxæ etiam levissimæ indulges.

3. Plurimi videntur toto horrere corde, mortem meam per grave peccatum renovare, et tamen non cessant per leves culpas amaritudine amarissima afficere Cor meum, atque continuis affligere doloribus.

Ah! fili, vide etiam atque etiam, et attende diligenter, quid agas. Etenim dum vis parvum vulnus Cordi meo infligere, forsan errabis, ut accidit multis, et ictu letifero totum Cor meum perforabis.

O hebetudo cordis humani! Multi magis timent ultimum hominem offendere, quam me, Deum ac Salvatorem suum!

4. Quamdiu vel leviter peccare perges, male habebis, nec gustabis veram felicitatem.

Quodsi tibi cordi sit, ut decet, perfectio; nisi omne voluntarium evitaveris peccatum, in vanum laboras, quantumcumque aspires ad eam.

Etenim peccatum veniale charitatem minuit, ingerit teporem, actus corrumpit virtutis, gratiarum auxiliorumque specialium fontem obstruit, denique pedetentim animam privans bonis, relinquit inanem.

5. At vero propter quid plerumque tot tantisque malis homo se reddit obnoxium? nonne propter vanum aliquod commodum vel oblectamentum?

Sed attende, quantum verum incommodum secuturum sit, et quam graviter passurus sis in purgatorio.

Tormenta ibi patienda, quæ longe omnia hujus mundi supplicia, et cuncta vitæ mala excedunt: neque his exibis, donec solveris ultimum quadrantem.

Quam vehementer tunc dolebis, te etiam minimum admisisse peccatum, cujus causa cœlo excludi, et gravissime puniri te senties.

Noli, fili mi, noli frustrare Cordis mei desideria et conatus reddendi te felicem, nec tam inconsideratus sis, ut invito me infelix esse præferas.

6. *V. D.* Ergo, Domine, non parvum malum est peccatum veniale, cum offendat divinam Majestatem tuam, cum Cor tuum vulneret, cum animam gratiis auxiliisque specialibus privet, cum desiderandum impediat progressum, cum vitiet bona, cum viam sternat ad ruinam, cum salutem perditioni æternæ exponat, cum denique reum cœlo excludat.

Et ego hæc tanta mala reputavi parva! O quæ insania mea! Et quod pejus est, ego hæc commisi sine numero, sine mensura. Transgressiones meæ omnem computationem excesserunt.

Ubi terminus? Ecce quot animæ potentiæ, et sensus corporis, tot genera peccatorum: quot dona et beneficia tua, tot abusus aut ingratitudinis culpæ: quot occupationum species, tot turbæ delictorum. Eheu! quæ actio, etiam inter reli-

gionis vel pietatis exercitia, in qua non reperias defectum?

O anima mea, tam multa committimus ex inadvertentia, ex surreptione, ex fragilitate: nonne ista sufficere debebant? Num oportebat istis addere graviora ex negligentia, ex libera voluntate, ex malitia?

Hæccine reddimus Domino, cujus bonitate vivimus, cujus amori debemus quidquid sumus et habemus!

7. O Domine Deus, Salvator meus! si gravitate et multitudine delictorum meorum non prorsus perii, id Cordis tui benignitati debitum agnosco: imo misericordiæ, Domine, tuæ, quod non sum consumptus.

Infixus sum limo: dereliquit me virtus mea: contexerunt me tenebræ: defecit ipsum cor meum. Ecce profundius usque immersus sum, et præ languore me extricare non valeo. Quanta miseria mea!

O quis dabit capiti meo aquam, et cordi meo vigorem, ut plorem, ac moveam te, Domine, ad me eripiendum!

Miserere mei, bone Jesu! et libera me: munda et renova me totum.

Accende cor meum amore Cordis tui: hoc igne divino consume delicta mea: noli ea reservare igni purgatorii. Hic, quæso, hic ardeam et purificer igne dulcis amoris tui, non ibi flammis ignis pœnalis.

En, dulcissime Jesu, amore tui faciam quod timore hucusque non feci: amore tui omne vel levissimum peccatum vitabo.

Imit. Chr. Lib. I. c. 11. *No.* 6.
Et Lib. III. c. 4 *No.* 1. 2. 3. 4.

CAPUT NONUM.

Quod cor peccatoris nihil nisi amaritudinem infelicitatis gustare possit.

1. *V. J.* Charissime, si ad hoc perveneris, ut cor tuum non habeat quo te reprehendat, gaudeto, imo gaudeto, quia tibi pax, quasi flumen felicitatis.

Cor bonum beat animam, cœlum lætificat, territat infernum. Cor autem malum peccatorem replet infortunio, miseratione cœlicolas afficit, dæmones perfundit lætitia iniqua et exultatione.

Finge tibi omnes calamitates hujus mundi possibiles, numquam imaginaberis tantas, quantas in corde ferunt peccatores.

Quam gravis, quam abjecta servitudo peccatoris! quot et quantis vinculis constrictus est sub heris vilissimis, dæmone scilicet ac passionibus tyrannicis!

Habet ligatum intellectum vinculo stupidæ ignorantiæ, ne videat veritatem: ligatam habet voluntatem vinculo execrandæ malitiæ, ne diligat bonitatem.

Circumfert secum sensus ligatos vinculis concupiscentiæ, ne sequatur honestatem: totus deprimitur pondere vinculorum cupiditatum, ne suavem attingat gratiæ libertatem.

2. Quis insipientior est quam peccator, qui ipse summæ miseriæ suæ causa est?

Si in terra sit anticipatio inferni, est utique in corde improbi, qui passionum igne accensus, omnes malæ conscientiæ patitur cruciatus.

Quomodo umquam vere lætari potest, qui novit,

si vitæ rumpatur fragile filum, se ad profundum inferni præcipitatum iri?

Nescio profecto, quomodo audeat se quieti nocturnæ committere, qui ignorat, an non reprobus in æternitate expergiscendus sit!

3. Non potest cor humanum non affectare felicitatem: sed peccator effrenato indomitoque animo cæce proreptus, felicitatem quærit, ubi solum major invenienda est infelicitas.

Quidam existimare videntur cupiditatibus se satisfacturos, illis plene indulgendo, ac tandem illis expletis, se pacem habituros. Quantus error!

Quis enim ut incendium extinguat, nova injiciet ignis alimenta? Nonne sic adaugeret, nedum restingueret?

Licet aliquis animæ salutem ac corporis vigorem passionibus sacrificet, adhuc minus contentæ, clamitabunt: Tuæ sumus, nutri nos.

O si pateret cor peccatoris, quot miseriæ, et quam abominanda objecta ibi cernerentur! Verumtamen omnia aperta et perspicua sunt mihi, quem fallere non valet, quamquam homines decipere possit.

4. Ad hoc quandoque venit cor malis habitibus obnoxium, ut nihil cogitet, nihil diligat, nihil sapidum inveniat, nisi quod cupiditatibus gratificari potest: ac tametsi sciat ad abyssum infelicitatis se properare, non curet, at, velut stupidum animal, cursitet post concupiscentias suas, calcans non bona æterna solum, sed etiam honestatem, et honorem, et vitam ipsam.

Peccator inimico non indiget, ut lædatur aut torqueatur: ipse sibi inimicus maximus, ac crudelissimus tortor est.

Quibus se delectare sibique gratificari quærit, ex iisdem multifaria tormenta recipere solet.

5. Quomodo pace fruatur, qui intra se turbationis causam fovet? aut quomodo vel semel libere spiret, qui servus est diaboli?

Qui Satanam in throno cordis sui sedere ac dominari sinit, quam infelix esse debet!

Beatus, qui numquam expertus est servitutem dæmonis! qui numquam gemuit sub onere compedum peccati!

Fili, si nondum sensisti infortunium status peccati, cum toto lætare cœlo, et noli umquam tentare, quid sit servire diabolo.

Si autem misere subjaces illi, miserere animæ tuæ, exardescens abjice jugum ejus, rumpe vincula, fruere libertate filiorum Dei.

6. *V. D.* O Domine, quanta infelicitas status peccati! Quam vere infelix anima, quæ est in statu hoc miserrimo! Quæ pax, quod gaudium illi esse potest, cum te omnipotentem et omnia scientem habeat sibi inimicum! cum se e Corde tuo, ultimo asylo suo, proscriptam noverit! cum quovis momento se in ignem æternum detrudi posse, sibi conscia sit!

Quam vere infelix, cum cœlum aspicere non possit, quin videat se jus ad ipsum perdidisse! cum nec circumspicere valeat, quin sibi videatur exprobrari, et quocumque casu perterreri incipiat! cum nequeat dejicere oculos, quin tacite admoneatur, infernum esse domum suam!

Quam vere infelix, cum in proprium cor reverti non possit, quominus Satanam ibi reperiat, quominus ibi tamquam in anticipato torqueatur inferno, ubi nihil læti, nihil consolatorii, sed ubi-

que horrores, et tenebræ, et timores, et cruciatus!

O anima miserrima! quantum mutata es ab illa, cum cœlesti gratia decorata, adoptione divina nobilitata, adeo pulchra, adeo magna esses, ut Sanctis et Angelis injiceres admirationem tui!

Quantum peccato deformata! quam abjecta! quam vilis tota! facta es abominatio cœlicolis omnibus.

7. O Jesu! utinam quod misere factum est, vere infectum reddere possem, etiam pretio vitæ meæ! utinam in tantum infortunium numquam incidissem, sed prius vitam meam, quam tuam gratiam amisissem!

O beatos illos, qui numquam perdiderunt innocentiam suam! qui infelicitatem status peccati numquam experti sunt!

Redde mihi, precor, stolam primam: restaura mihi innocentiam: et ecce in novitate vitæ tibi ita serviam, ut illam custodiam tibi immaculatam omnibus diebus usque ad finem.

Imit. Chr. Lib. I. c. 6. *No.* 1. 2.
Lib. II. c. 6. *No.* 1. *Lib. III. c.* 12. *No.* 5. 6.

CAPUT DECIMUM.

Quod cor Jesu omnes, etiam peccatores, advocet.

1. *V. J.* Venite ad me, omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos.

Qui justus est, veniat ut justificetur adhuc: qui tepidus est, veniat ut fervescat: qui peccator est, veniat ut mundetur et sanctificetur.

Heu fragilitas humana! Quis est homo, qui non peccarit? Quicumque enim dixerit, se peccatum non habere, ipse se seducit, et veritas in ipso non est.

2. Fili mi, si te peccatis oneratum, aut defectibus laborantem sentias, ad Cor meum propera: hic liberaberis, hic respirabis.

Ne te deterreat magnitudo malorum tuorum, aut magnitudo Majestatis meæ: non veni vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam.

Quanto majoribus miseriis subjectus es, tanto magis tui misereor: ac quo ægrior es, eo plus opus habes medico.

Non stupeo miseriis tuis; novi enim figmentum tuum et cor tuum. Si in majora mala non cecideris, id gratiæ meæ præcipue debes.

Hoc autem miror, quod cum ad te curandum me offero, nolis curari, aut si velis, de bonitate mea dubitare videaris.

Ah fili! ne Cordi meo hanc acerbissimam injuriam inferas. Cor enim meum amat condonare, nec condonando lassatur.

Vide, quanta bonitate peccatores vere pœnitentes tractem, ut amicus peccatorum nominatus fuerim.

3. Ubi est cor, quod amat sicut Cor meum? Nemo hominum majorem charitatem habet, quam ut animam ponat pro amicis suis: ego autem, Filius Dei, hac majorem habeo, cum posuerim animam pro inimicis.

Quis umquam prior dilexit me? aut quis umquam affectus suos mihi dedit, qui non ante expertus esset effectus dilectionis meæ?

4. Cum plurimi innocentiam prius amittant, quam quid sit innocentia, aut quod ejus sit pre-

tium, plane cognoscunt; magna Cordis mei gloria est, etiam de cordibus illorum triumphare, et ex peccatoribus facere sanctos.

O si cognosceres charitatem Cordis mei, tunc intelligere posses, quam tenere diligat animas fideles, et quam suaviter urgeat peccatores.

Quis suffert, et Cor meum non compatitur? Quis peccat et Cor meum non afficitur? Quis infirmatur, et Cor meum non præbet remedium? Quis miser est, et Cor meum non sensit? Quis denique in mundo, cui Cor meum non benefaciat?

5. Ego sum Pater bonus, qui filios in cruce genitos complector amore Cordis, quod illis apertum manet, ut omni tempore habeant asylum, non qualecumque, sed ipsum affectionum mearum centrum.

Illis dormientibus, vigilat Cor meum ad custodiam: illis vigilantibus, vacat ad conservationem.

Tantus est erga ipsos amor, quo ardet Pectus meum, ut singulos diligam et foveam, ac si essent unici.

Quodsi quis abeat, ab inimico seductus, quasi de morte unigeniti dolet Cor meum. Amore sequor fugientem, invito, urgeo, promitto. Si autem noluerit audire, patientiam habeo, sto ad ostium cordis ejus, frequenter pulso.

Tandem si ad me redire decreverit, advolo obviam illi, et Pectori apprimo, exultante Corde meo, quod filium, quem tamquam mortuum luxerat, vivum incolumemque apud se videat.

Præ gaudio totum convoco cœlum, ut mihi congratuletur, et mecum exultet.

6. Si ergo vis Cor meum recreare, cœlumque exhilarare, et refrigerare animam tuam, convertere ad me toto corde.

Quisquis fueris, sive gravis sive levis peccator, veni ad Cor meum, et invenies hic omnibus malis tuis medelam.

Confide, fili mi, et noli timere: ego te voco, non ut exprobrem, verum ut deleam iniquitates tuas.

Veni, fili, veni: ecce expansis brachiis, et Corde æstuante, te expecto.

7. *V. D.* Ecce, dulcissime Jesu, ecce accurro, tanta bonitate Cordis tui excitatus ac confisus.

Veniens clamo et precor: excipe clementer filium tuum prodigum, de terra longinqua revertentem, peccatis squalidum, repletum miseriis.

Non sum dignus vocari filius tuus, cum tam indigne te reliquerim, tam graviter te dehonoraverim, usque adeo te afflixerim.

Peccavi in cœlum et coram te: reus inter brachia tua ruere non audeo: ecce ante pedes tuos in pulvere me prosterno, Cor tuum paternum appellans, veniam implorans.

En tu me revocstai fugientem: tu me quæsivisti perditum: tu me tolerasti bonitate tua abutentem: tu me mira suavitate movisti ad revertendum: tu me tandem revertentem in hac misera conditione non tantum recipis, sed o etiam amplecteris! O Jesu! O tam pater nemo.

Gaudeant et lætentur mecum Angeli Sanctique omnes: sed et mecum laudent et superexaltent misericordiam tuam in æternum.

Ecce nunc tuus sum in perpetuum: usque fidelis diligam te, Domine, et amore tui exequar omnes voluntates tuas.

Imit. Chr. Lib. I. c. 22. *No.* 1. 2. 3. 4. 5.

CAPUT UNDECIMUM.

Quomodo purificatio cordis suscipieada sit.

1. *V. D.* Infinita sunt, Domine, quæ me ad perfectam emendationem urgent. Cœli promittunt, minantur inferi, terra quovis momento in æternitatem me mittere potest.

Sed et cor meum donis tuis onustum, propria etiam impulsum miseria, infinita denique bonitate Cordis tui attractum, me incitare non cessat.

Quomodo autem tantum exequar opus? Nam etsi debere videam, efficere tamen non reperio.

Tu, quæso, bone Jesu, doce me modum vere me emendandi ac reformandi. Omnis gloria inde proventura, tibi erit et amantissimo Cordi tuo.

2. *V. J.* Fili, si vis cor purificare, indeque vitiosa extirpare, animo magno et corde generoso opus ordire.

Habe bonam fixamque voluntatem te corrigendi, et numquam cessandi ad emundationem perfectam niti; ac simul desiderium fove sincerum gratiæ divinæ cooperandi ductumque ejus sequendi: atque conatus tui tandem prospero successu coronabuntur.

Hoc primum et maximum a parte tua medium, a quo cætera vim efficaciamque habebunt, ac sine quo reliqua, licet in se potentissima, vix quidquam efficient.

Voluntas hæc efficax semper conandi, per gratiam, cor bene purificare purumque servare, prima est spes futuræ cordis puritatis, primum signum futuræ perfectionis, prima res, qua futuri Sancti dignoscuntur, imo vero prima nota verorum Cordis mei discipulorum.

3. Hac animæ dispositione ad opus accinctus, sumito ignem, eoque cor tuum incende, ut peccata et vitia inibi existentia comburas.

Intellige, fili, quæ dico. Hortum plantis herbisque noxiis hyrsutum, rebusque squalidis deformem habens purgandum, purgabis quidem, si instrumentis labores, si singula noxia excidas, si tandem omnia evehas aut ejicias; sed opus non perficies, nisi tempore longo et duro labore.

Si vero ignem apponas, ecce facile brevique totum hortum videbis purgatum.

Quinimo hortus ipse ex combustione fertilior invenietur et aptior ad flores producendos et fructus.

Simili quodam modo, fili, cor tuum, horto isti comparabile, multo expeditius ac facilius purificabis, igne divini amoris utendo, quam aliter operando.

Atque ipsum cor inde reperies melius dispositum ad producendos virtutum flores ac fructus sanctitatis.

4. Ignem autem istum e Corde meo obtinebis, si ad illud per orationem vadis, si non ore solum, sed etiam mente oras.

Si enim ex animo ponderas inferni aut purgatorii pœnas, quas toties meruisti: si attente perpendis divina in te beneficia mea, et omnem ingratitudinem tuam:

Si diligenter meditaris divinas, infinitasque, et omni amore et honore dignas perfectiones meas, et tuas in me offensas omnimode indignas:

Si etiam me contemplaris, amore tui exhaustum laboribus, tanta passum pro peccatis tuis, in cruce pendentem manibus extensis, Pectore aperto tibi:

Si demum in ipsum Cor meum ingrederis, et consideras, quo usque Cor illud innocens ob delicta tua doluerit, ac quomodo propter ea confectum et consumptum fuerit:

Si simul per frequentes affectus petitionesque fervidas cor tuum ad meum veluti applicas:

Procul dubio, in oratione exardescet ignis, divini amoris æstus.

5. Ex hoc amore contritionem elicito, dolorem scilicet de omni peccato commisso, ac propositum non peccandi de cætero.

Nemo, fili, remissionem obtinet peccatorum, nisi ea doluerit; nec quisquam a vitiis curatur, nisi oderit illa.

Quantum ergo potes, tantum corde dolens detesteris et oderis peccata et vitia tua, quæ majora sunt omni detestatione et odio, nec nimium detestari ac odisse sufficis.

Quo magis ex divino amore dolorem istum elicueris, eo perfectiorem habebis contritionem, etiamsi hanc actu non sentias.

Et quo purius peccata tua voluntate sincera dolueris ac detestatus fueris, eo de commissorum remissione certior, atque a novis committendis tutior eris.

6. Signum veræ contritionis de commissis habes certum, si a novis committendis abstines.

Semper igitur firmum habe servaque propositum vitandi, quidquid mihi displicere noveris, ac patiendi potius omnia hujus vitæ mala, quàm ut peccatum voluntarium admittas.

Cave autem, ne teipsum decipias, imaginando, propositum qualecumque sufficere. Non enim sufficit vagum desiderium: non sufficit aliquid ex con-

suetudine vel propter formam statutum: non sufficit inefficiens propositum, quo quis velle et non velle videtur, cum, ut ipse fingit, velit non amplius peccare, et tamen nolit media ad peccata vitanda necessaria actu adhibere.

Oportet, fili, ut propositum sit vere sincerum, fixumque, et efficax, quo movearis ad utendum mediis, quæ ab iterum peccando præpediant.

Ad hoc autem ut propositum istud serves usque vivum, id sæpe renova, ora frequenter, exercitiis spiritualibus fove devotionem: ita demum gratiam tibi procura specialem, qua facilius constans fias, et perseveres.

7. *V. D.* Vere, Domine, cor meum sicut terra desolata, in qua noxia sine numero vegetant aut corrupta jacent.

Magnum opus, cor his omnibus purificare: et ecce per me solum nihil salutare facere valeo.

Sed adjuva me, obsecro, efficaci potentique gratia tua, qua tantum negotium feliciter perficiam.

Ardenter enim desidero opus tam necessarium, tam utile, tam sanctum, complere juxta directionem tuam, nec illud prius relinquere, quam actu absolvero.

Noli pati, optime Jesu, ut in illo umquam torpeam aut negligens fiam. Confiteor enim, me ad animo deficiendum esse pronum, meque solere, etiam cum sedulo incepi, sensim ad incuriam decidere.

At excita me, stimula me, punge me fortiter, nec sinas me cessare laborem, donec opus ad optatum exitum deduxero.

Imit. Chr. Lib. I. c. 19.

CAPUT DUODECIMUM.

Quod sanctum Pœnitentiæ Sacramentum facile sit et efficax medium, ad se a peccatis et vitiis purgandum.

1. *V. J.* Cor meum, fili, sciens, eam esse mortalium fragilitatem, ut in terra sine peccato non vivant, salutare invenit medium, quo, si bene utantur, non solum peccati remissionem obtineant, sed etiam gratiæ accipiant incrementum.

Fidelis est enim Deus, ut, secundum verbum suum, remittat peccata confitentibus, ac gratiam det orantibus, et melius vivere quærentibus. *(1. Joan. 1. 9. et 5. 14.)*

Quid fieret de plerisque hominibus, si non esset Confessio? Quam pauci salvarentur! Et quot illorum, qui cœlo aut jam gaudent, aut aliquando gavisuri sunt, damnarentur!

2. Ast ego Ecclesiæ idcirco dedi potestatem, ut quorum remiserit peccata, remittantur eis, et quorum retinuerit peccata, retenta sint eis. *(Matth. 18. et Joan. 20.)*

„Si igitur forte alicujus cor vel livor, vel infidelitas, vel aliquid aliud peccatum latenter irrepserit, non erubescat confiteri hæc ei, qui præest, ut ab ipso per verbum Dei et consilium salubre curitur.“ *(S. Clemens Romanus, Seculo I.)*

„Si vero de Exomologesi retractas, gehennam in corde considera, quam tibi Exomologesis extinguet. Igitur cum scias, adversus gehennam, post prima illa intinctionis Dominicæ munimenta, esse adhuc in Exomologesi secunda subsidia, cur salutem tuam deseris? Pœnæ prius magnitudinem ima-

ginare, ut de remedii adeptione non dubites." *(Tertullian. Sec. II.)*

„Est enim, licet laboriosa, per pœnitentiam remissio peccatorum, cum lavat peccator in lacrymis stratum suum, et cum non erubescit sacerdoti Domini indicare peccatum et quærere medicinam." *(Origen. Sec. III.)*

„Appetenda est hæc omnibus Confessionis medicina, quoniam majori periculo vexatur anima quam corpus; et quamprimum latentibus morbis adhibenda est curatio." *(S. Lactant. Sec. IV.)*

„Confitere: exeat in confessione et defluat omnis sanies: quod reliquum est, facile sanabitur. Times confiteri, qui non confitendo esse non potes occultus? Deus omnia sciens, ad hoc exigit Confessionem, ut liberet humilem: ad hoc damnat non confitentem, ut puniat superbum." *(S. Augustin. Sec. V.)*

„Sic autem confitere, ut ad peccata non redeas: tunc namque prodest peccati Confessio, si confessus peccator, quod male fecerat, ultra non faciat." *(S. Fulgent. Sec. VI.)*

„Desinendum est ergo a peccatis, dum Confessio facta est: Confessio autem præcedit, remissio sequitur." *(S. Isidor. Sec. VII.)*

Etenim „Ecclesia, quæ fundatur in Christo, ab ipso accepit potestatem solvendi peccata." *(V. Beda, Sec. VIII.)*

„Si ea confiteri noluerint, Deum, quem habent testem, ipsum habituri sunt et ultorem." *(Haymo, Sec. IX.)*

„Non publice peccata recitanda: sufficit solis sacerdotibus conscientiarum delicta indicare Confessione secreta." *(Luitprand. Sec. X.)*

Itaque „ut confiteatur peccator, ratio movet. Deus cogit.“ *(S. P. Damian. Sec. XI.)*

„Confessio enim necessaria est peccatori; et justum nihilominus decet.“ *(S. Bernard. Sec. XII.)*

„Confitendum est tripliciter: sine palliatione, sine excusatione, sine dilatione.“ *(S. Bonaventura, Sec. XIII.)*

„Pœnitens itaque accuset se coram sacerdote, cum vivo sensu doloris, ac firmo proposito se emendandi, et adimpleat opera quæ fuerint injuncta.“ *(Thauler. Sec. XIV.)*

„Sacramentum est enim Pœnitentia, cujus quasi materia sunt actus pœnitentis, qui in tres distinguuntur partes. Quarum prima est cordis contritio: secunda est oris confessio: tertia satisfactio.“ *(Concil. Florent. Sec. XV.)*

En, fili, quomodo ab initio fideles, omnium temporum omniumque mundi partium, Sacramentum hoc dulce et salutare coluerint atque observarint.

3. Quid melius, quam rite confiteri? Per Confessionem enim homo liberatur a culpis, in gratiam redit mecum, cordis recipit pacem; ut qui prius angore cruciatum se senserat, postea se tranquillum ac beatum reperiat.

Sacramentum Pœnitentiæ, animæ remedium, quo curantur vitia, tentationes fugantur, dæmonis destruuntur insidiæ, infunditur nova gratia, pietas augetur, virtus magis magisque stabilitur.

Per Confessionem anima redipiscitur jura sua, quæ peccando amiserat, et recuperat pulchritudinem suam, quam deformaverat iniquitas.

4. Accidit autem, ut peccator ad hoc divinæ misericordiæ Sacramentum accedens, pudore aut

timore motus, se in barathrum Sacrilegii conjiciat, ac jam sit, non peccator tantum, verum peccati monstrum horrificum.

Num poteris, homo nefande, latere mihi? Num poteris efficere, quominus in imam te detrudam abyssum, quam ipse tibi fodisti?

Tu Sacrilege occultas peccata Confessori, qui divinis et humanis legibus arctissimis ad silentium sempiternum et omnimodum obstringitur! ast ego manifestabo coram facie tua, non uni homini, non uni nationi, sed cœlo et terræ, omnibus qui umquam exiterint.

Tunc præ confusionis excessu vocabis montes, ut operientes te, pudori te subtrahant; imo abscondere te voles in infernum; sed non poteris, sed stabis ad aperte sustinendum omnem confusionem ac pudorem meritum.

Insipiens homo! non habuisti pudorem peccandi ad tuam perditionem et ignominiam, cur habes confitendi ad salutem et gloriam tuam?

Sed attende, cur hæsites evolvere conscientiam tuam illi, qui a me constitutus est, et locum meum erga te tenet?

Confessorem quidem ut meipsum intueri debes, dum coram ipso pœnitens sisteris, quia tum profecto meam gerit personam, meamque potestatem habet.

Cæterum et ipse homo est, suasque habet miserias, et ipse, æque ac tu, confiteri debet: quod ei tanto difficilius est, quanto pro sublimi statu suo perfectior esse debet.

Ita sapientissime sanctissimeque constitutum est divinitus, ut sacerdotes non minus quam laici, omnes, qui a peccatis gravibus liberari velint, ad

Confessionem teneantur: utque sacerdotes, quorum munia sancta omnimodam postulant sanctitatem, se a levioribus etiam purificare frequenti Confessione præcipue deceat.

Hac ratione et laici majori libertate ac fiducia sacerdotibus confitentur, atque sacerdotes discunt experientia compati miseriis illorum, infirmari cum infirmis, flere cum flentibus.

5. Sed sunt qui satis candide confitentur, nec tamen vere emendantur; quia se corrigere sincero corde non nituntur.

Alii ex necessitate, alii ex respectu humano, alii etiam ex consuetudine quadam ad Pœnitentiæ Sacramentum accedunt: nec mirum, si ita accedentes nullum aut parvum fructum referant.

Tu, fili, salutem tuam ac meum beneplacitum ante oculos habens, unamquamque Confessionem fac, quasi vitæ tuæ foret ultima: sicque mirabiles experieris et dulces effectus.

6. Attamen nosce teipsum, fili mi, et scito, te sæpe impulsum iri in illa, quæ te fecisse dolueris, et vitare statueris.

Noli ideo despondere, fili, aut nimium contristari. Isti enim, non malitiæ sed fragilitatis effectus, atque indeliberata potius quam voluntaria delicta erunt.

Inde vero disce et benignitatem Cordis mei, quod semper paratum est tibi condonare, et miseriam tui cordis, quod ad malum usque propendet, et frequenter te trahit.

Vide tamen, ne ob hanc magnam infirmitatem tuam, Confessionem negligas: verum quanto te sentis infirmiorem, tanto frequentius ad eam recurre.

7. Nonnulli Confessionem in metu habent, qui non accedunt nisi trepidantes.

Ecce maximi peccatores, æque ac maximi Sancti, ibi consolationem inveniunt: et tu anxietate torqueris!

Ibi mortui reviviscunt, vivique abundantius vivunt: tu autem cur tremis, quasi ad mortem aut ad supplicium ires?

Erras, fili, erras; non enim ad tormentum, sed ad solatium hoc saluberrimum institutum est Sacramentum.

8. Omitte igitur omnem agitationem et anxietudinem. Etenim non Deus commotionis sed pacis sum; non cordis perturbatione sed bona voluntate delector.

Fac quod in te est, ac sincero corde, ut potes, confitere: posthæc mane in pace, nec turberis inimici aut imaginationis suggestionibus.

Cor meum, fili, refugium peccatorum. Quotiescumque huc aliquis confugerit corde contrito et humiliato, non rejiciam neque despiciam.

Fiducialiter ergo frequenta divinum hoc balneum, in quo Cor meum sanguine suo lavabit animam, et amplius lavabit, donec munda et pura sit tota. *)

---

*) Hoc illustrare licet mirabili sane ac consolatorio facto, quod in vita S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis legitur. Cum die quadam hæc sancta Virgo in monasterii sui ecclesia, ubi tum Confessiones audiebantur, cor suum coram Jesu in Tabernaculo præsenti effunderet, et mox divinis communicationibus absorberetur, subito mundum spiritualem sibi quodammodo revelari percepit. Videbat enim singulas pœnitentium animas, quales erant, dum confitebantur. Cum vero Sacramen-

9. *V. D.* O Jesu optime, quam salutaris, quam consolatoria Cordis tui inventio, hoc Pœnitentiæ Sacramentum! Quam stupenda dignatio, quam miranda suavitas, ut e Cordis tui sanguine divinum facias balneum, quo nos mundes a peccatis nostris!

Nisi Cor tuum invenisset secretum hoc, omni solatio plenum, quis id umquam excogitasset? Et nisi id protulisses, quid de nobis, quid de me fieret?

Gratias tibi, dulcissime Jesu! gratias tibi mecum agant Angeli et Beati omnes, universi populi et linguæ, pro eo quod hoc vivificum, hoc sanctificum instituëris Sacramentum, quo terræ incolæ rei salvantur, et numero Sanctorum impletur cœlum.

Ut autem tanto beneficio non abutar, at omnem ex eo desiderandum colligam fructum, ecce non frequenter solum, sed diligenter etiam confitebor: quasi me ad mortem præparans, actus

---

talis absolutio dabatur, eo momento videbat divinum Jesu sanguinem mystice super singulas fluentem, easque ita lavantem, ut incredibiliter puræ essent et pulchræ. Porro si talis sit effectus unius Confessionis, qualis erit, quæso, effectus Confessionis frequentis! Si anima tam pura, tam pulchra redditur, cum semel lavatur Cordis Jesu sanguine, qui in Pœnitentiæ Sacramento applicatur, quam pura et quam pulchra tandem fiet, si sæpe lavatur! Lintea rudia, et etiam sordida, sæpe repetita lotione, non solum nitida, sed etiam alba sicut nix redduntur. Nonne igitur anima, si frequenter divino Jesu sanguine lavatur, tandem fiet omnino pura et ineffabiliter pulchra? Hæc certe piissima cogitatio amorem erga Pœnitentiæ Sacramentum in te augere, teque, dum illud actu suscipis, suaviter occupare plurimumque consolari potest.

veri doloris et boni propositi, cum pace quidem, at simul cum sinceritate, prius eliciam semper, quam Confessionem faciam: eo candore Confessori eloquar omnia, quo eloquerer tibi ipsi, si te oculis viderem: attente et devote pœnitentiam injunctam quam primum absolvam: denique gratus esse, novo fervore, corde puriori vivere tibi conabor.

O Jesu! quanta consolatio, quanta dulcedo experienda, cum in hoc misericordiæ tuæ Sacramento anima mea lavatur et purificatur sanctissimo ac purissimo Cordis tui sanguine! O sæpe lava me, quæso et penitus mundabor: amplius lava me, et super nivem dealbabor.

Imit. Chr. Lib. I. c. 21.
No 1. 2. 3. 4. 5. 6. *et c.* 22. *No.* 6. 7.

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

Quod Deo confidere de peccatorum remissione debeamus, postquam quod moraliter in nobis erat, sincere fecimus.

1. *V. J.* Ut vivo ego, nolo mortem peccatoris, sed volo ut convertatur et vivat.

Si peccator egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, et custodierit omnia præcepta mea, vita vivet et non morietur.

Impietas impii non nocebit ei, quacumque die conversus fuerit ab impietate sua: peccata, quæ peccavit, ei non imputabuntur.

Cur igitur turbaris, fili mi, aut inordinate times? Etenim non sum ego quasi homo, ut mentiar aut muter. Dixi ergo, et non faciam? promisi, et non implebo? juravi, et non ero fidelis?

Quid dubitas, homo modicæ fidei? Amen: cœlum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt.

2. Ecce Deus, Pater cœlestis, qui pro salute tua proprio Filio non pepercit, sed pro te, non minus quam pro cæteris, tradidit illum; quomodo non etiam cum illo omnia dedit, veniam, perseverantiam, paradisum, dona omnia?

In omnibus proinde dives factus es in me, unigenito Dei Filio, ita ut tibi nihil desit in ulla gratia. Nam ubi abundavit delictum, ibi superabundavit gratia.

Adeas ergo cum fiducia ad thronum gratiæ, ut ea consequaris, quæ tibi opus sunt.

3. Fili, ego de cœlo descendi, ut faucibus inferni eriperem te: ego tota vita passus sum, ut tu tota æternitate beatus esses: ego ad mortem ultro condemnatus fui, ut tu liberareris a morte sempiterna: hæc autem omnia tibi feci, cum mihi inimicus esses; quid igitur non faciam, vel quid recusem tibi, cum me diligis?

Si te delicta tua terrent, scito, fili, merita mea infinita infinite magis valere ad salvandum te volentem, quam delicta tua ad perdendum te metuentem.

Quodsi ob culpas tuas metuis judicium, memento, me, Salvatorem tuum, qui ad dexteram Dei Patris etiam interpello pro te, tuum fore Judicem.

4. Dilata itaque cor tuum in Spiritu Sancto, quem in divinæ misericordiæ Sacramento accepisti. Spiritus ille charitatis, ignis consumens, reliquias peccatorum destruet, et foras mittet timorem inordinatum.

Si fuisses peccator maximus, ut latro mecum crucifixus; si, velut Paulus, me persecutus fuisses; si etiam apostata, sicut Petrus, fuisses; ecce si semel rite confitearis, et Sacramenti fruaris effectu, remissa sunt tibi peccata tua omnia.

5. Quare tristis es, fili mi? et quare conturbas te? An me credis dominum durum, cui vix satisfieri possit?

Falleris, fili, vehementer falleris. Nam ecce nonne ego Pater, cujus Cor ipsa bonitas est? Hoc nonne scis? nonne expertus es?

Ne ergo inhonores me, neque mê blasphemes, attribuendo mihi quæ tam injuriosa sunt.

6. Fili mi, non accepisti spiritum servitutis iterum in timore: sed accepisti spiritum adoptionis filiorum Dei, quo ames, et compelles me: Abba, Pater!

Noli igitur timere, fili; noli misere perdere tempus, te angendo, quod consumere feliciter debes, amando me. Non enim angorem requiro, sed amorem.

Confide, fili mi, confide, peccata tua tibi esse remissa. Jam solum conare, ut quanto plura tibi dimisi, tanto plus me diligas.

7. *V. D.* O Jesu! O amor! O vita mea! quam dulcia, quam melliflua mihi e Corde tuo profers!

O Domine Deus! tu mihi lavasti, non pedes, non manus, non caput tantum, sed et animam, et me totum, idque proprio sanguine tuo!

Et ecce projecisti peccata mea in profundum maris, in abyssum misericordiæ Cordis tui, ubi disparuerunt e conspectu tuo.

O Jesu! num possim umquam immemor esse miserationum tuarum, quibus ita vivificasti me!

Misericordias tuas, Domine, in æternum cantabo: in seculum seculi laudabo Cordis tui bonitatem.

8. Benedic, anima mea, Domino, et, omnia quæ intra me sunt, Cordi sancto ejus. Ita, benedic, anima mea, Domino, et noli oblivisci omnes retributiones ejus.

Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis: qui sanat omnes infirmitates tuas.

Non secundum peccata nostra fecit nobis, neque secundum iniquitates nostras retribuit nobis: sed secundùm multitudinem miserationum Cordis sui delevit eas.

Quomodo miseretur pater filiorum, sic nostri misertus est Dominus; quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia ejus.

9. Dilige Dominum, o anima mea, ama Jesum, ama multum; quia multa tibi dimisit peccata.

Ament minus quibus minus dimisit: tu magnitudine amoris tui ejus bonitatis magnitudinem compensare cura.

Imo, dulcissime Jesu, imo totis te amabo viribus: nec amplius teram tempus, cor meum, tuum nunc regnum, turbando; sed impendam melius, et mihi utilius, et gratius tibi, diligam te omni tempore: semper amor tui occupatio mea. In pace in idipsum dormiam et quiescam.

Imit. Chr. Lib. I. c. 5. *No.* 1. 2. *et c.* 25. *No.* 1. 2.

CAPUT DECIMUM QUARTUM.

Quomodo a relapsu cavendum sit.

1. *V. J.* Fili, peccasti? non adjicias iterum; sed ita futura præcave, ut ad pristina non redeas.

Cum dæmon ex corde fuit ejectus, vadit et assumit secum septem alios spiritus nequiores se, et revertens, iterum ingredi tentat. Si non obstat homo, intrant inimici, et fiunt novissima hominis illius pejora prioribus.

Oportet igitur te omnimodo resistere tentationibus diaboli, si nolis fieri præda inferni.

Noli affligi aut tristari, fili, eo quod variis tentationibus oppugneris invitus; gaude potius et confortare. Signum est enim, te in statu esse gratiæ, partesque meas sequi.

Si a diabolo stares, utique ipse quod suum esset, non impugnaret; sed quia stas a me, ideo te tentat, atque in suas partes trahere nititur.

2. Fili, tentari non est prævaricari; imo vero quamdiu displicet, meritum est divina mercede dignum.

Quantumvis igitur abominanda suggesserit inimicus, ne te perturbes; ac quantumcumque vehementer te ad malum sollicitaverit, ne credas, te a me esse derelictum.

Numquam tibi propinquior sum, magisque paratus ad te adjuvandum, quam dum in istis es tentationibus.

Quando tentaris, fili, ego adsto certaminis spectator et auxiliator, quo animante et adjuvante possis non sustinere tantum, sed etiam gloriose triumphare.

Esto igitur expeditus ad certamen: nemo enim coronabitur, nisi qui legitime certaverit; qui autem vicerit, accipiet coronam vitæ.

3. Cum inter hostes verseris a dextris et a sinistris, et intus et foris expositus sis aggressibus; sic armis instructus esse debes, ut inermem te numquam inveniant.

Habe cor tuum elevatum et unitum meo, cum deliberato generosoque proposito cuncta patiendi, imo et in bello moriendi potius, quam ut mihi tergum vertas. Aliter enim non bene poteris obstinationem prœlii sustinere tutus.

4. In hac pugna duo tibi necessaria sunt armorum genera, altera ad tegendum, ad nocendum altera.

Arma, quibus tegaris, præbebit humilitas. Per hanc itaque virtutem omnino diffide tibi, omnemque fiduciam in me colloca: et exploratum habens propriam fragilitatem tuam, evita, quantum potes, omnes occasiones periculosas.

Inexcusabilis enim et confusione digna foret præsumptio, illas quærere, aut ire obviam illis, præsertim si ad carnem spectant.

5. Si nihilominus te aggreditur hostis, me invoca, auxilioque meo innitere fidenter ac diligenter.

Quicumque orat in tentatione, ut oportet, non vincitur: qui autem orare negligit, superari solet.

Statim ab initio tentationis obsta, generose et ferventer hoc similive modo ora: O Jesu! intra Cor tuum absconde me, ne a te separer.... Deus, Deus meus! in adjutorium meum intende.... Jesu et Maria! ad adjuvandum me festinate.... Malo expirare, Domine, quam peccare....

Si pergat hostis tentare; tu, mente ab objecto tentationis fideliter abstracta, rebusque aliis bonis

aut indifferentibus serio applicata, perge orare, perge sic resistere, non turbate nec impatienter, sed pacifice et constanter: atque hostis fugiet, aut stabit confusus.

6. Non sufficiat tibi repellere Satanam, sed stude etiam lædere. Quod efficies, si per arma, quæ tibi divinus amor præstabit, tentationes inimici contra eum ipsum vertas.

Quotiescumque igitur te tentat dæmon, ita, contra finem et intentionem ejus, utere tentatione, ut te mihi fortius unias, meque fidelitate tua glorifices, ac tibi majus robur acquiras et meritum.

Sic fiet, ut adversarius clade sua perterritus, vel redire non audeat, vel, si audet, solum illustriorem victoriam, coronamque splendidiorem tibi procuret.

7. Quodsi umquam adeo infelix sis, ut cadas, surge confestim; humiliusque et animosius certa; ac multum cave, ne te hosti tradas et mancipes.

Propter hoc enim multi perditi sunt, qui cum jam gnaviter pugnassent, moxque adepturi essent victoriam, tentationum importunitate dejecti, se turpiter dediderunt ac misere perierunt.

Agedum, fili mi; breve est certamen, præmium autem sempiternum.

Magnanimus esto: magna victoriæ pars magnanimitas. Hæc disponit ad gratiam, cor attollit, auget vires, laborem temperat, territat adversarium et debilitat.

Pro me, Deo et Salvatore tuo, pro salute tua, pro corona æterna, pro ipso cœlorum regno, dimica fortiter, et spectaculum exhibe dignum Deo. et Angelis, et hominibus.

8. *V. D.* Gratias tibi, optime Jesu; quia sic

doces manus meas ad prælium, et digitos meos ad bellum.

Ecce et cor meum ita erigis, animumque ita mihi addis, ut exerere vires et fortiter agere paratus sim.

Sed ex meipso debilem et ignavum esse me scio et fateor: si mihi soli relinquor, si mihi soli fido, quid expectandum, nisi me a te turpiter defecturum et ignominiose periturum esse?

Da mihi, obsecro, gratiam, ut non præsumam, ut me ultro non exponam, sed prudenter evitem omnem ruinæ occasionem, prudenter evadam omnes hostium insidias.

Quocumque autem tempore me ab hoste impetitum, aut cum illo agentem videris, exurge, quæso, festina in adjutorium mihi; quia tu, Domine, fortitudo mea.

Adesto mihi, precor: pone me juxta te, et cujusvis manus pugnet contra me; tecum vincam, tecum triumphabo.

Imit. Chr. Lib. I. c. 13.

CAPUT DECIMUM QUINTUM.

Quomodo vitiorum defectuumque radices extirpandæ sint.

1. *V. J.* Fili, ad puritatem cordis perfectam obtinendam, non satis est bonam fovere voluntatem, frequenter meditari et orare, sæpe ac pie confiteri. Hæc quidem efficacia sunt, hæc necessaria, hæc numquam omittenda, numquam negligenda.

Sola tamen non sufficiunt, cum vitiorum ac defectuum radices non penitus evellere soleant.

Oportet itaque, ut aliud insuper adhibeas medium, quo ipsas radices noxias quasi extermines, sicque cor tuum perfecte purum reddas.

Hos salutares ac dulces effectus mirifice producet examen, specie quidem parvum exercitium, pusilla res, sed in se efficax et penetrabilior omni instrumento ancipite, et pertingens usque ad divisionem animæ ac discretionem spirituum, et scrutans cogitationes et intentiones cordis.

Non solum ad malos habitus defectusque eradicandos, verum etiam, quod magis mirandum, ad virtutes solide acquirendas, ad perfectionem ipsam assequendam, æque inservit.

2. Examen hoc triplex esse scito. Primum quidem, quod spiritus collectioni servit, illud est, quo occasione data ad cor revertaris, et breviter istud inspicias, examinans, unde moveatur, quibus rebus occupetur; vel quid, ac quomodo egerit; aut quid, et quomodo acturum sit.

Occasio autem brevissimi hujusmodi examinis instituendi, frequens esse solet. Cum nimirum principaliores diei actiones incipis; cumque eas absolvisti.

Cum aliquid sensibus aut menti objicitur, quod te tentare vel captare possit; etiam cum in aliquem lapsus es defectum.

Cum occurrit difficultas, quæ negotium tibi facessere, aut te turbare queat; quoties denique per intervallum satis longum cor tuum non visitasti.

Id autem facile, quovis tempore et quovis loco, facere potes, aliis etiam præsentibus ac ne suspicantibus quidem.

Huic exercitio nihil difficultatis inest. Initio quidem attentio quædam, non contentio, adhibenda

erit, sed brevi incipies habitum acquirere sanctum et consolatorium, ac fructus saluberrimos suavissimosque inde colliges.

3. Alterum est examen generale, quo bis aut saltem semel diebus singulis tempus aliquod seu certa quædam momenta ad hoc unum consecres, ut a teipso rationem vitæ tuæ exigas.

Gratiis Deo breviter actis, ac divino lumine petito, inspice et scrutare, quomodo te exterius et interius gesseris, ex quo te ultima vice perlustrasti.

Examina cogitationes, et verba, et opera: vide, quid iis peccaveris, aut deliqueris; denique singula mente saltem notato.

Si vitæ interioris aliquid jam actu didiceris, pone cor tuum juxta meum, et compara, differentiamque inter utriusque cogitationes, et sensa et actus observa.

Culpis ac defectibus ita repertis, et ingratitudinem tuam pro divinis beneficiis meis aspiciens et agnoscens, contritionis actum elice quam perfectissimum, gratiamque roga ad te emendandum, atque in melius proficiendum.

4. Particulare demum est examen, quo ad unum tantum vitium defectumve separatim extirpandum labores.

Mirissima vis, incredibilis efficacia hujus exercitii. Utinam, fili, id bene cognoscas ac rite perficias!

Nullus est habitus tam inveteratus, nullum vitium tam magnum, quod non vincatur ac superetur isto medio.

Etenim per divinam gratiam omnia quodammodo pollet. Quot peccatores a vitiis, quæ velut alteræ naturæ videbantur, per illud liberati sunt!

Quot homines per illud integre purificati! Quot animæ per illud perfectionem assecutæ sunt!

Quoscumque ergo habueris defectus, macte animo, fili; certus de victoria, certus de futura libertate, utere medio isto diligenter ac constanter.

Illud prius aggredere vitium, quod proximo tuo justa offensionis scandalive causa, tum quod tuorum defectuum veluti caput est. Duce prostrato, cæteri facile vincentur.

5. Hoc autem procedes modo. Tempore matutino, deliberate firmeque statues, te die isto particulariter vitaturum esse, quod ita vitandum selegeris, gratiamque simul petes, ut proposito sis fidelis.

Deinde bis aut semel, prout examen generale una vice aut duabus quotidie instituis, per aliquod temporis spatium, cum te generaliter examinas, scrutaberis simul, quoties, ab ultimo examine facto, contra propositum particulare deliqueris, numerumque signabis.

Tum dolebis non solum ob culpas tuas in genere, sed etiam in particulari ob defectus istos, eosque te particulariter etiam cauturum esse, iterum statues, atque auxilium speciale implorabis.

Interea, fili, præsertim cum te indifferentem quodammodo aut incuriosum fieri percipis, plurimum juvabit, si tibi aliquantulam pœnam imposueris subeundam, quoties contra examen particulare offenderis.

6. Ut autem hæc aliaque media recte et perseveranter adhibeas, opus est tibi duce, qui te dirigat, instruat, formet, moderetur aut stimulet, usque animet.

Nemo per viam spiritualis interiorisque vitæ solus sine duce incedere potest, quin frequenter

aberrandi, animo deficiendi, labendi in hostium insidias, imo pereundi exponatur periculo.

Quamvis Sanctus esses vel electus Apostolus, adhuc duce aliquo indigeres. Nonne Paulus, licet vas electionis ad portandum nomen meum inter gentes, ab Anania, meo monitu, instructus ac directus est? Nonne Sancti ad sanctitatem ab aliis sancte viventibus formati sunt?

Ora igitur, fili, ut habere merearis ducem secundum Cor meum, sive Confessorem tuum, sive Superiorem, sive aliam personam, possidentem auctoritatem, rerumque spiritualium peritiam et experientiam, atque interioris vitæ studium et usum.

Huic, fili mi, cor tuum interdum manifesta: certis temporibus aut occasionibus rationem quamdam redde, ut intelligas, an recte procedas; vel quid, et quomodo corrigere: quid, et quomodo promovere debeas.

Hujus interioris manifestationis subjecta esse solent: Indicare, quis status aut habitus animæ esse consueverit, pacatus an turbatus; quæ desideria vitæ perfectioris sentias; quæ obstacula te impediant; quæ devotionis mortificationisque exercitia obire soleas.

Quem modum in meditando orandoque tenea:: quo gustu ac fructu modo isto procedas; quos libros spirituales legas, an præsenti gradui vitæ tuæ interioris conveniant, an debito fructuosoque modo lectites.

Quomodo sancta frequentes Sacramenta, qua præparatione, quibus pietatis sensis, qua gratiarum actione, quo effectu.

Qua methodo examina tua instituas, quibus industriis, quo denique fructu.

Quomodo obligationes status tui vitæ, officii partes, actiones ordinarias perficias, quo impulsu seu principio, naturæ an gratiæ; qua cura; quo fine.

Qua ratione te erga alios geras, qua cordis dispositione, quo fructu aut damno tibi et aliis.

Qua fidelitate divinis inspirationibus obtemperes: quomodo erga me affectus sis; quousque demum interiora Cordis mei sensa tibi sapiant.

Rerum hujusmodi, fili, nunc hæc, nunc illa, prout opus aut usus fuerit, modeste et sancte declara cum humili sinceritate ac docili charitate.

Quod si hoc feceris modo, facile, utilissimumque et consolatione plenum reperies. *)

*) Cum cordis puritas momenti sit maximi, hic colligere juvat media, quæ ad eam obtinendam sparsim data sunt. Primum est fixa et constans voluntas semper ad meliora nitendi. Secundum, oratio mentis et oris regularis ac crebra. Tertium, pia Sacramentorum frequentatio. Quartum, fidelis usus triplicis examinis, præsertim examinis particularis. Quintum denique, interioris vitæ pura manifestatio, et sancta vicissim directio. Quisquis istis mediis recte utitur, cordis puritatem procul dubio obtinebit, quantam Dominus ordinarie requirere solet. Quodsi extraordinarii aliquid voluerit, ipse media providebit, nec quisquam alius providere potest. Cum autem res iisdem mediis, quibus productæ sunt, conservari soleant, puritatem interiorem, mediis indicatis obtentam, iis etiam conservabis. Hi ergo sunt „quinque panes propositionis, qui semper coram Domino novi recentesque esse debent.“ Semper igitur eadem cura media ista adhibenda sunt. Ne autem per negligentiam aut fragilitatem in iis paulatim tepescas, subinde examina et etiam manifesta, quomodo iis utaris, ac, si quid defeceris, cura quantocius pristinum recuperare fervorem. Quamdiu hæc media, etiam communi tantum diligentia, adhibueris, consolatorium habebis signum, in via te esse bona, quæ ad perfectionem ducit.

7. *V. D.* Domine Jesu, ut ista omnia præstem, multum indigeo et lumine superno, quo reperiam defectus meos, et auxilio divino, quo illos tollam.

Plurimi enim sunt, qui humanis latent oculis, nec a me videri, nec ab alio mihi indicari, sine lumine supernaturali, possunt?

Si autem divini hujus luminis fulgore interiora mea illuminaveris, ecce ibi parva et magna apparebunt. Sicut enim sol in conclave splendens, ipsas atomos totum locum implentes ostendit, ita gratia tua fulgens in cor meum, innumeros patefaciet defectus, quos ne suspicatus quidem fuissem.

Sed quid proderit cognoscere defectus, cum eos evellere non possum? Opus est ergo mihi et adjutorio tuo, sine quo nihil salutare efficere queo.

Per sacrosanctum Cor tuum, Domine Jesu, oro et obsecro, largire mihi continuam abundantiam duplicis hujus gratiæ, qua me et illumines et adjuves.

Absque hac enim gratia, nec ulla industria mea, nec cura quæcumque directoris, quantumvis zelet aut laboret, quidquam efficiet.

Tu igitur, o Jesu, æterna Sapientia, amor sanctificans, tu primus Director: tu, quæso, dirige me et per te et per illum, quem exterius tibi substituere volueris, et quocum agere veluti tecum volo.

CAPUT DECIMUM SEXTUM.

Quod volenti Cor Jesu sequi, cor suum a mundo quoque abstrahendum sit.

1. *V. J.* Væ mundo, fili: væ cordi adhærenti illecebris ac vanitatibus ejus.

Non sufficit Satanam ex corde ejicere, oportet etiam mundum. Si enim mundum intus foveas, quidquid ad integram emendationem egeris, parum proderit.

Mundus namque cor tuum inficere perget, te procul dubio pervertet, te denique in dæmonis tradet potestatem.

2. Quid est mundus nisi voluptatum, opum, honorum inordinatus seu pravus amor, quo sectatores seducti corrumpuntur ac corrumpunt?

Si vis scire, quid de mundo censere debeas, attende, quid ego de ipso censuerim.

Ecce transivi benefaciendo omnibus; persequentes dilexi inimicos; ligno crucis affixus, pro ipsis crucifigentibus me oravi: pro mundo autem non oravi.

Mundus enim ex diabolo est, ac totus in maligno positus, nec potest habere Spiritum meum: quemadmodum falsitas veritas esse nequit, nec corruptio puritatem possidere potest.

3. Mundus probat per seipsum, non veritatem solum, sed etiam necessitatem inferni.

Quid mundo et Cordi meo, cum mundus omnibus vitiis aperte vel occulte patrocinetur, Cor autem meum non respiret nisi sanctitatem?

Mundus cum principe suo Satana conspirans, animas in æternum perdere querit; Cor vero meum salvare omnes desiderat.

Non potes igitur servire simul mundo et mihi; nam si amicus es mundi, Cordis mei fis inimicus.

4. Si sectaris mundum, cum mundo peribis: si autem sequeris Cor meum, ibis in vitam æternam.

Quodsi corde tuo mundum mundique principia ita expuleris, ut mihi offeras cor integrum, oblatio erit mihi grata et honorifica, tibique gloriosa ac meritoria. Angeli atque Sancti tuæ agendi rationi applaudent, et mundus ipse cogetur heroicam tuam mirari animi celsitudinem.

Beatus ille, fili, qui a rebus mundanis affectus suos abstrahit, ut eos mihi soli devoveat!

5. Quid in mundo reperis, unde diligas illum? Ecce quidquid in mundo habetur, concupiscentia carnis est, et cupiditas oculorum, et superbia vitæ. Horum autem omnium finis mors est et infernus

Si ergo diligis mundum, aut ea, quæ mundi sunt, complecteris perditionem æternam.

Quid boni tibi fecit mundus, ut illi consecrares affectus tuos? Numquam tibi fecit, numquam tibi faciet nisi malum. Quomodo ergo illi dare potes cor tuum?

Ne fidas, fili, blanditiis aut arrisionibus mundi; non exprimunt nisi tectum desiderium te decipiendi ac perdendi.

Verum obtempera invitationibus Cordis mei, cupientis te liberare ab infortuniis sempiternis, quæ tibi mundus præparat.

6. Si tu non relinquis mundum, mundus relinquet te, in servitio suo exhaustum et confectum, ridebitque subsannans in interitu tuo: et quando maxime indigebis auxilio, solus eris et impotens.

Frequenter cogita, utrum, mundum an me, secutum fuisse te optaturus sis, cum ingressurus eris æternitatem.

Nunc igitur fac libere cum merito, quod alioquin sine merito facere debebis.

Stude itaque cor tuum ab amore terrenorum separare, perfectaque separatione de mundo triumphare.

Confide, fili, ego vici mundum: si volueris, vinces et tu. Si autem viceris, dabo tibi locum in Corde meo amœnissimum.

7. *V. D.* O Domine, quam insipienter egi! quam perverse vixi! Specie commodi, oblectamenti honoris voluntarie seductus, deserui te, ut mundi, inimici tui, servum me facerem.

Fontem bonorum omnium reliqui, et descendi in pestiferum mundi stagnum. Ibi venenosis haustibus me inebriavi, et insanii, et amens omnia mea abjeci.

Oblitus sum te, Deus meus et omnia, et mundo me totum devovi, et in servitio ejus profanavi dona tua, sensus externos et internas facultates meas.

Reus factus sum nimis: repleta est malis anima mea: vita mea inferno appropinquavit.

In me transierunt iræ tuæ, et terrores tui conturbaverunt me, ita ut die et nocte miser essem.

8. Eheu, Jesu bone! etiam cum nimia judicii tui formidine, et metu inferni correptus, bene vivere statuissem, in quam fatalem illusionem lapsus sum! quam perniciose erravi!

Affectus enim meos inter te et mundum partitus sum: te et mundum in corde meo una morari posse arbitratus sum: tibi et mundo simul servire volui.

O quam gravem injuriam tibi intuli, mundum tibi æqualem habendo! Nec mundo satisfeci nec tibi: atque ipse interea miserrimus eram, cum neque mundo neque te contentus essem, cum in neutro veram felicitatem reperirem.

Nunc autem cum aperuisti oculos meos, et cor meum movisti, ecce tibi, Domine Jesu! tibi soli serviam; cor meum totum trado tibi in perpetuum.

Tolle, quæso, e corde meo omnem affectum erga mundum: omnem ejus apparentem dulcedinem verte mihi in veram amaritudinem.

Reple cor meum amoris tui suavitate, qua mihi insipidus fiat mundus totus cum omnibus vanitatibus ejus.

Imit. Chr. Lib. I. c. 20. *No.* 7. 8. *et Lib. III. c.* 3. *No.* 3. 4.

CAPUT DECIMUM SEPTIMUM.

Quam fallax sit mundus.

1. *V. J.* Fili, totus mundus ex fallaciis constat, ac male cautos sibi deceptione vel dolo allicit.

Ostendit enim homini oblectamenta, divitiasque et honores; et hæc omnia, inquit, tibi dabo, si servieris mihi.

Ast non quid promittat mendax, sed quid det, attende.

Per fallacem rerum placentium spem suos amatores abducit in crudelem passionum tyrannidem, indeque sub continuos stimulorum cruciatus.

Num reperisti unquam mundanum vel fortunatissimum, cujus cor undique contentum esset? Nec reperies, etiamsi totum perlustres orbem.

Pollicetur quidem mundus bona, mala autem actu impertitur vera, quia hominem reddunt improbum, nec impediunt, quominus vere sit infelix.

2. *V. D.* Attamen, Domine, sæpe rebus potiuntur mundani, quas cupiunt, ideoque non curant spirituales cordis miserias.

V. J. Esto, fili: abundent omnibus, quæ sibi in mundo concupiscere possunt; cum illa inordinato affectu habeant, illisque abutantur, non fruuntur nisi ad præsentem et futuram infelicitatem suam.

Porro videntur quidem non curare interiores animæ angores; sed, fili mi, si posses tu, sicut ego, corda illa intueri, videres, quanta interius patiantur, quæ exterius celare conantur; atque inferres, non in eo consistere hominis felicitatem, quod rebus mundanis affluat, sed in eo potius, quod cor ab omnibus rebus infimis servet liberum, et in me pacifice ac stabiliter contentum.

Quamdiu præterea hæc mundanorum durabunt? Ecce adhuc modicum, et ipsos arcesset æternitas: quid eos tunc juvabit oblectamentorum aliarumque rerum copia? Mundo exibunt solis peccatis onusti.

Vellesne ergo pro abusu rerum temporalium amittere usum æternarum? aut pro falsis terræ bonis perdere vera bona cœli?

3. Fili, si mundo adhæres, re Christianus esse desinis, atque omnium privilegiorum tanto nomini annexorum facis jacturam.

In regeneratione enim tua, promissione in conspectu cœli et terræ facta, renuntiasti mundo et malis ejus, nec sine illa promissione te adoptassem in filium.

Si posthæc ad mundi partes redis, non solum perfidus, sed et pejor es pagano sic non pollicito.

Melius est enim non promittere, quam promissis non stare.

4. Interroga mortuos, quid de mundo sentiant. Electi quidem reponent, a contemptu mundanarum rerum omnium suam incepisse beatitudinem: reprobi autem, se a mundo deceptos fuisse et perditos.

Horum alterutrum, fili, ipse aliquando de mundo senties et experieris.

Esto sapiens, fili mi, ne postea infructuose te pœniteat: sequere vestigia Sanctorum, corde recedendo a mundo, et affectus ab illo conservando liberos.

5. Utere rebus hujus mundi tamquam non utens, et dum terram pede calcas, cor tene in cœlo.

Quanto magis te subtraxeris creaturis, tanto ad Creatorem propius accedes, tantoque ad superna dona accipienda fies aptior.

Si cor tuum penitus a mundo expeditum fuerit, mundus ipse multipliciter animæ tuæ commodis inserviet, nedum noceat.

Quantum tibi vilesceret mundus universus, si bene considerares, quid te maneat in æternitate!

6. *V. D.* Vere, Domine, vere deceptor est mundus. Talem expertus sum illum proprio damno meo.

Cum sua mihi offerret, male sanus credidi, me per illa fore beatum. Sed o quantum deceptus sum! quam vere infelix eram, etiam tum, cum amore mundano delirans, imaginarer me esse felicem!

Animalis homo me beatum fingebam, cum vescerer siliquis, quas mihi mundus projiciebat, licet vel invitus sæpe gemerem sub vilitate servitutis meæ, sub onere miseriæ cordis mei.

Fateor, Domine, me infelicitatis meæ fuisse auctorem, nec me quemquam nisi meipsum culpare jure posse.

Eo enim quod non vellem servire tibi cum gaudio et lætitia cordis in rerum omnium abundantia, servivi inimico tuo et meo, in fame, et siti, et omni penuria, adeo ut cibo animalium me implere gauderem.

7. Utinam, Domine, e numero annorum meorum delere possem annos illos, quibus a te alienus servivi mundo!

Quem enim fructum nunc habeo ex illis, nisi amaritudinem, stimulos conscientiæ, cordis angores, peccata aut dolore expianda in hac vita, aut in altera frustra lamentanda!

Propitius esto mihi, o Salvator meus, et dimitte omnia delicta mea, quæ in sequendo mundo aliquando commisi, quæque nunc ex intimo corde detestor.

Noli, obsecro, pati, ut cor meum ulli vel minimæ rei mundi perversi adhæreat; abstrahe totum et omnes ejus affectus a falsis terræ bonis, in quibus nihil est nisi delusio, et vanitas, et afflictio cordis.

Imit. Chr. Lib. III. c. 20.

CAPUT DECIMUM OCTAVUM.

Quod servire mundo sit dura servitudo.

1. *V. J.* Fili, qui amat servire mundo, nescit illum.

Mundus est vere tyrannus: et miserabilia sunt mancipia, quicumque serviunt ei.

Quanta sacrificia, quam multa exigit a suis sectatoribus, quibus, pro omnibus servitiis, non retribuit nisi mala continua!

Vult, ut servi sui cupiditatum fiant vilia instrumenta, ut corpus et animam immolent, ut seipsos sine questu damnent.

Cum autem eorum complevit ruinam, miseros deserit tamquam inutiles, et solum aptos igni gehennæ.

2. O quanti constat mundanis exitium suum! Si pro me adhiberent dimidium conatuum, quos adhibent pro mundo, quam felices forent, et quam magni Sancti!

Quam gravis est mundi servitus! quanti in ea patiendi interni dolores! quot difficultates subeundæ! Et hæc omnia sola spe obtinendi ea, quæ gustata mortem afferant, aut ea, quæ jam molesta possessione vel mox amara separatione crucient.

Revera jugum ferreum est, quod mundanorum cervices premit, cujus gravitatem nemo bene novit, nisi qui illud expertus est, aut qui illud in limine æternitatis ponderaverit.

3. Quicumque vult salvari, a mundo debet corde separari.

Sunt autem qui vitæ instituto exterius mundo valedixerunt, ac nihilominus mundo interius capti, mundanis fere se gerunt placitis.

Reperiuntur alii, quos mundo expositos vivere cogit sua vitæ conditio, et qui tamen ita omnem affectum erga mundum exuerunt, ut nihil mundani in se admittant.

Non vitæ genus, nec forma vestimenti hominem mundo sociat aut alienat, sed cordis affectus, animæ dispositio.

Qui autem a mundo magis corde sejunctus, mihique arctius unitus est, ille cordi meo charior existit, in quocumque statu vivat.

Ubicumque igitur divina voluntas mea te collocaverit, ibi mihi sancte servito. In omni enim statu vitæve ratione in se probata, mihi vivere, teque ipsum sanctificare potes: quamquam verum est, statum vitæ magis a mundo sequestratum, juvare magis ad salutem in tuto ponendam, et perfectionem facilius attingendam.

4. Quot mundi sectatores sunt, qui mundi malitiæ convicti, eidem mutatione vitæ renuntiandi necessitatem vident, renuntiare tamen non audent, nimium metuentes, ne mundus obloquatur.

Hæccine fortitudo vestra, amici mundi? magnanimi scilicet vos omnes, qui ob inania verba id facere timetis, quod fides dictat, quod ratio probat, quod vestra summe refert!

Quid sunt verba, nisi soni aërem percurrentes sicque avolantes? num possunt vel crinem capitis commovere?

5. Erisne, fili, tam vecors, ut propter istiusmodi verba temporalem et æternam tibi inferas perniciem?

Elige, aut servire mihi, in servitio meo beari, postmodum perpetuis cœli gaudiis frui: aut mundo servire, miseramque interius ducere vitam, ac tandem pœnas sustinere æternas.

Ecce ante te vita et mors, bonum et malum: quod prætuleris, tibi dabitur.

6. *V. D.* O Jesu bone! quomodo in eligendo hæsitare possem? Me miserum! qua ratione umquam eligere potui, quod me tam infelicem redditurum erat!

O infinita bonitas, Deus meus! errore me liberasti, et docuisti me veritatem. Ecce jam usque in perpetuum totus sum tuus, o Jesu, vera beatitudo mea!

Apage, munde fallax, seductor pessime, inimice Dei et salutis meæ, hostis omnis boni, et mali omnis patrone, tyranne omnium longe crudelissime!

O munde, satanæ minister! serius te cognovi: diutius te amavi. Ex hoc vale, æternumque vale.

Imit. Chr. Lib. II. c. 12.
No. 3. 4. 5. *et c.* 1. *No.* 1. 2.

CAPUT DECIMUM NONUM.

Quod jugum Jesu vere suave sit

1. *V. J.* Veni, fili mi, tolle jugum meum super te; jugum enim meum suave est et onus meum leve.

Servitium meum, fili, non tyranni, non heri dyscoli, sed amantissimi Patris est, qui liberis servientibus adest, ut juvet ac recreet.

Spiritus servitii mei amor est: amor autem omnia habet facilia.

Mandata mea gravia non sunt, diligentibus autem levia et dulcia sunt nimis.

Experire, fili, et gusta, quam suave sit, servire mihi, quam dulce, frui dulcedine mea; quam bonum, fonte ipso omnium bonorum potiri.

2. Si delicias quæris, in solo servitio meo invenies veras.

Omnia mundi delectamenta aut vana sunt aut exitiosa. Divinæ autem meæ consolationes cunctas

terræ delectationes longe multumque excedunt, puritate corda rapiunt, veritate satiant.

Nonnumquam totum usque adeo perfundunt hominem, ut gustum quemdam afferant deliciarum cœlestium, quibus beati inebriantur in paradiso.

3. Qui mihi servit, non est sicut servus mundi, qui laborat sibi thesaurizare in terra, atque in fine nihil invenit in manibus suis.

Thesaurizat vero sibi thesauros in cœlo, ubi neque ærugo, neque tinea demolitur; ubi fures non effodiunt, nec surripiunt.

Omnes divitiæ terræ cœli divitiis comparatæ, lutum ac nihilum sunt.

4. Quodsi honorem spectes, ecce tibi maximus honor, esse mecum, mihique approbari et distingui.

Gloria mundi brevis et vana, qua alter alterum ludit: gloria autem servitii mei vera et in æternum duratura.

Minimus servorum meorum major est, regni mundi domino.

5. Num repertus est umquam homo, quem in hora mortis pœnituerit serviisse mihi? Mundanos vero quantum in illo extremo momento pœnitet servitutis mundo præstitæ! aut si ipsos non pœniteat, quanto adhuc miserabiliores sunt!

Fidelis sermo, fili, illum, qui mihi fideliter servit per vitam, duos habere cœlos, unum in tempore, in æternitate alterum: eum autem, qui vitam agit in vitiosi mundi servitio, sustinere duos infernos, nunc unum, alterum vero postmodum.

6. Age itaque, fili, submitte te jugo, quod Angeli in cœlis, et Electi in terris portant, et sub quo veram habent beatitudinem.

Gaudenter suscipe, et fer lætanter. Eidem, cui cœlicolæ, servis Domino. Si autem imitaris eorum servitium, imitare et gaudium.

Contristentur servi peccati ac mundi: servos autem meos decet lætitia et exultatio.

Servito igitur mihi, sed servito cum lætitia: cor præ gaudio vultum tuum exhilaret; ac sancta festivitate mundum edoce, quam beatificum sit, servire mihi.

7. *V. D.* Vere, optime Jesu, mihi suave est, servire tibi: quid igitur est amantibus! quid toto corde diligentibus!

Si ego, qui solummodo incipio te diligere, tantam in te reperiam dulcedinem; quantam gustant illi, qui omnibus affectibus tibi devoti, generoso corde diu tibi vixerunt, in Cordis tui intima admittuntur, tua omnia quam plenissime participant!

O Jesu, dulcedo ineffabilis! quid est homo, ut ita magnifices eum? aut filius hominis, ut sic apponas ei Cor tuum!

8. Ecce tibi vivere, tibi obsequi, non servire, sed regnare est. In obsequio tuo nemo servus, quisque rex aut dominus est: tu enim Rex regum et Dominus dominantium.

In obsequio tuo nemo vilis, nemo miser: nobilis ac fortunatus unusquisque; tu enim Rex gloriæ; et gloria et divitiæ in domo tua.

In obsequio tuo nemo malus, adeoque nemo infelix: sed boni et felices omnes: tu enim Rex virtutum; tu pax nostra et gaudium.

Beati ergo immaculati, qui ambulant in lege tua! beatitudo eorum sempiterna: regnum enim tuum, regnum omnium seculorum.

O dulcissime Jesu! quid mihi est extra te, aut

præter te quid volo super terram? Deus cordis mei, tu vita mea, tu beatitudo mea, tu pars mea in æternum.

Imit. Chr. Lib. III. c. 10.

CAPUT VIGESIMUM.

Quod totum cor nostrum, nihilo nobis reservato, Jesu donare debeamus.

1. *V. J.* Præbe, fili mi, cor tuum mihi.

Non satis est, a peccato et mundo expedire cor tuum: superest, ut etiam a teipso expedias.

Quemadmodum peccato penitus renuntiare, amicitiam divinam stabilit, et exteriora vanaque mundi repudiare, ad vitam interiorem disponit; ita seipsum pro me relinquere, ducit ad unionem mecum.

Necessarium igitur, ut totum cor tuum, nihilo tibi reservato, mihi dones, si vis illa felicitate frui, quæ hujus vitæ maxima est, et in qua sola vere beatus esse potes.

2. Cor tuum, fili, meum est. Nam cum non esset, feci; cum esset perditum, quæsivi et redemi; cum expositum esset inimicis rapturis, protexi ac conservavi. Dans itaque cor tuum, non dabis nisi quod meum est.

Quot autem rationibus illius merui affectus omnes! Quid enim boni habes in corpore vel in anima, naturaliter aut supernaturaliter, quod e Corde meo non acceperis?

Quam multis abhinc annis arderes in inferno, si te aut pro meritis tractassem, aut a peccatis infernum merentibus pœnisque condignis non præservassem!

Sed amor meus, fili, rem tam mirabilem et

tam dulcem fecit; amor Cordis mei, quo te ab æterno dilexi, et tibi usque nunc mille modis favere non cessavi.

Tota vita tua non fuit nisi series multiplex et continua beneficiorum meorum: nec ullum fuit punctum temporis, quod aliquo novo beneficio non fuerit signatum.

3. Quid autem a te requiro, fili dilectionis meæ, pro omnibus istis bonorum millibus? Profecto quidquid te rogare possim, ac quidquid dare valeres, longe prorsusque foret infra donorum meorum magnitudinem et multitudinem. Attamen unum requiro, cor tuum totum: si dederis, sufficit.

Quidquid des, excepto corde tuo, nihil curo; quia super omnia cor tuum desidero.

4. Cui melius quam mihi cor tuum dare potes? Vivere non potes, quin ames et cordis tui affectus alicui objecto tribuas.

Vellesne dare cor tuum dæmoni, inimico tuo æterno et implacabili, aut mundo, dæmonis corruptæ ac corrumpenti creaturæ? Væ, fili, millies væ tibi, si alterutri dederis.

An tibi ipsi cordis tui affectus reservare velles? Sed, fili, si ames solum teipsum, non remuneraberis nisi a teipso. Merces autem amoris proprii quid est? Ecce amor proprius fodit infernum, et ducit ad illum.

Da ergo cor tuum mihi, fili: ego illud pace et gaudio, et felicitate replebo.

5. Noli dividere cor tuum inter me et creaturam: hoc enim facto, nec ad Cordis mei arcana admitti, nec dulcedinem amoris mei gustare umquam poteris: imo, neque mihi satisfacere, neque tibi a perversione cavere valebis.

Attamen hoc consuetum est multis, etiam illis, qui pii bonive haberi volunt, amore proprio affectus suos, sub specioso prætextu, dividere inter me et aliquod objectum creatum. Quid hoc frequentius? sed quid periculosius? quid funestius?

Ego totum cor habere volo, fili: ego Dominus ejus, Deus zelotes, solus finis ejus, sola beatitudo.

6. Ama, fili: amare licet, amare oportet; ad hoc factum est cor tuum: sed amandum amare, me amare et si quid præterea affectes, id non nisi amore mei amare debes.

Cum præter me nihil nisi amore mei amabis, cum nihil nisi me vel propter me in cor tuum admittes, tum demum cor habebis integre purum.

Itaque, fili, da mihi cor totum, holocaustum in odorem suavitatis; nec illud nec partem illius minimam resume: odio enim habeo rapinam in holocausto.

Semper memor esto, cordi tuo, sicut in prosperis, ita in adversis, nullibi melius quam mecum esse posse.

7. *V. D.* Ergo, Domine, cor meum etiam a rebus amoris proprii, ab inordinatis affectibus erga meipsum expedire debeo, ut totum amore tui impleatur, et solum tuo vivat Spiritu.

Ah, Deus meus, hoc opus, hic labor, cum in corde meo tam multa sint inordinata, cumque illa tamdiu secutus sim, ut ex illis mihi vivere factum sit quasi altera natura.

Hucusque spontaneus cordis affectus, propensitas aut aversio, fuit mihi sola fere norma vitæ: hanc secutus sum in mea cum aliis agendi ratione, in suscipiendis aut perficiendis actionibus, imo in ipsis religionis vel pietatis exercitiis obeundis.

Hucusque, fateri debeo, quæ naturali inclinationi placebant, prosequi; quæ displicebant, aversari consuevi.

Hinc pleraque omnia reperio infecta: video pene omnia fuisse proprii amoris opera, nec mihi protulisse nisi proprii amoris fructus.

Et nisi hæc ipse lumine gratiæ tuæ ostendisses, forte ne suspicio quidem eorum mihi subiisset. Adeo amore proprio excæcatus eram

Cum autem, ex gratuita Cordis tui bonitate, perniciosa hæc mala in corde meo latentia oculis meis exposueris, largire, quæso, specialem gratiam, ut ea penitus amoveam.

Obsecro te, Domine, ne patiaris in corde meo quidquam, quod non sit tuum: Si quid umquam in eo apparuerit alienum, protinus coge me, ut tollam, aut ipse, me etiam invito, tolle.

Imit. Chr. Lib. III. c. 27.

CAPUT VIGESIMUM PRIMUM.

De corde custodiendo.

1. *V. J.* Fili, omni custodia serva mihi cor tuum: ex ipso enim vita procedit aut mors.

Maximum gratissimumque donum, quod mihi dare possis, est irrevocabiliter mihi tradere cor tuum integrum: atque optima et saluberrima occupatio, cor tuum mihi fideliter servare purum.

In vanum mihi cor tuum dedicas, si id non sedulo custodieris; nam inimicus, etiam te vix animadvertente, illud pervertet et abripiet.

2. Homo corde dissolutus, et ad exteriora effusus, potest quidem tempore fervoris alicujus

transitorii mihi suos dicare affectus; sed mox, isto devotionis æstu cessante, ad solitum solitoque inferiorem statum recidet.

Cor incustoditum, raro sibi præsens est, rariusque mihi, et brevi insensibile fit, et ad spiritualia obdurescit.

Patet enim obvio cuique, tamquam publicum emporium, per quod libere transeant omnis generis cogitationes, tentationes, errores.

Omnes inimici ejus veniunt et vadunt per illud, idque varie agitant, et maculant, et corrumpunt.

Externus homo ad hæc ne attendit quidem serio; sed horrens interius secum habitare, et iis, quæ in corde geruntur, se occupare, conatur vel aufugere vel se divertere.

Atque ita malum ingravescit, statusque cordis ejus in dies evadit periculosior.

3. Tantarum miseriarum si fieri nolis victima, tolle causas, et effectus cessabunt.

Per divinæ præsentiæ recordationem, frequentemque ad me recursum, comprime levitatem, et attende, ne volubili indulgeas naturæ, quæ semper quærit effluere, quæ ad vana propendet, quæ ubique se ostendere cupit, quæ sensibus gratificari continue studet.

Fuge inania et inutilia; exclude omnia externa, quibus te occupare non oporteat; assuesce tecum habitare, atque interius sic vivere, quasi solus mecum esses in mundo.

Stude, semper et ubique tuus esse et recollectus: id gratia, et conatu, et usu acquires, ut tamquam naturale sit tibi.

Hoc autem si adeptus fueris, interior ista spi-

ritus collectio tibi erit ipsa sua merces. Infinitus enim thesaurus est hominibus.

4. Internus homo custodit omnes cordis aditus; me, Deum et Salvatorem suum, intus detinet, agitque mecum generose, et me utitur familiariter.

Ubicumque sui compos, Dilectum animæ suæ quiete possidet, et ab innumeris præservatur peccatis ac tædiis.

In intima spiritus collectione proficit, in via virtutis celeriter incedit; denique, invito quolibet impedimento, ad perfectionem properat.

Noli itaque te dissipare, fili mi, sive ob rerum externarum speciem, sive ob diversam circumstantiarum pressuram, sive ob operationis instantiam, sive ob interiorem animæ desolationem.

Attende, quibus rebus cor tuum occupetur, quibus moveatur, ad quas tendat.

Converte te totum ad interiora, illisque intentus, mane in pace interna, et fruere præsentia mea.

5. *V. D.* Concede mihi, quæso, Domine Jesu, spiritum internum, ut custodiam tibi cor meum, ut invigilem occupationibus ejus.

Illud enim semper occupari expertus sum: sed ex negligentia mea, nec locum, nec tempus, nec res observat.

Ecce frequenter deprehendi illud in locis extraneis affectus ejus sive amoris sive aversionis effundens, motibus distractum, objectis infectum.

Horis aut momentis illis ipsis, quæ tibi specialiter consecrata erant, ac quibus te orare, te laudare, te diligere, te frui deberet, illud ad se dissipandum aufugisse, sæpe reperi.

Cum rebus bonis aut utilibus se occupare

oporteret, quoties illud inveni prohibitis aut vanis distentum!

Incustoditum effluit continuo, hac illac per innumera discurrit, ad varia variis naturæ impulsibus rapitur.

Numquam requiescit: cum ab his elabitur objectis, involvitur illis. Curiositate excitatur, allicitur cupiditate, vanitate seducitur, turpatur voluptate, tristitia consumitur, invidia torquetur, amore et odio turbatur, propria miseria agitatur, agitatione conficitur.

Sic occupatur, sic maculatur cor meum, cum ei non invigilo, aut id negligo.

6. O Domine! quanta necessitas vigilandi! quanta necessitas custodiendi cor meum! Oportet enim, non solum ut in se collectum domi maneat, sed etiam ut occupetur, at de te vel propter te tantum.

Videndum itaque unde moveatur, gratia an natura: quo modo agat, secundum beneplacitum tuum, an instinctum suum: quid ultimo intendat, te an se.

Et assidue vigilandum, donec cor quodammodo assuefactum fuerit, motum gratiæ tuæ suaviter et fortiter sequi amore tui.

O Jesu, quanti momenti opus! Quantacumque conamina ad id perficiendum requirantur, ecce id prosequi non desinam, quoadusque perfectum fuerit.

Sed si te amarem, si totus amore tui captus essem, quam facile et quam cito hoc opus foret completum! Cor enim meum, si amore tui esset plenum, in te quiesceret, a te non recederet, in te suam inveniret beatitudinem, cætera omnia sponte quodammodo fugeret aut rejiceret.

O dulcissime Jesu! quam admirabilis est amor tuus! Amore tui et gratia tua reple cor meum, et ecce cor meum se ultro custodiet, se tibi sedulo conservabit.

Imit. Chr. Lib. II. c. 5.

CAPUT VIGESIMUM SECUNDUM.

De brevitate hujus vitæ.

1. *V. J.* Fili, in omnibus operibus tuis recordare novissima tua, et in æternum non peccabis.

Dum tempus habes, fac quidquid pro æternitate facere potes, memor, tempus tuum esse brevissimum. Oportet enim, ut mox revertaris in terram, ex qua sumptus es; quia pulvis es et in pulverem reverteris.

Quid est vita humana super terram? Vapor ad modicum parens, statimque evanescens, ut ne vestigium quidem relinquat.

Ex quo natus es, ad mortem currere non cessas; nec est in potestate tua, sistere gradum.

2. Recogita, fili, tempus, quod vixisti. Nonne quasi somnium videtur? Scito autem, id tibi clarius adhuc visum iri ad mortem, quam brevi obviam habebis.

Quid enim vita vel longissima? Ecce numerus dierum hominum in ipsis fere septuaginta anni: si autem in potentatibus, octoginta. Sed hi ad æternitatem comparati, veluti guttula ad aquas oceani reputandi sunt.

Imo vero tempus hujus vitæ cum futuræ vitæ perpetuitate collatum, non nisi punctulum est. Ab hoc tamen punctulo tua pendet æternitas felix aut infelix.

Etiamsi vixisses a creatione mundi usque ad hanc horam, et jam mori deberes, quid vita ista foret tibi ingredienti æternitatem, ubi nec dies, nec anni, nec secula sunt, sed ævum continuat sine fine.

3. Itaque, fili mi, temporis cape pretium. Tempus mensura vitæ: quantum ergo temporis perdis, tantum amittis vitæ.

Tempus valore omnes mundi thesauros superat. Universis enim terræ bonis ne punctum quidem temporis emi potest: tempore vero comparantur bona æterna.

O si mortui ab æternitate reverterentur, num putas illos vel momentum perdituros, quod non impenderent, alii ad se liberandos a pœnis, alii ad augenda merita?

Sed eheu! licet tempore nihil pretiosius sit, nihil tamen multis est tædiosius.

Sunt non solum qui mundum sectantur, verum etiam qui pietatem profitentur, quibus tempus onus sit. De gravitate ejus queruntur, amant id perdere, gaudent, si sine tædio frustra impenderint.

Atque ita ad dedecus mihi, sibique detrimentum consumunt id, quo me honorare, et proximum juvare, et sibi merita pro æternitate accumulare possent ac deberent.

4. Sæpe memento, fili, ad quid veneris in hunc mundum. Ad nihil aliud plane, quam ut te ad æternitatem præparares. Quid enim vita præsens, nisi tirocinium æternitatis?

Durante hoc brevi curriculo, innumera tibi præstanda sunt. Habes enim multa peccata expianda; animam salvandam ac sanctificandam; infernum fugiendum, purgatoriumque cavendum, et

cœlum lucrandum; proximum ædificandum et ad vitam æternam juvandum; me denique modis debitis, quantum potes, honorandum ac glorificandum.

Hæc si non feceris per vitam, tempus postea non erit amplius: et per omnem æternitatem effectus negligentiæ omissionisque tuæ sustinebis.

Meum est tempus, non tuum: tibi autem commodatum, ut illo utaris ad ea præstanda, quæ ego a te requiro aut desidero.

Illo si abuteris, rationem olim reddes strictissimam: si autem bene uteris, omni momento novum gratiæ, novumque gloriæ æternæ gradum mereri potes.

5. Ausculta, fili mi: frequenter pone te spiritu in illo puncto, quo tibi cessabit tempus, et æternitas incipiet: et examina attente, quid tunc de omnibus rebus præteritis, et quid de omnibus futuris cogitaturus sis.

Ecce æternitas domus tua: æternitas patria tua: æternitas habitatio tua permanens.

Peregrinus es enim et hospes in terra, qua transis celeriter ad tuos in æternitatem. Illuc omnes, qui fuerunt, et qui sunt, et qui erunt, venire debent. Ibi magnus et pusillus, dives et pauper, formosus et deformis, sine ulla differentia nisi quæ ex virtute oritur.

Adhuc modicum, fili, et tu etiam eris ibi.

Ibi vives: ibi vives sine fine. Ecce magna cogitatio, fili mi! Tempus avolabit, succedent secula seculis, mundus ipse peribit: tu autem esse numquam desines, tu vivere numquam cessabis. Utinam, fili, hoc recte intelligeres!

6. Si tu teipsum pro æternitate non salvas,

quis te salvabit? Nemo profecto: nec ego, qui te creavi sine te, te sine te salvabo.

Et si nunc non operaris salutem ac perfectionem tuam, quomodo operaberis postea? Futurum est tempus, quod tu non habere poteris, quodque tibi promittere nullo modo potes. Atque etiamsi haberes, res fieret in dies magis difficilis, teque ad ulterius differendum moveret: et ita postponendo venires ad portas æternitatis imparatus.

Omnem diem crede supremum, omnique die ita vive, ut, si venerit Filius hominis, adventu ejus possis gaudere, nedum timere debeas.

Beatus ille, quem, cum advenero, ita facientem reperiam! Amen dico, super omnia, quæ possideo, constituam eum.

7. *V. D.* O Domine, quam brevis vita mea, et quam multa et magna per eam mihi agenda sunt! Sed eheu! quomodo tempus vitæ meæ hucusque impendi!

Illa summi momenti omnia, quæ mihi dedisti facienda pro æternitate, neglexi, quasi nullius aut parvi essent pretii.

O cæcitatem, o pravitatem meam! At licet hæc sanguineis lacrymis digna sint, utinam nihil pejus fecissem! sed heu mihi! multum tempus vitæ impendi ad torquendum aut affligendum Cor tuum, ad committendum et accumulandum mihi peccata.

Multum impendi ad mundo serviendum, ad inania ejus bona quærenda, ad currendum post vanam gloriam, noxia oblectamenta, nugas varias.

Multum impendi ad mihi ipsi satisfaciendum, ad amorem proprium fovendum, ad naturæ inclinationibus gratificandum, etiam in iis rebus, quæ bonæ vel piæ erant.

O Salvator meus! quam misere vixi! Loco virtutum ac meritorum, ecce ligna, et fœnum, et stipulas collegi, ad ignem nutriendum, et me comburendum in vita futura.

Ignosce, quæso, ignosce malis, quæ feci: da gratiam, ut redimam tempus perditum, ut præterita reparem aut compensem, reliquum vitæ ad id ferventer impendendo, ad quod mihi data fuit.

Hæc, Domine Jesu, fuit malorum meorum origo, quia te non amabam, quia erga te indifferens, corrupto et corrumpente amore aliorum objectorum infectus eram.

Obsecro te, Deus meus, qui tanta peste liberasti me, accende cor meum illo amoris igne, quo ardet Cor tuum. Hæc purissima flamma delicta mea consumet, hæc me urgebit ad omnia pro æternitate jussa, fideliter exequenda.

Imit. Chr. Lib. I. c. 18.

CAPUT VIGESIMUM TERTIUM.

De morte.

1. *V. J.* Memento mori, fili; statutum est enim omnibus hominibus semel mori.

Fac quidquid volueris, ut mortem evadas, evadere non poteris: quia Omnipotens constituit terminos, qui præteriri non poterunt. Cum ad illos perveneris, in quocumque statu fueris, morte morieris.

In vita nihil certius morte: tempore autem ac circumstantiis mortis nihil incertius.

Nescis profecto, quando moriturus sis: hoc tamen scito, te moriturum esse, cum non putabis.

Sed utrum finem hujus anni, vel etiam hujus diei visurus sis, prorsus ignoras.

Multi longiori vitæ fisi, præparationemque ad mortem negligentes, multa in futurum meditantur, cum improvisa mors omnibus finem imponit, ipsosque ad æterna abripit.

Domi an foris, naturali an violenta morte, munitus Sacramentis an his privatus, sis obiturus, tibi undique latet.

2. Attamen, fili, morieris tantum semel: si semel bene, æterna beatitudo tua in tuto erit: sed si semel male, perditio tua sempiterna erit et irreparabilis.

O incomprehensibilis cordis stupiditas! plurimi in statu damnationis vivere non timent: et tamen certum est, illos inexpectato morituros. Stat enim immutabile oraculum, Filium hominis, cum non expectabitur, esse venturum.

Consilio autem divina sapientia digno, celatur tempus adventus ejus, ut homines in statu gratiæ vivant, semper parati. Quod cum negligant multi, accidit ut non pauci improvise moriantur, et in puncto sepeliantur in inferno.

Væ igitur illis, quos in malo statu deprehenderit mors! Illis enim mortuis nulla spes erit ultra; quia morte temporali cadunt in mortem æternam, et a finitis malis transeunt ad infinita.

Mors peccatorum pessima: horrifica mors tepidorum: Sanctorum autem mors pretiosa et consolatione plena.

Beati, qui sancta morte vitam sanctam terminant! Finem habent laborum, et afflictionum, tentationumque, et periculorum omnium, atque incipiunt beatitudinem securam et interminabilem.

3. Tempore mortis quam varie varii homines afficiuntur! alii cogitatione rerum præteritarum, præsentium, futurarum terrentur, alii recreantur: alii corde anguntur, alii dilatantur: sed omnes se bene vixisse tunc optant.

Maxima consolatio morientis est, ad mortem esse bene præparatum.

Qui se ad mortem non præparat nisi morte præsente, quanto exponitur periculo, ne obeat imparatus! quia aut tempus deest, aut obstat morbus, aut passiones nimium adhuc dominantur, atque simul consuetudo negligendi gratiam perdurat, diabolo interea tentante vehementius solito.

Esto igitur providus, fili mi, antequam venit nox, in qua nemo secure operari potest, sed unusquisque incipit colligere quæ seminavit.

Optima præparatio ad mortem est bona vita. Qui bene vivit, bene mori solet.

Priusquam requiem petis nocturnam, quotidie dispone animam tuam, ac si eadem nocte ad æternitatem migraturus esses.

4. Bonum est mortis consilium, fili; ideoque antequam aut suscipias aut deseras quidquam momenti, mortem consulta, ut scias, quid in adventu ejus fecisse, quid omisisse te desideraturus sis.

Per integram cordis puritatem, mortem tuam tibi reddes quam maxime tutam et consolatoriam.

Ubi autem agitur de bona morte tutanda, noli consulere carnem; sed, illa etiam invita, prosequere bonum, ut tandem et corpus et animam salves.

Etenim post mortem corpus tuum fiet cibus vermium, ac quod reliquum fuerit, præda corruptionis erit.

Aliquando tamen, sive velis sive nolis, resurget, ut cum anima potiatur sorte sempiterna.

Mors sit tibi familiarissima, fili. Si consultando ac sequendo mortis oraculo fidelis fueris, ipsa te in adversis consolabitur, moderabit in prosperis, tibi proderit in cunctis, semper benefaciet; in fine liberabit te ab exilio hoc in beatam cœli patriam.

5. *V. D.* Ecquis, Domine, se non teneat præparatum, cum quovis momento mortem obviam habere possit?

In adventu ejus quid ego sim optaturus, scio, testante conscientia: me nimirum innocentem duxisse vitam; me tibi servasse cor purum; me sanctificasse animam meam.

At si mors jam veniret, hæc, eheu! frustra optarem, cum nullum adhuc sanctitatis signum habeam, sed multa teporis indicia.

O miserator et misericors Domine, dimitte me paululum, ut plangam negligentiam meam, et perficiam quod, morte veniente, me fecisse optabo.

6. O anima mea, mox tempus non erit amplius. Faciat hic, faciat ille quæ voluerit: nos, dum tempus habemus, operemur salutem nostram.

Quisque sibi. Cum mors advenerit, nemo alius nostram subire vicem, aut loco nostri in æternitatem vadere poterit. Quidquid ergo alii dicant aut agant, nostram nos tutemur sortem æternam.

Et quod, Domine Jesu, quod tutamen melius ac securius, quam expeditus a rebus omnibus amor tui, cum et purificet et sanctificet?

Si te vere diligo, nec mortem nec ea, quæ mortem sequuntur, timebo. Amor timorem abiget: amor accessum fiducialem ad te præbebit.

Tu ergo, Jesu, amor meus, sis mihi deinceps vita. Si tu mihi vivere fueris, mori lucrum mihi erit.

Amore tui moriar quotidie peccato, mundo, mihi ipsi, ut tibi vivam: liber fiam a rebus creatis, penitusque purus, ut morte januam aperiente, ad te intrare gaudenter possim.

Imit. Chr. Lib. I. c. 23.

CAPUT VIGESIMUM QUARTUM.

De judicio.

1. *V. J.* Fili, simul ac æternitatem ingressus fueris, ante tribunal divinum te reperies, ut rationem vitæ tuæ reddas, et decretum recipias sortis tuæ æternæ.

Ego ipse, scrutator ac cognitor cordium, cui data est omnis potestas in cœlo et in terra, judicio præsidebo.

Omnes et singuli, sive velint sive nolint, coram me, Judice vivorum et mortuorum, sistere se debent, sententia suprema judicandi: neque ullum alium appellare quisquam potest.

Quod justum est judicabo: muneribus aut promissis non placabor, nec precibus cujusquam flectar, neque pœnitudine movebor.

Dies enim illa, dies justitiæ, et non misericordiæ. Tunc unusquisque accipiet secundum opera sua.

2. Quid, fili, quid tum sensurus es, cum ante infinitam Majestatem stabis solus cum solis operibus tuis, sive bonis sive malis?

Tunc surget in judicium tecum diabolus ad te accusandum, paratus ad te secum trahendum in infernum.

Angelus Custos etiam se eriget contra te, ac rerum veritatem attestabitur.

Sed et propria conscientia te arguet, et pavore, metuque, ac terrore te consternabit.

Ita accusatus, nemine defendente, præ timore aresces, nec os tuum aperire audebis.

3. Nam ecce universa omnia, aperta et occulta, in conspectu meo, neque horum quidquam est absconditum ab oculis meis.

Attamen scrutans scrutabor cor a primo rationis usu ad ultimum usque vitæ suspirium.

Eruam omnia et singula mala, privata et publica, propria et aliena, gravia et levia; quidquid cogitatione, et verbo, et opere, et omissione patraveris.

Non solum malorum, verum etiam vanorum, inutiliumque et otiosorum exposcam rationem.

Quinimo justitias ipsas judicabo: ipsa examinabo bona, quid illis defuerit, sive in causa movente, sive in faciendi modo, sive in fine intento, an omnia supernaturalia fuerint et perfecta.

Tum multa, quæ in hac vita videbantur bona, invenientur perversa aut inania.

Tunc species virtutum tepidorum apparebunt sicuti sunt, ac tanquam stipulæ siccæ, soli igni aptæ, rejicientur,

Quærens autem ultra, quæram fructum omnium beneficiorum meorum, omnium gratiarum, omnium ad salutem ac perfectionem mediorum.

Quin etiam adversus te ipsum tempus vocabo, ac quomodo usus fueris illo, exquiram.

4. Quid, peccator, tunc es facturus, cum justus erit vix securus? Supra te cernes paradisum incertum, infra te abyssum hiscentem, a dex-

tris Angelos testes, a sinistris furibundos dæmones, ante te supremum Arbitrum vitæ et mortis æternæ.

5. Ah fili! nunc fac sedulo, ut tunc sis in tuto. Nunc est facile, tunc erit impossibile.

Nunc invitationem misericordiæ meæ sequere, ut tunc non experiaris justitiæ meæ rigorem.

Nunc a vitioso mundo prorsus alienare, ut tunc cum reprobis mundanis non cogaris audire: Ite, maledicti, in ignem æternum.

Nunc omnibus expeditus, imitare Sanctos, ut tunc cum illis audire merearis: Venite, benedicti Patris mei, possidete regnum præparatum vobis a constitutione mundi.

6. *V. D.* O Domine, quanto melius, hic scrutari et judicare meipsum stricte, ne ante divinæ justitiæ tuæ tribunal condemner!

Quanto melius, cogitationes, et verba, et opera, et omnia bene examinare, utrum bona sint, utrum sint secundum voluntatem tuam integra, utrum scrutationem tuam sustinere, et approbatione tua digna videri possint!

Nunc adhuc remedium, tunc omnis conatus inutilis: nunc adhuc offertur misericordia, tunc justitia intonabit: Redde rationem.

Domine, Domine, si iniquitates observaveris, quis sustinebit? Si etiam indifferentia, et bona ipsa scrutatus fueris, quis ante te stare poterit?

O Jesu! licet gaudeam, non alium quam te fore Judicem meum, tamen cum de tot tantisque rebus formidandis rationem reddere tenear, contremisco.

Cui enim rei confidam, cum etiam bona opera mea videantur suspecta? Qua in re spem collo-

cabo? Ecce nihil, in quo secure ponam fiduciam, reperio, nisi Cor tuum.

In hoc ergo sperabo: licet enim tunc futurum sit Cor Judicis, erit tamen Cor Jesu mei, amantis amantem.

O Jesu mi! memento verbi tui, in quo mihi spem dedisti: tu enim dixisti: Qui diligit me, et ego diligam eum.

Si te diligo et diligor a te, utique ad te venire, coram te apparere non trepidabo.

En igitur quid faciam: diligam te, Jesu amabilissime et amantissime, diligam te toto corde, tota vita mea.

Imit. Chr. Lib. I. c. 24. *No.* 1. 4. 5. 6.

CAPUT VIGESIMUM QUINTUM.

De inferno.

1. *V. J.* Fili, quamdiu vivunt homines, amo quodam modo omnes: bonos affectu divino complector, expectatione conversionis tolero malos, errantes insequor. Cor meum, in quo omnes scriptos porto, mille modos excogitat adhibetque salvandi universos.

Sed si qui expectationem misericordiæ meæ frustrantur, si ad judicium veniunt gravis peccati rei, obstinate rebelles; ipsos e Corde meo penitus deleo, ac fulmine justitiæ in profundum inferni detrudo.

2. Ibi cœlo et cunctis ejus gaudiis privantur, et usque in æternum non videbunt faciem meam in regno gloriæ meæ.

Pœnam infinitam sufferunt; quia bonum infinitum perdiderunt.

Immersi in lacu ignis immenso, uruntur ac patiuntur usque in sempiternum: et fumus tormentorum eorum ascendit in secula seculorum.

Omnia mala irruunt super illos. Ibi nullus corporis sensus, nulla animæ facultas, quæ sibi propriam non habeat pœnam.

Per quæ autem peccavit quisque, in his torquetur peculiariter: ac quantum malo delectatus fuit, tantum pœna cruciatur.

Ibi impuri ardoribus sempiternis devorantur, fœtoribus perfunduntur intolerabilibus, ab immortalibus corroduntur vermibus.

Ibi male divites summa egestate premuntur: sitim famemque patiuntur extremam, neque levantur umquam.

Ibi honorum prave studiosi humiliantur infinite, et ab ipsis dæmonibus despiciuntur et calcantur.

Ibi tormenta nullo momento interrumpuntur, sed continuantur et continuabuntur in æternum.

Ibi unusquisque recipit secundum merita sua.

3. Locus, domini, socii, incomprehensibiliter adaugent supplicia.

Quid enim terribilius carceribus infernalibus, ubi nulla lux, nullus ordo, sed perpetua obscuritas et sempiternus horror inhabitant?

Quid crudelius dæmonibus, qui exhauriunt scientiam suam ad invenienda tormenta, et potentiam suam ad ea infligenda?

Quid tristius illa misera turba patientium atque ululantium sine fine, sine spe? Revera quot socii, tot supplicia.

4. Ecce sic punietur, qui noluerit servire mihi, Deo, Creatori, Redemptori, Benefactori suo continuo.

Vivo ego, quoniam mihi flectetur omne genu, et omnes gentes servient mihi.

Quicumque enim bonitati meæ non servit volens in tempore, in æternitate nolens serviet justitiæ.

Ne obstupescas, fili, damnatorum punitione: ipsi damnati non obstupent, sed digna factis se recipere fatentur.

Nemo in tormenta inferni vadit invitus: omnes reprobi propria electione ruunt illuc; ideoque de nullo nisi de seipsis queruntur.

Me infinite bonum confitentur, se autem summe malos agnoscunt.

5. Porta inferni peccatum est; viæ autem ad illam deducentes, quæcumque in peccatum inducunt.

Quam multi perierunt illicito voluptatum appetitu, inordinata ditescendi cupidine, honoris insectatione perversa!

Noli desiderare, fili, quod possit te implicare, ac postmodum in abyssum deturbare.

Nec minus periculosum est, in rebus omnibus quærere teipsum. Quot, eheu! sunt, qui bene incipere videntur, sed, quia seipsos non relinquunt, tandem relabuntur, in mala profundiora cadunt, demum misere damnantur!

Ut ergo infernum effugias, non sufficit bene incepisse, sed bene perseverasse requiritur.

In perpetuum relinque peccatum et mundum, ne a me tandem relinquaris: relinque teipsum quoque, ne proprio pondere petas ima.

Omnia fac, charissime, omnia suffer, ut evites tormenta æterna. Omnes labores et afflictiones hujus vitæ nihil sunt ad pœnas inferni.

Hic laborum dolorumque brevi finis: ex inferno autem nulla redemptio.

6. *V. D.* Domine Deus noster, quam terribilis est justitia tua in æternitate! Verumtamen justa judicia tua, justificata etiam a reprobis.

Sed quamquam nihil est, quod vehementius terreat, quam infernus, vix tamen quidquam est, quod ad amorem tui in corde meo excitandum, magis aptum videatur.

Et profecto, Domine Jesu, quomodo de igne inferni cogitare possim, quin accendar igne amoris tui?

Quid est, quod modo sensibiliori ostendat Cordis tua erga me bonitatem? quid est, quod fortius me urgeat ad te redamandum?

Ecce enim, si aliquam animam reprobam ex inferni tormentis liberares, eique ad hanc vitam revocatæ, superabundantia dares media, quibus facile se salvare æternumque gloriæ thronum in cœlo mereri posset: o quantum ista anima te amaret! num putaret se umquam posse debitam gratitudinem tibi satis exhibere? num posset umquam de inferno cogitare, quin tota amore liquesceret? O quam purum tibi servaret cor suum! quam sancte tibi viveret!

Atqui, Domine, ego multo plus tibi debeo, quam ista deberet. Longe enim majora et meliora fecisti mihi, cum me pœnas inferni meritum præservasti ab illis. Majus quippe bonum et præstantius est, a malo aliquo eximi, quam ab eo tolerato liberari.

Et hæc tam stupenda, tam mira, tam suavia, mihi fecisti, non semel, non bis, non ter, sed toties, quoties peccatum mortale commisi.

Quodsi forte mortale non commisissem peccatum, ecce cresceret obligatio mea, cresceret

gratitudinis debitum, cresceret ratio te amandi. Incomparabiliter enim magis tibi obstrictus essem.

Nisi enim ex infinita Cordis tui benignitate me præservasses per gratiam tuam, quanto abhinc tempore in peccatum inferno dignum lapsus fuissem! Nullum enim est peccatum, quod facit unus, quod facere non possit alter, si tu speciali gratia non impedias.

Quidquid ego fuerim, hoc tibi, Jesu dulcissime, hoc tibi primo debeo, quod jam non sum in inferno, quod adhuc cœlum obtinere possum. Tu me liberasti a perditione: liberasti me secundum multitudinem et magnitudinem bonitatis Cordis tui, de altitudine inferi, de manibus quærentium animam meam.

Venite ergo et narrabo vobis, omnes, qui timetis Dominum, quanta fecerit animæ meæ.

Et non amarem te, o Jesu, o bonitas infinita! et non diligerem te! Imo, imo, amo te, diligo te: et te amabo et te diligam, quamdiu extitero in æternum et ultra. Tu solus habebis affectus meos omnes: tibi, Jesu, vivam, tibi soli, cui omnia debeo.

Imit. Chr. Lib. I. c. 24. No. 2. 3. 4. 7.

CAPUT VIGESIMUM SEXTUM.

De cœlo.

1. *V. J.* Fili, oculus non vidit, auris non audivit, nec cor hominis concepit quæ ego illis præparavi, qui diligunt me, mihique ad finem usque fideliter serviunt.

Quis exprimat non expertis, quid sit cœlum,

ex quo omnia mala exulant, in quo bona omnia abundant?

Ibi nullus labor, nulla afflictio, nulla tentatio, nullum periculum: hæc enim omnia cum vita mortali transierunt, dederuntque locum perfectæ quieti, gaudio æterno, imperturbabili paci, tutæ perennique securitati.

2. Ibi nec frigus, nec æstus; nec intemperies, nec temporum vicissitudo; neque inamœna diei, neque noctis tenebrosa. Nam illas beatitudinis regiones illuminat sempiterna gloria mea, divina vultus mei serenitas temperat, infinita dulcedo Cordis mei animat, ita ut omnia lumine puro ac verè novo semper rideant.

Beati, qui habitant ibi! Non esuriunt, nec sitiunt, neque ullum sentiunt incommodum; non infirmabuntur umquam.

Sed satiantur atque inebriantur de torrente divinarum deliciarum, juventute vigentes æterna, immortalesque supra solem fulgentes in perpetuas æternitates.

3. Fili, ibi videbis me sicuti sum, et facie ad faciem me in suavissimis Majestatis meæ splendoribus contemplaberis.

Tunc infinitas intuens perfectiones meas, admiratione rapieris, gaudioque perfunderis, et in excessu lætitiæ tuæ laudabis ultro, et superexaltabis Attributa mea amabilissima.

Tunc cognosces simul profunda mysteria fidei, et cuncta secreta naturæ.

Omnis scientia philosophorum ignorantia est, si cognitioni minimi Electorum comparetur.

Tunc inspicies omnem magnificentiam regni mei æterni, divitias ejus infinitas, honores sempiternos, delicias perpetuas.

Intuitu tot tantarumque amabilitatum dulcissimo mei inflammaberis amore.

4. Tunc, fili, tunc me diliges modo perfecto, sine ulla affectionum divisione, sine remissione, sine fine.

Nunc quandoque angeris, nesciens, utrum amore an odio dignus sis: tunc gaudio inenarrabili certum scies, te diligere æternumque dilecturum esse me, atque a me diligi et esse diligendum in omnia secula.

Tunc securitate perfecta super Cor meum requiesces, et pleno corde gustabis, quam dulce sit, amare me, meoque amore liquefieri.

Dulcedine nimia inebriaberis, et extra te rapieris. Natabis cum Angelis ac Sanctis in amoris oceano, jubilando et cantando amoris cantica sempiterna.

Sic transiges secula, consumesque æternitatem, amare volens ac cupiens semper, et semper amore expletus et beatus.

5. Tum denique me possidebis, fili, meque frueris in æternum; quod beatitudinis consummatio erit.

Tu eris totus mihi, et ego totus tibi: me perfrueris modo semper novo, semper dulcissimo.

In me potieris bonis omnibus, habens quidquid velle aut desiderare potueris.

Concipe, si potes, quam pulchra, quam mirabilia, quam dulcia sint ibi omnia: gloriam et elegantiam cœlorum ineffabilem videre, Angelorum choris interesse, cum Sanctis perpetuo lætari, Beatissimam Virginem, gloriosam regni cœlestis reginam, contemplari et amare, vicissimque ab ea respici ac diligi.

Quam dilecta tabernacula, fili! quam jucunda consortia! quam dulcis beatitudo, quæ perdurabit in æternum!

Ecce, fili mi, ecce merces magna nimis his, qui toto corde serviunt mihi. Num mundus tale quidquam dare, vel etiam promittere potest?

Leva igitur oculos tuos, et vide, quid te maneat, si mihi fueris usque ad finem fidelis.

Animosus esto, fili; et quantum per gratiam divinam ac tuam cooperationem vales, perfecte teipsum purifica, purumque conserva. In cœlum enim nihil intrabit, quantumvis parum coinquinatum.

Quanto autem hic fueris purior, tanto ibi gloriosior, mihique propior et Cordi meo charior eris.

6. O Jesu! quam beati, qui tecum sunt in cœlo! Felices illi mortales, qui puro corde serviunt tibi! quam ineffabili beatitudine fruentur in æternitate! Et etiam in tempore quis beatior illis?

O beatificum Jesu servitium, quo tantum obtinetur præmium! tu omnia reddis facilia et dulcia, quæ ad tam immensam ducunt gloriam et felicitatem.

Dulcissime Jesu! pro te jube me facere, jube me pati, quidquid volueris: volens libensque omnia amplector, ut tibi placeam in tempore, ac te possideam in æternitate.

Per Cor tuum sacratissimum oro, ut quacumque via tibi placuerit, me perducas salvum in regnum tuum, ut cum Angelis et Sanctis, te videam, te diligam, te fruar in secula seculorum. Amen.

Imit. Chr. Lib. III. c. 49.

DIRECTORIUM IN LIBRUM SECUNDUM.

1. Scopus libri secundi est, postquam a pravis nordinatisque affectibus liberi sumus, incumbere ad electionem nostram, per virtutum exercitium, certam faciendam. Quod ut præstemus efficaciter simul et suaviter, continue nobis proponendus est Jesus cum interioribus Cordis ejus dispositionibus, quem imitando, cum ipse sit via, et veritas, et vita, secure, certe, amœne ibimus de virtute in virtutem, ac salutem nostram tutabimur.

Exercitium autem virtutum, quibus Cor Jesu imitemur, interioremque vitam ejus in nobis exprimamus, duobus modis fieri potest, in omni statu ac conditione vitæ. Uno quidem modo, eas exercendo virtutes, quæ sunt præcepti, ac quas unicujusque conditio statusque vitæ exigunt. Altero vero, exercendo, secundum divinum beneplacitum, illas etiam virtutes, quæ consilii sunt, quibus salus nostra magis in tuto ponatur, et divinæ gloriæ meritoque nostro melius consulatur. Cum autem uterque modus in se contineat gradus indefinitos, quibus virtus exerceatur usque perfectius, nemo est, quantumvis perfectus, qui non possit hic se utiliter occupare, uberemque colligere fructum.

Sed quoniam Jesus ipse voluit, ut in suis virtutibus imitandis, super omnia humiles et mites simus corde, diligenter attendendum est ac curan-

dum, tum ut, quascumque virtutes in ipso discamus et imitemur, in vera humilitate fundemus, et perficiamus in miti charitate; tum etiam ut, in ipso modo virtutes ejus imitandi, in primis corde humiles simus et mites.

2. Nusquam melius, securiusque, et facilius, quam in Corde Jesu, virtutes discemus. Cum enim Cor illud omnis veræ virtutis sit exemplar, attente illud inspiciendo tantum, videbimus, quid sit virtus, ac quas habere debeat qualitates: neque incurremus periculum errandi in re, quæ, cum pro tempore tum pro æternitate, tanti nostra interest. Inde enim, ad miram consolationem nostram, discemus, virtutem esse rectum cordis affectum erga objectum aliquo modo bonum: atque percipiemus, objectum illud bonum, quod aliquando virtutem figurate vocamus, non esse re vera ipsam virtutem, sed virtutis solummodo objectum. Inde similiter discemus, virtutem, ut sit qualis in omni homine Christiano esse debeat; non naturalem, sed supernaturalem esse debere, ac differentiam inter utramque clare videbimus. Cordis enim Jesu affectus, quos ipse in actus sive internos sive externos deducebat, non impulsu motuve naturæ humanæ, sed superno seu divino principio oriebantur; non secundum humanæ naturæ sensa, sed secundum placita divina fiebant; non ad naturæ humanæ temporale delectamentum aliquod, sed per omnia ad Deum, tamquam finem ultimum, tendebant.

Unde, si, ex meræ naturæ impulsu aut motu, etiam bonum affectamus; si, mere juxta naturæ sensa, inclinationem aversionemve, agimus; si mere naturalem finem quærimus, virtutem habemus naturalem, qua nullam perfectionem Christianam in hac

vita, nullumque meriti fructum in æternitate colligemus. Sed si a Corde Jesu virtutem supernaturalem discimus atque exercemus, vitam interiorem, bonis meritisque plenam, ipsius vitæ similem, ducemus.

Quid est enim vita interior, cujus exemplar vita Cordis Jesu nobis est, nisi omnes actus voluntarios, tam internos quam externos, Dei gratia seu principio supernaturali incipere, eos juxta voluntatem Dei perficere, ad Deum ejusve commoda, tamquam finem, eos dirigere, nos in corde de Deo, Salvatore nostro, occupare, illi amore vivere? Hæc autem omnia præstat, qui omnes suos actus voluntarios ex divino beneplacito suscipit, eos secundum divinum beneplacitum perficit, eos ad divinum beneplacitum, tamquam finem, intendit, quam constantissime de Domino interius per amorem occupatus. En vita vere interior, qua virtutes genuinæ ac solidæ acquiruntur, quaque tuto ac suaviter ad veram sanctitatem unionemque divinam pervenitur. Hæc vita omni statui conditionique congruit: non ecclesiasticis ac religiosis tantum, verum etiam laicis et secularibus omnibus convenit. Nonne primitivi Christiani generaliter hanc vitam vivebant? Nonne hanc vitam Evangelium docet omnes?

Quicumque bonam habet voluntatem, hanc sanctificantem ducere vitam, virtutemque supernaturalem exercere, et obtinere perfectionem potest. Virtutis enim et perfectionis acquisitio, non ab indole, non a dispositione naturæ facili aut difficili pendet, ut non pauci credere videntur: verum pendet a gratia Dei et cooperatione voluntatis humanæ. Cum autem Deus det gratiam, non in-

tuitu naturalium qualitatum, sed primum gratis, deinde etiam intuitu supernaturalium meritorum et precum; cumque humana voluntas, quæcumque sit hominis dispositio naturalis, vere libera sit ad gratiæ cooperandum vel non cooperandum, evidens est, virtutem perfectionemque ab indole seu dispositione naturali non pendere. Itaque, non quo facilior est naturæ indoles, sed quo efficacior est voluntatis cooperatio, eo melius ac perfectius virtutem acquirimus: non quo minores sentimus naturæ repugnantias, sed quo generosiores voluntatis actus, invitis naturæ repugnantiis, exercemus, eo puriorem ac solidiorem virtutem obtinemus. Hæc doctrina consolatione plena, quam unanimiter docent Sancti, quamque ab ipso Corde Jesu didicerunt, attentionem nostram omnem meretur.

Etenim in virtutis exercitio cavendæ sunt illusiones, inter quas præcipua et fere communis hæc est: Contentos nos esse virtutis objectum præstando, dum virtutem ipsam non exercemus: seu credere nos exercere virtutem, cum virtutis objectum ex naturæ inclinatione, aversione, aut intentione producimus: seu etiam putare nos posse veram solidamque virtutem acquirere sine repetitis generosisque actibus, quibus passionum motus naturæque impulsus superantur aut abnegantur. In hanc illusionem maxime timendam ii præsertim labi solent, qui perfecte cor suum purificare negligunt. Aliæ illusiones, quæ in virtutis exercitio occurrere quandoque possunt, ex præcedenti fere oriuntur; quales sunt: ex una parte, animum despondere ob naturæ difficultates aut reluctantias: has tamquam impedimenta virtutis considerare, et non tamquam media, quemadmodum vere esse

possunt, si generoso corde adhibeantur, ad virtutem genuinam et solidam acquirendam: ex altera parte, bonam qualitatem naturæ, vel exemptionem a vitiis tentationibusve reputare virtutem; vel etiam, vera solidaque virtute neglecta, ad divinam unionem aspirare. Has autem aliasque illusiones facile evitabis, si, ut verus Cordis Jesu discipulus, vitam interiorem vivis.

3. Quando igitur in ea spiritualis vitæ parte versaris, quæ in hoc libro a Corde Jesu docetur, ad hoc dirigere debes conatus tuos, ut Jesum quam perfectissime cognoscas et diligas, ut dispositiones Cordis ejus melius ac melius semper discas atque induas, in cogitando, in loquendo, in agendo. Hæc autem ut assequaris, præter duos meditandi modos, qui ante librum primum traditi sunt, et quos, si utiles tibi experiaris, hic etiam adhibere licet,

4. Ecce modus proprius utendi libro secundo duplex: prior meditandi, posterior contemplandi: uterque iis, quæ de oratione mentis nobis tradiderunt Sancti, prorsus consonans.

Si mediteris, memoria tibi repræsentet aliquam virtutem Cordis Jesu meditandam, eamque, post meditationem, in actum deducendam retineat.

Intellectus propositæ virtutis qualitates consideret; tum, comparet proprium cor cum Corde Jesu circa virtutem consideratam; deinde, præteritam repetat vitam, utrum quantumve hanc virtutem colueris; si sufficienter, gratias age, honoremque redde Deo, Salvatori tuo; sin contra, dole veniamque roga; denique in futurum prospiciat, quando, et quomodo eam virtutem exercere possis.

Voluntas eamdem virtutem amplectatur, inter-

nos ejus actus eliciat, imo cum Jesu ipso agens, proloquatur cordis sensa: quid doleat, quid proponat; quid timeat, quid speret; quid horreat, quid amet; quin omnia sua pie communicet, multa denique petat.

Quodsi contempleris, vide in mysterio aut re particulari, quam contemplandam tibi proposueris, quid Cor Jesu vel Jesus Corde sentiat de omnibus ac singulis in re occurrentibus; quid, et quanti æstimet; quid, et quantum condemnet; quid fugiat, et quid amplectatur.

Dein attende in re ista, quæ verba e Corde Jesu profluant, ac quæ in Corde Jesu ne concipiantur quidem, multo minus inde proferantur.

Denique observa in eadem re, quales actus e Corde Jesu procedant, quantis virtutibus adornentur.

Atque per totam contemplationem, pro devotione vel necessitate tua, aut pro motu gratiæ, indulge et insiste actibus, piis scilicet affectibus ac petitionibus.

Hoc modo ex contemplatione disce sentire, et loqui et agere, sicut ipse Jesus.

Actus, qui in hac interioris vitæ parte specialite rcommendantur, præter actus virtutum theologicarum, sunt actus frequentes illius virtutis, cui incumbis, generosæque abnegationis naturæ inordinatæ, et nobilis amoris erga Jesum. Hos constanter repete.

Sive autem mediteris, sive contempleris, ita oportet mysteria vitæ Jesu considerare, ac si illis præsens interesses. Quod expressis verbis docet S. Bonaventura. „Si fructum, inquit, ex his sumere cupis, ita te præsentem exhibeas his, quæ per Dominum Jesum Christum dicta et facta nar-

rantur, ac si tuis auribus audires, oculis ea videres, toto mentis affectu, omnibus aliis curis et sollicitudinibus tunc omissis."

5. Sancti, qui interioribus vitæ spiritualis viis erant periti, nobis tradunt, dæmonem, malum spiritum, solere magis sub specie boni illos tentare, qui jam a peccatis immunem vitam ducentes, in acquirendis virtutibus se exercent. Quare personis hujusmodi, ad discernendum inter malum spiritum et spiritum bonum, atque inter utriusque suggestiones, regulas commendant sequentes.

Prima. Iis, qui de bono in melius procedunt, bonus Spiritus movet animam pacifice, serene, suaviter:

Malus vero spiritus animam movet turbate, confuse, acute.

Eos autem, qui de malo in pejus procedunt, dicti spiritus movent modo contrario. Spiritus enim bonus eos interius pungit, et inquietat, et lacessit, ut eos ad conversionem inducat.

Spiritus autem malus eos in malo pacare, et fovere, eisque blandiri conatur, ut eos in malo teneat et promoveat.

Secunda. Proprium est Dei et Spiritus cujusque boni, in suis motionibus, dare recte agentibus seu sincere conantibus veram lætitiam et gaudium spirituale, atque removere tristitiam et turbationem, quam malus spiritus inducit.

Et proprium est spiritus mali, contra ejusmodi lætitiam et consolationem pugnare, adducendo rationes apparentes, subtilitates, varias fallacias.

Tertia. Malus spiritus valde observat, utrum anima sit delicata an laxa conscientia: Si delicata est, nititur illam reddere magis delicatam, usque ad

scrupulum atque extremum, quo facilius eam turbet ac profliget: ut, si videt animam non admittere in se peccatum mortale, nec veniale, neque defectum ullum voluntarium, tunc malus spiritus, cum non possit efficere, ut ipsa cadat in aliquod peccatum, conatur efficere, ut ipsa judicet aut reputet esse peccatum, quod peccatum non est:

Si vero anima est laxa, nititur malus spiritus eam laxiorem adhuc et crassiorem reddere; ut, si prius nihili faciebat peccata venialia, efficere conatur, ut jam mortalia parvi pendat, et, si prius peccata curabat aliquantulum, nititur efficere, ut nunc ea multo minus, vel omnino non curet.

Quarta. Anima, quæ in vita spirituali proficere desiderat, semper debet procedere modo contrario ei, quo procedit spiritus malus. Itaque si hic tentat animam reddere laxiorem, illa delicatiorem se reddere curet: similiter, si hic illam ita delicatam reddere conatur, ut ad extremum, aut ad scrupulum deducat, illa curet se in recto medio firmare, ut prorsus quietam se reddat atque conservet.

Quinta. Proprium est spiritus mali, qui se in angelum lucis quandoque transfigurat, incipere cogitationes animæ devotæ conformes obtrudendo, et finire suas perversas suggerendo.

Sexta. Debet anima bene ad seriem cogitationum ingestarum attendere: etenim si principium, et medium, et finis sint bona, tendantque ad bonum objectum, signum est, suggestas cogitationes venire a spiritu bono: sed si in serie cogitationum, quas suggerit spiritus, desinat in rem aliquam malam, vel distrahentem a bono certo, vel etiam minus bonam quam eam, quam anima ante statuerat faci-

endam: aut si animam inquietam reddat, vel conturbet, illi auferendo tranquillitatem ac pacem, qua prius fruebatur, clarum est signum, cogitationes illas a malo spiritu venire.

Septima. Cum inimicus fuerit deprehensus ac cognitus ex malo, ad quod inducit, expedit, ut anima consideret postea seriem cogitationum, sibi sub specie boni suggestarum, repetatque a principio, quomodo paulatim tranquillitatem interiorem ac pacem labefactare et removere curaverit inimicus, donec suam perversam intentionem introduceret. Qua experientia anima edocta, facilius in posterum a mali spiritus fraudibus cavebit.

S. Ignat. S. Bernard. S. Gertrud.

LIBER SECUNDUS.

Admonitiones ad imitandum sacrosanctum Cor Jesu agentis utiles.

CAPUT PRIMUM.

Quanti æstimanda sit, quantumque fovenda gratia sanctificans.

1. *V. J.* Fili, noli negligere gratiam: sed hoc bonum depositum custodi.

Hic enim thesaurus tuus, hæc gloria tua, hæc felicitas tua, hoc omne bonum tuum.

Hæc est, quæ te, imaginem Dei, informat, teque Deo similem reddit.

Agnosce igitur, homo, dignitatem tuam, qui per gratiam sanctificantem attolleris usque ad similitudinem Dei, toto mundo sublimior, ac nullis rebus in terra comparandus.

Quid est splendor astrorum? quid omnium creaturarum venustas, si conferatur pulchritudini animæ, divina gratia ornatæ, atque ita Deo ipsi assimilitatæ?

Erige te ergo, ac memor pulchritudinis tuæ, noli te maculare sordibus.

2. Gratia ista resplendentem, te Deus adoptat in filium, non qualemcumque, sed charissimum et dilectissimum.

Einsidlae, apud C. & N. Benziger, fratres.

Apparuit benignitas et humanitas Salvatoris nostri Dei. (Tit. 3, 4.)

Ita quod ego per naturam, tu habes per adoptionem, ut non solum nomineris, sed et sis vere filius Dei.

Cape, si potes, quid sit, esse filium Dei: quid sit, diligi ac foveri a Patre tali.

In mundo gloriantur filii, et beatos se reputant, si habent parentes sapientes, bonos, potentes; vel etiam divites, clarosque, et magnos.

Ast quid sunt omnium hujus terræ parentum qualitates, si cum qualitatibus Dei conferantur?

Quanto igitur justius vehementiusque tibi gloriandum ac gaudendum, eo quod habeas Patrem Deum ipsum, dominum cœli et terræ!

Hujus itaque divinæ adoptionis justo perpende judicio. Tibi enim quondam extruso, tibi alienato, tibi in miseriis abjecto, per gratiam sanctificantem datum est, ut liber efficereris ex servo, ut de extraneo provehereris in filium, ut ita nobilitatus, divinis affluéres bonis.

Nonne omnem intellectum hoc superat, ac omne cor rapit, ut Deus hominem vocet atque habeat filium, et homo Deum nominet teneatque Patrem?

Beatus ille, qui cognoscens pretium sanctificantis gratiæ, qua in filium Dei assumptus est, tanti faciat hanc suam nobilitatem maximam, ut nulla ratione se monstret degenerem, sed tali Patre dignum se probet filium!

3. Si filius gratia, hæc etiam hæres constitueris; hæres quidem Dei, cohæres autem meus.

Itaque, fili, regnum sempiternum, quod meum est jure naturæ, tuum est titulo gratiæ sanctificantis.

Cum cœlum aspicis, cum animo contemplaris gloriam, beatitudinemque, et omnia bona æterna,

tibi dicito: Ecce bona mea; ecce hæreditas mea, si titulum gratiæ servem.

Merita mea, fili, acquisiverunt, ut hæc gratia tibi conferat jus certum ad bona cœli, a quo te exhæredare nemo possit, nisi tu ipse.

Promissio enim Dei stat, et ipse suo verbo erit fidelis: Si vero tu abjicis gratiam sanctificantem, simul et jus tuum abjicis, et factus es exhæres.

4. Gratia, fili, qua constitueris hæres regni cœlorum, fis Angelorum socius, ac frater Sanctorum.

Si gaudes te frui dulcedine sociorum insignium, licet mortales sint ac mutationi obnoxii; si gaudes te habere fratres secundum carnem, quamquam numerus eorum magnitudinem hæreditatis tuæ terrenæ dividit ac minuit: quanto tibi debet esse gaudio, per gratiam istam possidere socios, beatos cœli Angelos, et habere fratres, dilectos Dei Sanctos, quorum multitudo nec dividit nec minuit cœlestem hæreditatem tuam, sed contra eam multiplicat et auget!

Quales fratres, fili mi! quam multi! quam illustres! quam potentes! quam boni!

Ili sunt fratres tui natu majores, qui clari triumphis, beatitudinis gloria coronati, securi sui, at tui solliciti, te vere diligunt, te exemplo provocant, precibus juvant, præmiis invitant.

Felix gratia, quæ talium te pariat fratrem! Utinam, fili, hoc intelligas!

5. Præterea facit gratia sanctificans, ut etiam, quod ad vitam præsentem, vera felicitate fruaris. Hæc enim gratia pacis interioris principium est: sine hac gratia nulla pax vera: cum hac gratia pax secura.

Quis umquam restitit ei, et habuit pacem? Et ubi pax non est, quæ felicitas existere potest?

Si autem gratiæ pace frueris, sancte et secure lætaberis in prosperis, atque in adversis facile et fructuose te consolaberis.

Conserva te in gratia, et semper poteris habere pacem ac felicitatem. Testes omnes Sancti: imo vero testes et illi omnes, qui aliquando conversi, diligenter custodierunt divinam gratiam. Quam possidentes et cum anteactæ vitæ interiori conditione comparantes, dicere mihi potuerunt experti: Melior est dies una in atriis tuis, Domine, super millia in tabernaculis peccatorum.

6. Quin imo, fili, si in gratia sanctificante vivis, regnum meum intra te est, ita ut in corde tuo tamquam in throno quiescam et regnem.

Porro regnum meum est in tranquillitate et gaudio Spiritus Sancti, qui est Spiritus charitatis et sanctificationis.

In isto regno, non tam ut Dominus subjecto impero, quam ut Pater filium formo, quem ad regnandum mecum destino.

Quamdiu itaque sub hoc gratiæ regno permanes, peculiariter te mea sapientia dirigo, mea potentia protego, meo amore prosequor ac complector.

Nec est, fili, quod huic regno ita gubernato, ita defenso, ita dilecto, timeas, nisi ipse fias proditor.

Si tu fueris fidelis, illud procul dubio stabit firmum semper, perdurabitque in æternum usque: nec erit in potestate inimicorum omnium, illud subvertere aut labefactare.

Quam dulce, fili, quam consolatorium hoc! quam aptum ad efficiendum, ut gratiam sanctificantem, beatumque gratiæ regnum quam maximi facias!

7. Vide jam, fili mi, quot et quanta bona in uno hoc bono possideas.

Nonne hoc unum bonum rebus hujus mundi omnibus præstat?

Ora, fili, ut melius semper ac perfectius gratiæ cognoscas pretium, et actu tanti æstimes, quanti debes.

Si recte noveris illam, justoque æstimes, ad illam conservandam non solum fortunam, famam, jucunda quæque et chara, verum etiam sanitatem et vitam ipsam sacrificare, si necesse fuerit, vel parum vel certe non nimium duces.

Nonne sancti mei Martyres, omnesque sancti heroes, inter quos tot pueri teneræque virgines, illam tanti fecerunt? Nonne millia ex ipsis, facultate eligendi data, omnia vitæ bona, vitamque ipsam in tormentis sacrificarunt potius, quam ut pro quocumque re oblata illam amitterent?

Tu ergo, qui tantorum heroum filius es, omnes conatus, vigiliamque assiduam, et maximam curam adhibe, ut pretiosissimam illam gratiam conserves, eo magis quod omnia inimicorum tuorum molimina ad hoc tendunt, ut te illa spolient, atque ita perdant.

De cætero, charissime, confortare in gratia: cresce in illa, per actus veræ virtutis profice usque ad perfectionem.

Intellexisti hæc omnia, fili mi?

8. *V. D.* Etiam, Domine. Et utinam hæc ante intellexissem! Si hæc olim intellexissem, nonne, postquam divinam gratiam amiseram, vehementius ac lamentabilius plorassem atque ululassem, quam Esaus ob juris primogeniti jacturam? Incomparabiliter enim major erat mea, quam illius jactura, atque pro re viliori facta.

O si hæc intellexissem, num thesaurum hunc pro ulla re quacumque projecissem?

Domine Jesu! utinam bonum hoc maximum numquam perdidissem! Verumtamen unum me consolatur, nondum esse nimis serum; adhuc me gratiæ tuæ privilegiis frui, eaque me sanctificare posse.

Gratias tibi, dulcissime Jesu; quia misericordiam tantam mihi indigno fecisti. In æternum non obliviscar tantæ benignitatis Cordis tui.

O Jesu! da, quæso, da, ut deinceps morte quacumque prius moriar, quam ut gratiam tuam amittam. Oro et obsecro, per sacratissimum Cor tuum, hanc petitionem exaudi.

Quærat qui voluerit argentum vel aurum, honorem aut eminentiam, gaudia mundi aut consolationes: ego a te, Domine, doctus, hoc unum præ omnibus opto, ut conservem gratiam tuam, atque in ea crescam omnibus diebus vitæ meæ.

Imit. Chr. Lib. III c. 55.

CAPUT SECUNDUM.

Quid Filium Dei ad Incarnationem moverit.

1. *V. J.* Fili, unus bonus, Deus: ipse summa Bonitas, summa Sapientia, summa Potentia, summa denique Perfectio.

Quid igitur melius aut perfectius esse potest, quam sequi et imitari Deum?

Cum autem Deus sub sensus non caderet, sensibusque proclivi essent homines, placuit, ut ego, divina persona, homo fierem, eisque formam externam ac sensus captantem exhiberem, quo facilius et suavius Deum imitari possent.

Primi quidem homines ad alta aspirantes, cum superbe cuperent tentarentque Deo ita assimilari, ut veluti dii scirent bonum et malum, ceciderunt, bonum cognitum amiserunt, ignotum malum experti sunt.

Ego vero hominibus meipsum præbere volui talem, ut sine præsumptione, sine periculo, secure aspirare possent ad se Deo ita assimilandum, ut a malo eriperentur, et bonum acquirerent.

2. Sed ante omnia, redimendi homines, debitisque eorum solutis, liberandi erant.

Gravibus autem ligati erant debitis. Tanta enim divinam Majestatem affecerant injuria, ut nulla prorsus creatura, sed solus Deus, factus homo, divinæ justitiæ plene satisfacere, honoremque divinæ Majestatis vere reparare posset.

Jacebant misera inferni mancipia, et sine remedio in se perdita gemebant. At ego misertus turbæ miserorum, inter ipsos veni cum corde ad effluentiam usque pleno misericordia, ut illos redimerem, educeremque in sanctam et dulcem libertatem.

3. Cœlum propter peccatum erat obseratum, nec erat inter creaturas sive in cœlo sive in terra, qui reserare posset; et nisi ego descendissem et aperuissem, nemo mortalium in cœlum umquam ascendisset.

Ecce ante adventum meum, notus quidem in Judæa Deus, ubi pauci digne serviebant ei, idque non nisi per gratiam, intuitu futuri adventus mei hominibus datam. Inter gentes autem, quantulus numerus eorum, qui gratiæ isti cooperantes, timebant Deum, justitiamque operabantur, et accepti erant illi!

In quantis tenebris errabant sine cura plerique omnes! in quam profundo latoque pravitatis barathro se volvebant!

Quin etiam nunc post opus Redemptionis completum, quales homines multi, invitis tot salutis mediis! Culpa sua ignari, aut immemores mei, errant cæci, pravique ruunt in interitum.

Quid igitur de genere humano factum esset, nisi ego, Verbum, caro factum fuissem? Ne unus quidem totius generis ad Deum, ad beatitudinem supernaturalem, pertingere potuisset.

Ast ego extrema celsitudinis divinæ cum humanæ humilitatis extremis, carnem assumendo, in me conjunxi, ita ut quicumque vellet, per me ad Deum beatitudinemque supernam pervenire posset.

4. Deum, Patrem meum, veni glorificaturus: nomen ejus et amorem manifestaturus hominibus.

Antiquitus nomen Dei, nomen Domini sanctum et terribile: nunc autem nomen Dei, nomen Patris sanctum et dulce.

Lex enim antiqua, lex timoris: lex vero nova, lex amoris. Etenim sic Deus dilexit homines, ut Filium suum unigenitum daret.

Atque ego amore erga Patrem et erga homines, incarnatus sum de Spiritu Sancto, Spiritu dilectionis.

Totum ergo opus Incarnationis, opus amoris, amoris autem gratuiti, amoris infiniti.

5. Ego e cœlo veni, et revertor in cœlum, omnibus viam ad illud ostendens, ut ubi ego sum, ibi quoque sint qui hac via me sequuntur.

Ego sum veritas, atque apparui lucens in mundi tenebris, ut illuminarem omnem hominem, venientem in hunc mundum, adeo ut quisque gressus suos in itinere secure tutoque dirigere posset.

Ego sum vita, et ad hoc veni in mundum, ut mortui haberent vitam et abundantius haberent: vitam quidem gratiæ in via, et vitam gloriæ in cœlesti patria.

Ecce autem etiam posteaquam ad vitam gratiæ regeneratus homo, a mortis captivitate liberatus viamque ad patriam a me edoctus esset, sequi non valuisset infirmus atque debilis.

Magnæ infirmitates, fili, magni languores: sed major omnipotens Medicus, major divina medicina, curans omnem infirmitatem, sanans omnem languorem.

Medicina hæc est multiplex gratia, pretium dolorum meorum, Cordisque mei donum, prævéniens omnem hominem ad sanitatem desiderandam, fortificans sanatum, eum adjuvans ad me sequendum.

Veniens in orbem terrarum, potuissem currere citius, quam gigas, cursum meum. Sed multitudo languidorum ita commovit Cor meum, ut sistens inter illos, viderer cum eis quodammodo infirmari, ac præcedens ita planarem omnem viæ asperitatem, singulosque ita juvarem et animarem, ut, si modo vellent, vestigia mea ad regnum cœlorum commode et alacriter sequi possent.

6. En, fili mi, en quomodo te amaverim! Nam hæc omnia propter omnes quidem, sed propter singulos etiam: ideoque hæc omnia et propter te, quasi tu solus fuisses in mundo, perditus et miser, et ego de cœlo sic venissem quæsitum te, redemptum te, salvatum te.

Itaque cum ego ad te hoc modo descenderim, ut te ita in regnum meum sempiternum ducam, sequere me.

In quacumque conditione, in quocumque statu fueris, in circumstantiis omnibus propone tibi vitam meam, viam cœli certam et securam.

Hanc autem ne credideris esse vitam meam exteriorem tantum, cum interior vita mea sit præcipua.

Interius meum, Cor meum est: ibi omnis gloria: ibi omnium virtutum principium.

Fili, noli esse sicut Judæi, qui speciem tantum exteriorem in me attendebant, Cordis autem mei sensa dispositionesque non considerabant.

Tu vero ad Cordis mei interiora penetra: illud scrutare, illud meditare, totus esto in illo.

7. Si grato sis animo erga me, si me redames, quid Cordi meo placeat, diligenter inquires, fideliterque perficies.

Sed in oratione quærendum, amore petendum, amore amplectendum, amore denique exequendum.

Fili mi, oratio clavis est cœli: imo oratio clavis Cordis mei. Hac clave aperi, et utere omnibus Cordis mei thesauris.

8. *V. D.* Gratias tibi æternas, Domine Deus, Creator et Redemptor generis humani, pro tua gratuita et nimia charitate, qua nos homines mirabiliter formatos, mirabilius reformasti.

O Jesu Christe, qui ab æterno ineffabiliter existens Filius Dei, Filius hominis fieri voluisti amoris tui erga nos excessu: quis te non redamet? quis tibi inseparabiliter non adhæreat? quis non vivat unice tibi, cui omnia debet?

O magna benignitas! O mira suavitas! videre Filium Dei esse Virginis natum.

Adoro te, Jesu, Fili Dei vivi, ex Maria caro facte! Spero in te, o bonitas infinita! Amo te toto corde, o amor amantissime et amabilissime! Tu via mea: tu veritas mea: tu vita mea.

Imit. Chr. Lib. III. c. 18. *et c.* 3. *No.* 1. 2. 5.

CAPUT TERTIUM.

Quod cor nostrum, ad exemplum Sacrosancti Cordis Jesu incarnati, totum Deo devotum esse debeat.

1. *V. J.* Fili, primus post Incarnationis actus Cordis mei fuit actus amoris, quo me meo Patri cœlesti prorsus devovi.

Nihil in me erat, quod Patri toto animo non consecraverim: nec quidquam erat in voluntate Patris, quod toto Corde non amplexus sim.

Jam tum intimo Corde exercite dixi: Ecce, Pater mi, venio voluntatis tuæ victima: in capite libri vitæ scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam: ecce volui; et legem beneplaciti tui in medio Cordis mei.

Primo vitæ meæ momento præsentavit mihi Pater omnes labores et difficultates, omnes humiliationes et dolores, quæcumque demum mihi facienda et patienda erant usque ad ultimum vitæ suspirium.

Ego autem Corde volente penitusque devoto omnia et singula excepi, secundum Patris beneplacitum:

Atque Cordis hanc interiorem dispositionem cunctis vitæ momentis fovebam, eaque perpetuo urgebar, ut quæ placita erant Patri meo, facerem semper.

2. En, fili, veræ devotionis exemplum, quo instructus ab initio cursus tui in via virtutis, te similiter toto corde devoveas.

Vix reperitur quidquam, in vita spirituali, tanti momenti, quanti vera et tota cordis devotio. Cor enim, quod non est mihi prorsus devotum, integra puritate carere se probat.

Si parce mecum agis, parce ego tecum agam: si autem generosus es erga me, ego vicissim erga te generosus ero, atque te generositate semper transcendam.

Quodsi corde liberali te tuaque omnia mihi ita devoveas, ut in rebus omnibus beneplacitum meum efficaciter amplectaris, ipse te inviolabiliter ac tuto ducam per omnia, quæcumque tibi evenerint, atque etiam ad te salvandum quodammodo tenebor.

3. Hæc perfecta devotio, sanctitatis Electorum omnium semper fuit exordium.

Animæ illæ generosæ et nobiles pro nihilo reputabant maxima per omnem vitam sacrificia, ut quidquid haberent, quidquid essent, mihi perfecte consecraretur ac devoveretur.

Atque ideo tantæ liberalitatis tantæque munificentiæ erga illos eram, ut etiam in hac mortali vita præ nimia dulcedine consolationis a lacrymis abstinere sæpe non possent, atque in terris aliquid prægustarent illius felicitatis, qua postmodum inebriandi erant in cœlis.

Nunc autem plurimi eorum, qui devotionem profitentur, in illis tantum rebus illisque circumstantiis, quæ sibi placent, devoti esse volunt.

Hi profecto sibi potius, quam mihi devoti sunt. Quamobrem proprii amoris servi esse pergunt, miseri et felicitatis interioris expertes manent, nec ad unionem divinam dispositi fiunt.

Tu vero, fili mi, si vis esse vere liber ac beatus, abstrahas cor tuum ab objectis omnibus præter me, mihique soli totos affectus tuos dedas.

Si cor tuum mihi perfecte devotum servare posses, tunc in omni rerum eventu imperturbatus

ac quietus permanere valeres. Non enim ex rerum casu, sed ex corde erga divinum beneplacitum male disposito omnis oritur perturbatio.

Quod si optes ad unionem mecum intimam pervenire, purus ab omnibus creaturis, ac mihi in rebus omnibus devotus esse debes.

4. Fili, non sit tua, qualis multorum devotio, quæ tota exterior, in solis externis sistit, ideoque devotionis species, non ipsa devotio est.

Tua devotio sit vere interior, suumque habeat principium in corde ita disposito, ut cum divina gratia paratus sis, nulla conditione posita, te cunctis ordinationibus meis submittere, tuaque omnia sacrificare, ad inserviendum commodis meis.

Ad exteriora tamen devotio tua transire debet, quoniam homo es, et non Angelus. Cum autem corpus et animam habeas, utrumque donum meum; per utrumque me honorare, et teipsum sanctificare debes.

Quæ vero exterius in te videntur, solum e cordis abundantia quasi supereffluentia sint: Sic enim et devotio tua erit solida, et verus Cordis mei imitator eris.

5. Hæc devotio, fili, effectus est gratiæ supernaturalis, quæ illuminans intellectum, et voluntatem movens, facit, ut homo sit voluntarie promptus ad omnia, quæ divini sunt servitii.

Nullo umquam naturæ medio devotionem hanc acquires, cum et ipsa supernaturalis sit, et supernaturali virtute exerceatur.

Nisi itaque divina gratia fueris adjutus, nihil proficies, etiamsi te mihi devovere protestatus sis, aut devotus ipse tibi videaris.

Ora igitur, ut accipias copiosam gratiam, ac

devotionis spiritum obtineas. Impetrabis, si bene oraveris. Orationi promissa sunt omnia.

Gratia adjuvante et conatu tuo cooperante, vera devotio, quæ multis, amore proprio ductis, nomine solo nota est, aut gravis sentitur, tibi facilis ac dulcis fiet.

Sive adsit consolatio sensibilis, sive absit, perges res tuas pacifice et fructuose perficere, officiisque fungi, et exercitiis spiritualibus esse fidelis.

Sine anxietate, sine sollicitudine quiesces inter brachia Providentiæ meæ, sicut infans in sinu matris: atque tranquillus et contentus eris in omnibus, per quæ voluero te perducere ad vitam æternam.

6. *V. D.* Domine Jesu! qui, ut me salvares, exinanisti teipsum, et in testimonium amoris tui mihi dedisti Cor tuum, amore mei penitus devotum; concede mihi, quæso, perfectæ devotionis gratiam, ut, rebus omnibus præter te cordi meo subtractis, fiam totus tuus amore tui.

Fretus gratiæ tuæ auxilio, quod supplex imploro, me tibi toto corde offero, ut sim tibi, servitioque tuo, et commodis tuis usquequaque devotus.

O dulcissime Jesu! me, quæso, et quidquid sum, et quidquid habeo, suscipe tibi datum ac dedicatum: et largire mihi devotionis sanctæ spiritum, qui unctione sua cor meum repleat, pietatem reddat sapidam, amorem erga te nutriat, dulcet orationem, ad actionem bene disponat.

Illo animatus, constans lætusque in servitio tuo perseverabo, proximum ad te suaviter traham, ipsos Angelos et Sanctos lætificabo, denique, quod majus omnibus est, Cor tuum recreabo gaudioque perfundam.

Imit. Chr. Lib. III. c. 15.

CAPUT QUARTUM.

Quod a Sacrosancto Corde Jesu nati, debeamus discere et imbibere Spiritum ejus.

1. *V. D.* Venite et videte, creaturæ omnes! miramini et obstupescite: Ecce Deus inclinavit cœlos, et descendit, et en habitat nobiscum!

O Deus infans! O prodigium amoris! O deliciæ Angelorum, qui de cœlo venerunt, ut contemplentur te reclinatum in isto præsepio!

O Jesu, Fili Dei, e Virgine nate! quam amabilis! quam dulcis mihi, factus infans, speciosus præ filiis hominum! factus totus amor!

Mirabilis plane in majestate Divinitatis tuæ: sed mirabilior mihi in amabilitate parvitatis tuæ.

Amandus summe in perfectionum æternarum infinitate: sed rapiens corda nimietate suavitatis infantilis.

Quis, o infinita Suavitas! quis possit satiari hic te contemplando, te amando, se inebriando dulcedine amoris Cordis tui!

Quam dulcis es! o Jesu mi! quam dulcis es, absque eo, quod intrinsecus latet! Qualis ergo Spiritus tuus interior? Suavissimus utique et super mel dulcis.

2. *V. J.* Imo, fili, Cordis mei Spiritus est, qui facit, qui vivificat hæc mirabilia, hæc dulcissima.

Spiritus hic meus, qui amore me e Patris sinu duxit in sinum Virginis, quique me Patris unigenitum tanta suavitate introduxit in orbem terrarum, animat, dirigitque, et ducit semper Cor meum, ut, ubi est impetus Spiritus, illuc gradiatur.

Plenitudo Spiritus in Corde meo: quem enim misit Deus, ei non ad mensuram dat Spiritum.

Et requiescit super Cor meum Spiritus ille, qui est Spiritus sapientiæ et intellectus, Spiritus consilii et fortitudinis, Spiritus scientiæ et pietatis, Spiritus timoris Dei, Spiritus gratiæ et precum, Spiritus dilectionis.

Talis est Spiritus Cordis mei: Spiritus supernaturalis, divinus, qui est charitas, virtutes omnes complectens charitas.

Spiritus ille Cordis mei, amor spirans amorem, suaviter et fortiter ducens, impellit ad perfecta, ad sacrificia movet, ad heroica allicit.

3. Beatus, fili mi, qui habet divinum Cordis mei Spiritum, sinitque se per omnia duci ab illo! Quicumque enim Spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei.

Non forma, non professio, sed Spiritus facit Cordis mei discipulum verum.

Quid tibi proderunt cætera omnia, si hunc non habueris Spiritum? Nam qui non habet Spiritum meum, hic non est meus.

Sine Spiritu meo, non tibi sapient, quæ facio; quæ doceo, non recte intelliges; nec quæ præcepero, corde gustabis. Tantum mea tibi sapient, tantum ea intelliges, tantum denique gustabis, quantum habueris Spiritum meum.

Si Spiritu meo sis animatus, mea judicia erunt judicia tua; sensa mea, tua sensa; vita Cordis mei, tui cordis vita.

Ex hoc Spiritu omnis verus Cordis mei discipulus intuetur omnia: ex hoc uno omnia censet: ex hoc uno agit et agitur.

Habe Cordis mei Spiritum, et fac quæ volue-

ris: in omnibus Spiritus ille te ducet tuto ac proteget.

4. Spiritus hic meus omnes animavit Sanctos: ejus unctio docuit, virtus fortificavit, sanctitas formavit.

Vide, quid docuerit Apostolos et Martyres, Confessores et Virgines: vide, quousque fortificarit: vide, quales formarit, ut calcantes mundum totum, seque ipsos relinquentes, alii quidem ad supplicia mortis, tamquam ad gloriæ triumphum, incesserint; alii ipsos Angelos æmulati sint; alii viam communem perfecte secuti sint: universi autem vestigia mea alacriter presserint, et societatem meam per casus omnes usque ad finem tenuerint.

Quid Sancti, Spiritu meo stimulati, non susceperunt? quid non fecerunt, ut se sanctificantes, me magis semper amarent ac glorificarent, hominesque omnes, quantum poterant, ad me amandum et glorificandum inducerent?

Hi Cordis mei discipuli perfecti, qui Spiritu meo sancto erant pleni, ex eodem omnes disponebant cogitationes, omnia verba ordinabant, dirigebant opera, totam componebant vitam.

5. Fili, si vis Spiritum hunc Cordis mei discere, stude vitæ meæ, eamque devote meditare: penetra Cor meum, ejusque sensa pie examina et perpende; ubique ex fructibus ejus cognosces eum.

In omnibus singulisque vitæ meæ mysteriis operantem reperies Spiritum meum.

At quid proderit cognoscere Spiritum, nisi de plenitudine ejus accipias? Ut igitur illo animeris, aut animationis ejus in te obtineas incrementum, ora, fili, ora ferventer.

Si oraveris, ut oportet, indubitanter accipies:

promisi enim, me daturum Spiritum bonum petentibus.

Quanto melius magisque oraveris et meditatus fueris, tanto plus de illo accipies, perfectiusque eum cognosces, ac facilius sequeris ductum ejus.

6. *V. D.* O Jesu, de cujus Spiritus plenitudine discipuli tui accipiunt et vivunt, mitte, obsecro, in cor meum tui Cordis Spiritum, ut animet et regat me in omnibus et per omnia.

Non rogo te, sicut Elisæus Eliam, ut fiat in me duplex Spiritus tuus, cum ne simplicem quidem totum capere parvum cor meum valeat; sed oro, ut Spiritus tuus me totum repleat, excludatque in perpetuum spiritum mundi, spiritumque proprium.

Da cordi meo in tuo Spiritu recte sapere, quæ sapit Cor tuum; intelligere, quæ docet; quæ facit, affectu simul et effectu gustare.

Vivam deinceps Spiritu tuo, non jam mere vitam naturæ, sed gratiæ; non vitam mere humanam, sed quodammodo divinam, vitam Spiritus tui.

Imit. Chr. Lib. I. c. 1. No. 2. et c. 3. No. 1. 2. 3.

CAPUT QUINTUM.

Quod a Sacrosancto Corde Jesu infantis humilitatem discere debeamus.

1. *V. D.* Quomodo nobis parvulus natus es, o Jesu, et puer datus es nobis! Nonne tu es qui es: et hoc nomen tuum in æternum?

Generationem tuam quis enarrabit? Ecce a seculo et usque in seculum tu es.

Quis loquetur potentiam tuam, aut notas faciet cæteras perfectiones tuas? Per te omnia facta sunt: a te reguntur omnia: tu cœlum et terram imples: et en qualem te hic video!

O prodigium! O miraculum! Deus, ecce Deus infinitus jacet parvulus in hoc antro!

Exinanivit semetipsum factus infans, inter humiliationes exulans, ignotus ac contentus.

Quomodo, Jesu dulcissime! quomodo, amabo, parvulus natus, et puer datus es nobis?

2. *V. J.* Fili mi, ego veni salvare quod perierat. Talis autem erat generis humani ruina, ut ejus reparatio tantam Filii Dei requireret humiliationem.

Ceciderat enim homo in abyssum superbiæ: humilitate ego descendi, et abyssum penetravi, ut hominem eriperem.

Ecce antequam in mundum veni, superbia usque adeo obscuraverat corruperatque mentes gentium, ut humilitatem non solum non agnoscerent virtutem, sed contra debilitatem animi haberent atque horrerent.

Cum enim cognovissent Deum, cujus lumen signatum est super cor humanum, non sicut Deum glorificaverunt; sed evanuerunt in cogitationibus suis: obscuratum est insipiens cor eorum; corrupti sunt, et abominabiles facti sunt in studiis suis. Ita fere omnis caro corruperat viam suam.

Ad mundum tam magno, tam exitioso errore liberandum, quid melius aut efficacius, quam exemplum summe sapientis et perfecti Dei, se usque ad exinanitionem humiliantis, atque ita omnem humanam confundentis superbiam, ejusque rationes aut prætextus in æternum refellentis?

3. Superbia, fili mi, semper fuit eritque semper omnium malorum origo: humilitas autem principium bonorum omnium.

Humilitatem, quæ virtus virtutum est, veritas gignit, et informat charitas.

Primum ergo vere teipsum noveris et Deum, ut quæ Dei sunt, Deo, et quæ tua sunt, tibi tribuere possis.

Itaque, fili, quid ipse ex te sis, cognoscere cura. Ex teipso quid es tu? quid nisi nihilum, ex quo te Deus creavit? Nihilum hoc tuum, ens autem quod es, Dei est.

Fili, si putas te esse aliquid, cum ex te nihil sis, ipse te decipis, ipse te seducis.

Et quid ex te habes naturaliter aut supernaturaliter? In ordine quidem naturæ, facultates animæ, sensus corporis, mentis dotes, personæ externas qualitates possides. Hæc autem omnia, quæcumque sint, unde tibi venerunt? et cujus sunt? Deme quæ Deus fecit deditque tibi, et quid superest nisi nihilum? Hoc iterum tuum est, illa vero Dei.

Sed illa tibi dans, ad bonum dedit finem, ut illis ad gloriam suam et tuam salutem utereris. Si illis omnibus singulisque ad finem hunc semper usus sis, fecisti tantum quod debuisti. Quodsi male aliquando usus fueris, ecce ultra nihilum, tibi habes ingratitudinem, perversitatem, Dei beneficiorum abusum.

In ordine vero gratiæ, quid? Nonne, fili, hæc est abyssus magna? Etenim certum est, ex te sine gratiæ auxilio nihil salutare te habere, nihil salutare te facere posse. Quæcumque ergo supernaturaliter possederis; quascumque virtutes, quæ-

cumque merita tibi acquisieris: ista omnia effectus sunt gratiæ, sine qua nec perfici, neque etiam incipi potuissent. Si illa in te remunerat Deus, sua propria dona coronat.

Verum quidem est, fili, te ad ea tibi acquirenda gratiæ cooperatum esse. At illa ipsa cooperatio, si bene inspiciatur, quid non revelet? Constat enim fide, te strictam rationem uniuscujusque gratiæ reddere aliquando debere. Teneris namque tua efficere cooperatione, ut unaquæque gratia suum producat fructum.

Nonne hæc consideratio humillimis sensis replevit ipsos Sanctos? Quæ ergo ingerere debet tibi, qui toties gratiæ male coopereris, eamque etiam negligas?

Si defectus cooperationis præ multitudine numerare non potes, considera, quot et quanta, præter nihilum tuum impotentiamque tuam in ordine gratiæ, ex Dei donis neglectis aut male abhibitis habeas debita.

Fili, si obligationem cooperandi gratiæ Dei ejusque donis etiam naturalibus bene utendi, recte perceperis, intelliges, quemadmodum intellexerunt Sancti, te, quanto plura et majora acceperis, tanto magis profundiusque te humiliandi rationem habere.

4. Sed inferiora latent et pejora. Inspice et considera multiplices miserias, delicta, peccata tua: et perpende, quid illis jure tibi meritus sis.

Nonne si quod tibi juste debitum erat, redditum tibi fuisset, contemptum omnium, cœlestium, et terrestrium, et infernorum, merito jam experireris, et abjectionem patereris æternam?

Quodsi non commisisses unde reprobari mereris, non est quod te efferas. Ista enim a gravibus

præservatio non a te, sed a gratia præcipue venit.

Quin etiam uno ex venialibus a te in infinitam Dei Majestatem commissis, tantas meruisti humiliationes, quantas tibi mundus dare non potest.

5. Tu itaque totus, fili, quid es? Quid es tu ad universos homines? Profecto sicuti guttula ad omnes aquas mundi. Quid autem sunt homines universi ad omnes Angelorum myriades? Minus plane quam hæc terra ad cœlum immensum. Quid vero Angeli omnes ad ipsum Deum? Ecce quasi non essent; quoniam intervallum est infinitum. Jam, fili, quid ad infinitum Deum tu, parvulum ens, in hoc orbis angello versans?

Quid igitur es in veritate, fili, aut quid habes, unde superbias? imo vero quid habes, unde te non humilies?

Filiole! non ut te confundam, hæc dico, sed ut te, filium Cordis mei charissimum, moneam, ne superbia seductus, excidas et pereas.

6. Soli Deo ab omni creatura honor et gloria: ipse solus vere summeque dignus accipere imperium, et virtutem, et benedictionem, et laudem, et cultum supremum in secula seculorum.

Quæcumque perfectiones reperiantur in creaturis, quantumvis videantur insignes, non nisi obscuri sunt radii perfectionum Dei, quæ omni ratione absolutæ sunt et infinitæ.

Etiamsi Deus præceptum non dedisset, excellentie tamen ejus illimitatæ ab omni ente rationali agnoscendæ et honorandæ forent.

Quinimo sua gloria Deo ita essentialiter referenda est, ut ipse se indifferentem ad id habere non possit; quoniam ipse solus se dignus.

7. Pretiosa, fili, Dei et tui cognitio, magnam

ostendens veritatem, ad te humiliandum aptissimam. Ipsa tamen non est humilitas, cum virtus non in cognitione, sed in affectione sit.

Neque virtus humilitatis in humiliatione, sed in humiliationis potius amore consistit. Nulla est enim virtus, nisi adsit affectio motusve bonæ voluntatis.

Quam multi seipsos humiliant, aut humiliantur ab aliis, ac tamen non sunt humiles! quam multi signa humilitatis exhibent, dum intus tenent superbiam!

Ut humilitas sit virtus, qualis discipulorum meorum esse debet, utque humiliatio sit talis virtutis actus, charitate seu affectione supernaturali informari debet.

Humilitatis virtus est, fili, hæc supernaturalis affectio, quæ te inclinet aut moveat ad tendendum, quantum licet, ad locum tuum, ut quæ sunt Dei, Deo reddes, gratiarum actionem, honorem, gloriam; et quæ tua sunt, tibi attribuas, nihilum, indignitatemque tuam omnimodam.

Quis est iste locus tuus? O fili! locus, quem ipse tibi meruisti, quam profundus! quam terribilis est! Sed vide Cordis mei amorem! Ad te consolandum, ad te exaltandum, ego homo factus, pro te me humiliavi, tibique locum honorabiliorem ac meliorem assignavi. Exinde locus tuus mecum.

Ubi autem eris mecum? ubi me invenies? Parvulum in præsepio, exulem et ignotum in Aegypto, absconditum Nazarethi, laborantem publice et patientem, ultimum locum occupantem in eoque morientem.

8. Mecum, fili, procul eris a superbia, quæ odibilis est Deo et hominibus, quæ parit omne peccatum, omnem virtutem corrumpit, privat me-

ritis, pœnas accumulat, spernit Cordis mei exemplum, vestigia diaboli sectatur.

Felix humilitas! felix virtus, quæ facit invenire gratiam apud Deum et apud homines! Dum enim Deus superbis resistit, humilibus dat gratiam; dumque ipsi superbi superbos despiciunt, admirantur humiles.

Humilitas virtutum prima: sine illa, nulla virtus acquiritur; sine illa, virtus acquisita perditur. Illa cæteras virtutes parit, partas nutrit, nutritas conservat.

Nobilis virtus humilitas, quæ hominem vere magnanimum reddit et generosum. Hac quippe non solum ardua superat, sed etiam vincit seipsum.

Dum superbus, corde contracto metuque humiliationis forte secuturæ constricto, pugnat secum, modo refugiens, modo hæsitans objectam difficultatem superare; humilis, corde magno et dilatato, jam seipsum vicit, jam superavit difficultatem, jam procedit alacriter.

Fortis plane virtus, ad magna disponens animam. Humilis namque præteriens seipsum, ac Deo fretus, mutat fortitudinem suam, induitque fortitudinem Dei, cui innititur, et in quo omnia potest.

Ipsis dæmonibus terrori est. Humilem formidant inimici isti: neminem mortalium timent magis.

Solida denique virtus, cum hominem firmet, ut neque moveatur dictis aut factis aliorum, neque propriis miseriis vel defectibus dejiciatur.

Non igitur humilitatis virtus, sed humilitatis figmentum est, quidquid te reddat pusillanimum, pavidum, aut quacumque ratione dejectum. Tam indigna non facit virtus illa nobilis.

9. Fili, licet humilitatis tanta sit justitia, tanta

necessitas, tanta utilitas, tanta denique præstantia, scito tamen, non esse secundum humanos sensus, nulla in re complacere sibi, in rebus omnibus omnem gloriam pure ad Deum referre, nihil sibi nisi indignitatem attribuere, in ultimo loco mecum esse contentum, corde amplecti quidquid Cor meum amplectitur.

Profecto, si natura consulatur, hæc illa horrebit et fugiet. Sed, fili, si discipulus Cordis mei esse velis, oportet te sequi, non naturam, sed gratiam; atque te gerere, non inclinatione naturali, sed divino amore, quo invita etiam natura Cor meum imiteris.

Quod si feceris, tibi continget quod contigit Sanctis, qui, supra naturam, dulcem compererunt humilitatem, atque deliciosas ipsas humiliationes experti sunt.

Meditando et orando tibi validum procura gratiæ auxilium, eique generose cooperans, humilitatem mente ac corde amplectere et exerce, donec eam cogitatione, verbo, opere, ad actum expedite deducas.

Fili, usque memento exempli mei, et noli oblivisci sermonis mei. Ecce parvulus tibi do præceptum novum, præceptum Cordis mei: ut discas a me, quia mitis sum et humilis Corde.

10. *V. D.* O dulcissime Jesu! O Deus infans, humilitate exinanite! ecce clamat stabulum, in quo resides, clamat obscuritas, in qua lates, clamat ipsum silentium, clamant omnia, quæ te circumstant, quam humilis Corde sis.

O Magister humilitatis! ecce me ante pedes tuos prostratum, ut discam a te veræ humilitatis virtutem.

Usque noverim te, usque noverim me, flammis amoris Cordis tui illuminatus et accensus, ut semper et ubique tribuam tua tibi, ac mihi mea.

Hactenus numquam, fateor, humilitatem recte tinellexeram. Nunc autem capio, nunc video, humilitatis virtute me non deprimi nec vilefieri, sed exaltari atque nobilitari, cum per eam evehar ad similitudinem tui, qui eminenter nobilis es.

O benignissime Jesu! tu mihi das locum tecum! O Domine! non sum dignus. Quomodo autem umquam alium quæsivi locum, quasi meliorem alibi quam tecum invenire possem! Parce, Domine, ingratitudini: parce iniquitati: parce insaniæ meæ.

Deinceps en ego tecum semper. Aspirent ad superiora loca, qui eminere cupiunt: ego, quantum licebit, inferiora ambiam, certus me ibi esse tecum. Non enim nisi tecum esse desidero: tecum ubique contentus ero.

Imit. Chr. Lib. 3. c. 2.

CAPUT SEXTUM.

Quod Sacrosanctum Cor Jesu, nati in stabulo, nos sanctam paupertatem doceat.

1. *V. D.* Te, Domine Jesu, te desiderat cor meum: te anima mea quærit, quem diligit. Indica mihi, quæso, ubi cubes, ubi habites.

V. J. Veni, fili, et vide. Hoc tibi signum: invenies me parvulum in stabulo, pannis involutum, positum in præsepio. Adesto et attende, quid Cor meum tibi loquatur.

Vulpes quidem habent foveas, volucres cœli habent nidos: Filius autem hominis non habet ubi reclinet caput.

Verumtamen, fili, mea est omnis terra et plenitudo ejus. Ecce autem cum ditissimus essem, factus sum omnium pauperrimus.

Ex quo natus sum egenus in stabulo, usquedum in cruce egenus expiravi, in perfecta fui semper paupertate, quam ut matrem semper diligens, colui semper ut filius.

Et qua, putas, causa quove consilio paupertatem tam amanter amplectitur Cor meum? Utique, fili, quia Cor meum humilitate et charitate plenum, has studiosissime exercet virtutes, et his ardentissime cupit corda hominum a terrenis et caducis secum rapere sursum ad cœlestia et æterna.

2. Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum: beati, quoniam maximis æternæ salutis periculis sunt liberi: beati, quoniam salutarem habent occasionem innumeras exercendi virtutes: beati denique, quoniam mihi corde magis conformes sunt.

Fili, nihil habere, quinimo egere, non constituit paupertatis virtutem: sed creatis mundi rebus cor expeditum propter me tenere, format virtutem paupertatis veram. Amore autem mei rebus terrenis omnibus renuntiare, nihil ut proprium possidere, nulli rei creatæ corde adhærere, paupertatis est virtus perfecta.

Ad hanc autem non omnes, ad illam vero universi et singuli vocati sunt, et ita quidem, ut facilius per foramen acus transiret camelus, quam ut aliquis sine illa introiret in regnum cœlorum.

Nisi enim quis, corde saltem, renuntiaverit omnibus, non potest meus esse discipulus.

3. Nihil est iniquius, fili, quam amare pecuniam: hic enim amor pervertit judicium, et cor

seducit: et quoniam pecuniæ obediunt omnia, qui eam diligit, cupiditate excæcatus, animam suam habet venalem, ita ut hanc immortalem pro re peritura vendere paratus inveniatur.

Sancti rebus terrenis utebantur, corde ab illis libero; ac maximas etiam inter opes pauperes erant spiritu.

Sunt autem non pauci, qui se specie boni aut recti decipi ab hoste salutis humanæ patiuntur. Versutus hic inimicus hominibus persuadere nititur, divitias seu abundantia terræ bona, cum in se sint indifferentia, et utiliter adhiberi possint, sine periculo desiderari et quæri posse.

Ast quicumque se ita falli sinit, mox experitur, se diabolicæ deceptionis laqueis implicari, turbationibus, tenebris, perversis inclinationibus premi, perfectionem status sui, qualiscumque fuerit, assequi non valere, de salute æterna non parum tandem periclitari.

4. Fili, si adsint divitiæ, ne apponas cor tuum: dispensator enim potius quam dominus es. Sed corde expedito, prout fuerit divina voluntas, vel iis renuntia penitus, vel iis utere ad meam gloriam et verum animæ tuæ bonum.

Ita dispositus esse debes, ut, si te rebus omnibus renuntiare velim, aut omnibus te privari permittam, voluntarie te resignes.

Quodsi pauper sis, gaude, fili, et exulta: nolique tanti boni perdere fructum, paupertatis effectus ægre ferendo.

Ne erubescas mediocris, aut etiam egenus esse propter me, qui propter te egenus fieri non erubui: sed gloriare potius; quia tu possides quod ego per tot tantasque humiliationes mihi comparavi.

5. Sive inops, sive dives fueris, colito sanctam paupertatem, et virtutem exerce tam charam Cordi meo, tibique tam fructuosam.

Nullus profecto status est vitæ, in quo virtus hæc exerceri non possit ac debeat: ubique tibi occasiones quotidie occurrunt frequentes.

Ad habitationem enim, ad supellectilem, ad vestimenta, ad cibum potumque, ad omnem denique vitæ rationem extenditur virtus hæc magna.

In his namque omnibus aut aliquid deest, non vere necessarium; aut si adsit, non est secundum naturalem inclinationem; aut ab eo, quod ad naturæ commoditatem habetur, plus minusve detrahi sine periculo potest.

Si, ut oportet, fili, sanctam paupertatem corde diligeres, nusquam careres modis et opportunitatibus eam exercendi.

Quam multi sunt pauperes, ac non modo nullum habent meritum, sed et sua paupertate utuntur ad majorem suam miseriam, et offensam divinam! Utinam saperent! loco amaritudinis, dulcedinem gustarent, atque seipsos sanctificarent.

6. Pauperum spiritu, qui colunt et exercent paupertatem, sive ex necessitate sive ex libertate natam, nomen honorabile coram me. Cum his consortio et sermocinatio mea: cor enim illorum, quasi terra bona, quæ semen verborum meorum accipit, et fert fructum centuplum.

Quis felicior paupertatis sanctæ possessore, qui habet quod cupit in mundo? Quis ditior illo, cujus est regnum cœlorum?

Noli igitur, fili, negligere sanctificationem tuam, ad thesaurizandum tibi thesauros in terra: in primis

autem labora, ad te sanctificandum atque ita thesaurizandum tibi thesauros in cœlo.

Ubi objectum affectionum tuarum fuerit, ubi thesaurus tuus, ibi et cor tuum erit.

7. Verum est, fili, opes corde spernere, paupertatemque affectu et actu exercere, homini sibi relicto esse difficillimum.

Oportet itaque ferventer orare, ut quod possibilitas tua meritorio perficere modo non valeat, divina gratia tecum perficiat.

Quodsi in te repugnantia contra paupertatem sensa experiaris, orationi insiste, ardentiusque pete, licet quodammodo invitus, et ora, ut gratia sensis istis inordinatis non parcat, sed ea funditus demoliatur, donec cor tuum prorsus liberum, solam voluntatem gloriamque divinam respiciat.

Fili, si affectus cordis tui bene ordinati fuerint, paupertatis virtutem, per divinam gratiam, non facilem modo sed etiam dulcem invenies.

8. *V. D.* O dulcis Jesu, Fili Dei! tu tenes et regis totum mundum: tu cœlum splendentibus stellis adornasti: tu terram mira decorasti magnificentia: et ecce idem tu jaces parvulus in paupere stabulo, vix pannis coopertus!

O quam mirabiles, quam salutares Cordis tui dispositiones! Quis post tantum exemplum, quo ipsi Angeli rapiuntur, paupertatem non habeat desiderabilem et amabilem!

Bone Jesu! Magister veritatis, et exemplar sanctæ paupertatis! illumina mentem meam, ut hujus virtutis pretium intelligam, et avelle cor meum etiam invitum ab omni inordinato rerum creatarum affectu, ne variis desideriis ac sollicitudinibus distentum, a te alienetur.

Da mihi, quæso, cuncta temporalia intueri ut transeuntia, et me per illa transeuntem ad æterna: et præsta tantum solummodo uti terrenis, quantum media sunt perveniendi ad cœlestia.

Omnia tua sunt, Domine: si igitur vis me esse in opulentia, rerum tuarum dispensatorem, fiat voluntas tua: si autem in paupertate vis me esse, perfectum vitæ tuæ imitatorem, fiat iterum voluntas tua.

Quantum tamen mihi relictum ac tibi placitum est, malo esse pauper tecum, Jesu, Fili Dei, quam dives cum mundo: præfero perpetua bona paupertatis habere potius quam divitiarum continua pericula subire.

Offero itaque meipsum tibi, optime Jesu, tuæ paupertatis socium, et oro supplex, ut me admittere velis. Modo tecum sim, contentus sum: modo te possideam, dives sum satis.

Imit. Chr. Lib. I. c. 7.

CAPUT SEPTIMUM.

Quod Sacrosanctum Cor Jesu, in solitudine inter Angelos commorantis, nos sanctam doceat castitatem.

1. *V. J.* Veni, fili, ad sacri antri solitudinem: hic loquar ad cor tuum: hic Cordis mei revelabo tibi secreta.

Hic circumspice, fili mi: attende, quæ percipias: vide, quæ me circumstent: adverte, quæ me comitentur.

V. D. Ecce, Domine, percipio Virginem Matrem, Virginem Nutritium, numerum Angelorum præsentia tua gaudentium atque jubilantium. Video te,

speciosissime Jesu, Agnus Dei sine macula! conspicio innocentiam remotam ab omnibus, quæ sensibus blandiuntur, et amabilitate sua cœlum et terram rapientem.

V. J. In his, fili, exultat, in his sibi complacet Cor meum, quod puritate pascitur inter lilia.

Ipsa puritas ego, e pura Virgine natus, a pura Virgine curatus, omnis puritatis amator tenerrimus sum, toto horrens Corde quidquid huic virtuti noceat aut adversetur.

2. Cor meum, fili, sanctæ puritatis fons, ex quo hauriunt, quicumque mihi dilecti esse desiderant.

Ex hoc fonte divino imbibunt, quisque pro sua capacitate, amorem castitatis omnes Cordis mei discipuli, qui hoc amore, tamquam signo, dignoscuntur.

Quid castitate excellentius, qua Deo Patri, qui spiritus est, spirituale obsequium præstas gratissimum; qua corpus tuum honorans; membrum meum honoras; qua Spiritum Sanctum veneraris, cujus vivum es templum?

Hæc est virtus, quæ homines in Angelos transformat, imo supra cœlestes tollit spiritus.

Profecto, fili, quicumque est castus, Angelus est: quin etiam Angelum merito antecellit, cum id per virtutem sit invita natura, quod natura favente est sine conatu Angelus.

Hæc est gloria Ecclesiæ, triumphus gratiæ, flos vitæ, ornamentum corporis et animæ, eximia cœli figura.

3. Quam pulchra casta vita! immortalis est illius memoria; quoniam Deo nota est, et grata hominibus.

Mirabilis virtus, fili, quæ non solum cum anima, sed etiam cum corpore vigorem pulchritudinemque suam communicat.

Quod lilium inter flores, hoc inter virtutes puri-

tas, quæ cœlesti candore ac venustate ipsos paradisi incolas mire delectat et recreat.

Usque adeo amabilitas ejus cunctorum rapit corda, ut etiam in mundo sit nemo, qui, nisi missam fecerit rationem, illam non admiretur.

4. Homo corde mundo et casto corpore, penetrat cœlum, transit usque ad Divinitatis sanctuarium, Deo et Angelis ejus utitur familiariter.

Carnalis autem homo, velut stupidum animal in sordibus jacet, non percipit spiritualia, non delectatur nisi sensualibus, quorum fructus sunt corpori et animæ fatales.

Quisquis impurus est, quam miser iste! quam vilis in conspectu cœli ac terræ! quam similis intus dæmoni, qui immundus spiritus vocatur!

Quomodo abominandum vitium punitur, testis est mundus, diluvio submersus; testis est regio Sodomæ, igne et sulphure desuper consumpta; testis est omnis impudicus, in reprobum sensum traditus; testis super omnia infernus.

Puritas autem a passionum tyrannide præservat, pacem impertit suavissimam, gaudiis cœlestibus replet totum hominem, imo ipsum signaculo Electorum adornat.

5. Quæ, fili, præcipuæ Cordis mei deliciæ? Nonne animæ puræ? Hæ amoris sui puritate Cor meum dulcius afficiunt: hæ sæpius de me occupantur, sollicitæ, quomodo mihi præ cæteris omnibus placeant: hæ interius exteriusque sanctiores, vivere mihi ardentius cupiunt.

Hæ sunt, quæ Cordis mei arcana facilius intelligunt, unctionem Spiritus mei experiuntur sapidiorem, pietate magis fervent, generosiores ac fideliores esse consueverunt.

His vicissim Cor meum abundantius se communicat, perfectioris amoris consolationisque fluenta profundit, specialiores gratias et favores reservat.

Has in interiora Cordis mei penetralia admitto; cum his ago familiarius; has mihi propiores in terris, sicut in cœlis, teneo.

In quocumque ergo vitæ fueris statu, si vis quam charissimus esse Cordi meo: si vis teneritudinem ejus experiri quam plenissime: si vis quam copiosissime gustare divinam ejus dulcedinem, corpore et anima purus esto.

6. Fili, thesaurus iste in fragili vase portas: et nisi caute incesseris, facile amittes. Cavendum tamen, ne nimis timide incedas; nam ipse timor nimius fit occasio labendi.

In primis cor tuum custodire debes, ejus inclinationibus invigilare, cohibere cogitationes. Si enim circumvagari sinas cor tuum, non diu erit immaculatum.

Numquam esto prorsus otiosus: siquidem otium immundi spiritus habitaculum.

Nulli mortalium familiarior esse velis, etiamsi Sanctus esset, vel miracula patraret.

Tamquam pestem, occasiones fuge periculosas. Quam multi, qui alibi sunt satis incolumes, at hic misere pereunt!

7. Averte oculos tuos, ne videant vanitatem seductricem: modestus esto, sine modestia non manet castitas.

Sepi diligenter aures, ne inimicus per illas ad cor habeat accessum. Ubi non est sepes, diripietur possessio.

Refræna linguam non modo a verbis immundis, verum etiam ab omni scurrilitate omnique

sermone, quo diabolus ad tentandum te vel alios utatur.

Continendus tibi gustus, ut cibi potusque moderatio carnem a rebellando præpediat, spiritumque vigore animet ac fortificet.

Sedulo tactum mortifica, non in iis solum, quibus, si illicite tetigeris, morte morieris, sed in illis etiam, quæ sensualitatem redolentia passiones, conspirante Satana, excitant.

8. Scito tamen, fili, te, postquam etiam hæc omnia feceris, pretiosissimam et pulcherrimam, utilissimam quoque et necessariam hanc virtutem conservare aliter, quam divinæ gratiæ auxilio, non posse.

Quapropter sæpius hoc cœleste donum tibi efflagitandum est, precibusque ferventibus rogandum per intercessionem Virginis Matris meæ, Virginei mei Nutritii, Angeli Custodis tui, cœlicolarum denique omnium.

Inimicus, sciens, homines per puritatem choris Angelorum sociari ibique locum mereri, quem immundus ipse perdidit, invidia furit, ac nihil non agit, ut homines hac virtute quoquo modo spoliet.

Sed ne timeat, fili mi, neque turbetur cor tuum. Modo tibi non desis negligendo media, sufficit tibi gratia mea.

9. Multum caveas, ne te periculis temere exponas, neve post devictas tentationes ascribas victoriæ gloriam tibi: Hæc enim cum a superbia oriantur, procul dubio pudenda humiliatione castigabuntur.

Per gratiam, fili, tanto castior eris, quanto humilior fueris: nam ut castitas detur, humilitas meretur. Horum, fili, semper memento verborum.

Si autem in castitatis virtute perfectus esse velis, divino ferveas amore mei: nemo enim nisi perfectus in amore Jesu, in castitate perfectus esse potest: qui autem Jesum perfecte amat, hic perfecte castus, perfecte purus erit. Hoc secretum tene memoria, tene corde, fili mi.

10. *V. D.* O Jesu, Virgo Virginum! cujus Mater Virgo, ac Nutritius Pater Virgo, cui comites inseperabiles Angeli, ad quem cum appropinquavero, mundus sum, quem cum amavero, castus sum; gratias tibi æternas, quod cor meum amore omnis oblectamenti carnalis exemeris, atque amore sanctæ puritatis accenderis.

Omnes, qui te diligunt, ecce currunt post te, attracti odore suavissimæ innocentiæ tuæ, et, quo quisque potest gradu, te sequuntur Agnum, quocumque ieris.

O Jesu, amator purarum animarum! da mihi, quæso, ex amore tui cum omnibus Cordis tui discipulis quam maximi æstimare, quam tenerrime diligere virtutem Angelicam, ac quidquid ei adversetur, summopere abhorrere.

Sanctifica cor et corpus meum amore tui, ut tibi casto corpore serviam, et mundo corde placeam.

O Jesu, amor meus et Deus meus! qui me ad tuam imaginem creasti, ne permittas, ut eam ullo inquinamento contaminem aut profanem.

Noli pati, ut pro momentaneo oblectamento, quod aut nunc aut post erubescendum ac puniendum est, perdam virtutem, quæ præsens ac futura est gloria et felicitas mea.

Quodsi umquam amor tui, dulcissime Jesu, inveniret me ad puritatis amabilitatem et præmia

insensibilem; timor, obsecro, flammarum apud inferos æternarum, flammam vitii prohibeat.

Imit. Chr. Lib. I. c. 11. *et Lib. III. c* 11.

CAPUT OCTAVUM.

Quod Sacrosanctum Cor Jesu nos e præsepio doceat sanctam obedientiam.

1. *V. J.* Attentus esto, fili: quædam enim addiscere debes, quæ numquam satis didicisti, numquam satis intellexisti.

Cape semel e Corde meo, et tene, quid sit obedientia. En ex hoc usque ad ultimum meum suspirium, obedientia cibus meus, vita mea.

Intente et devote, fili, contemplare exemplum meum, considera Cordis mei dispositionem.

Ecce si me reclinant in duro præsepio, contentus reclinor: si in brachia me tollunt, contentus portor: in quocumque loco me ponunt, contentus resideo.

Quidquid me facere volunt illi, quibus Pater meus cœlestis auctoritatem in me dedit, hoc et ego volo: nihil aliud mihi est, quam idem velle, et idem nolle cum ipsis.

Nec quærit Cor meum, cur me hic aut sic velint: judicium auctoritatis volentis, meum obedientis judicium est.

2. En, fili mi, ego, omniscius et omnipotens Dominus, meipsum creaturis sic humillime subdidi, ut tu, intellectu ac voluntate debilis, te subjicere meas erga te vices gerentibus disceres.

Esto igitur submisso corde obediens illis in rebus omnibus, in quibus auctoritatem in te habent, sive seculares sive spirituales fuerint. Omnis enim potestas a Deo est.

Itaque, fili, obtemperans Superiori, mihi obtemperas. Auctoritati enim meæ, ipsi a me communicatæ, te submittis et obedis.

3. Quodsi Superior virtutibus aut qualitatibus fuerit minus præditus, non est quod minus obtemperes. Non ideo enim minus habet auctoritatem meam, nec ideo minus locum meum erga te tenet.

Quamobrem ubi contraria mihi evidenter non præcipit, omnia, quæcumque dixerit tibi, servato et facito: secundum vero opera ejus facere non teneris.

Noli curare, fili, qualis præcipiat, sed quid præcipiat, attende: idque velut a meipso tibi præceptum exequere fideliter.

Superior talis sit aut talis; hac ratione agat vel illa; quid ad te? tu me sequere: tu Cor meum, voluntatem meam sectare, nec te de reliquis turbes aut inquietes.

4. Mera voluntatis alterius executio non est obedientiæ virtus. Illam nonne exequuntur animantia, quin et machinæ manufactæ?

Oportet autem, ut, cum voluntatem Superioris exequeris, id, quod a te fieri vult ipse, tu facere voluntate submissa velis; ut ita meam voluntatem, tibi per Superiorem manifestatam, bono corde facias.

Licet enim accidere possit, ut Superior malo voluntatis suæ consilio vel incitamento præcipiat, est tamen voluntas mea, ut, si quod præceptum fuerit non est malum, tu corde velis facere quod fieri a te vult Superior. Cæterum et Superioris præcipientis, et inferioris obedientis rationem agendi ego judicabo, et quod justum fuerit reddam utrique.

Ne illos imiteris, fili, qui seipsos decipientes,

Superiorem ad propriam voluntatem suam inducere modis directis aut indirectis nituntur. Isti enim, licet ita Superioris obtinuerint voluntatem aut consensum, non meam faciunt voluntatem, sed suam; non obedientiæ virtutem exercent, sed proprio amori parent; non a me, sed a se reguntur.

5. Ut Virtus obedientiæ perfecta sit, necessarium est, ut etiam intellectum judiciumve tuum divinæ auctoritati meæ, per Superiorem repræsentatæ, submittas, credendo id, quod a te per obedientiam requiro, recte requiri.

Quanto minus rationes videris eorum, quæ a te exiguntur, quantoque etiam injuncta tibi magis incongrua, tuo judicandi modo, apparuerint, tanto altior erit obedientia tua, et tanto plura habebis merita, si subjeceris intellectum, ac bona voluntate feceris jussa.

Rejice ergo sine examine, quidquid superbia rationis aut sensus repugnantia objicere possit, fide simplici tenendo, divinam voluntatem meam, tibi per Superiorem significatam, certis et optimis niti rationibus, etiamsi tu ipsas non videas.

Frequenter evenit, fili, ut nec inferior videat, neque etiam Superior sciat veras rationes, ob quas ego hæc aut illa ab inferiore, jubente Superiore, fieri velim. Ambo sæpe inscia sunt instrumenta ad secreta consilia mea exequenda.

Si corde humilis esses ac fervens amore mei, non durum nec grave tibi esset, judicium voluntatemque tuam mei causa relinquere; sed maxime consolatorium et dulce foret, intellectum tuum infirmum infinita sapientia mea dirigi, tuamque voluntatem ad malum pronam divinæ voluntati meæ, omnis boni regulæ, conformari.

6. Magna res, obedientia: sublimis virtus, qua homo seipsum superat, seque totum mihi consecrat, adeo ut nihil sui sibi retineat, sed integrum se mihi offerat holocaustum.

Num alia volo sine hoc sacrificia? nonne potius desidero, ut mihi obediatur? Melior est enim obedientia quam victima.

Quis obediente fortior? Vir obediens loquetur victorias; imo in omni rerum eventu triumphabit. Nihil quippe intendit, nisi divinam voluntatem, quam in omni casu attingit.

Quid est, fili, quod non audeat obediens? audet omnia jussus; et multa et magna ducit ad effectum, ubi inobediens despondet et deficit.

7. Nihil obedientia tutius aut securius. Numquam perditur obediens, nec perit qui auctoritati voluntatem judiciumque subdit. Qui vero non obedit, qui, auctoritate neglecta, proprium judicium ac voluntatem sectatur, ille perdi, ille perire solet.

Obediens de mercede actionum suarum certus, ne rationem quidem illarum redditurus est: præpositi enim ipsum dirigentes, rationem reddere debebunt.

8. Ita denique necessaria est, fili, obedientia, ut omnia opera, quantumvis alioqui bona, si illi adversentur, mihi placere, meritumque tibi procurare nullo modo possint.

Nullus est status, nulla conditio, nulla in terris persona, quæ obedire non debeat. Sine obedientia enim non servaretur ordo, quem constituit Deus, ordinis amator necessarius.

Ubicumque fueris ex obedientia, certus esto, te nusquam alibi melius esse posse, nec te valere

quidquam facere mihi gratius utiliusque tibi, quam quod jusserit obedientia.

Beati obedientes, fili! ipsi vera libertate, magna pace, constanti securitate pergunt ad cœlum: inobedientes autem sub propriæ voluntatis morosa tyrannide gemunt, nulla quiete cordis fruuntur, via molesta vagantur ad exitium.

9. Unde, fili, difficultas obediendi venire solet? Nonne ex eo quod Superioris personam, aut qualitates, aut agendi modos, aut jubendi rationes consideras; et solam, ut debes, auctoritatem voluntatemque divinam simplici fide non intueris?

Exemplum hujusmodi ego non dedi, fili mi. Talis non mei Cordis dispositio. Verum licet sapientior ac melior essem mortalibus omnibus, qui auctoritatem in me habebant, illis tamen me Corde submisi, sine personarum qualitatumve consideratione, sine discrimine rationum, ob quas agebant aut præcipiebant.

Imo vero Cæsaris Augusti, hominis pagani, ex voluntate perversa præcipientis mandato, tamquam Dei Patris voluntatis declarationi, obedivi libenter et fideliter: atque etiam tale mandatum exequens, vere perfeci Patris mei voluntatem, ut in oppido Bethlehem nascerer, sicut Spiritu Sancto inspirati prædixerant Prophetæ.

Totam observa vitam meam: factis similibus eam reperies frequenter insignitam.

Inspice, fili mi, et fac secundum exemplum, quod tibi monstravit Cor meum. Quod si feceris, obedientiam experieris facilem, dulcemque, et consolatione plenam.

10. *V. D.* O Jesu! quam sanctum ac mirabile Cor tuum! quam magna et profunda docet!

quam facilia cuncta reddit! Felix, qui hæc intelligit!

Imo beatus, qui exemplo Cordis tui edoctus, corde bono divinam facit voluntatem. Ecce ab infinita sapientia dirigitur, ab omnipotentia juvatur, a bonitate divina formatur.

Quis nisi obediens his fruitur privilegiis? Præsint ergo ac præcipiant, quicumque potestatem præsidendi ac gubernandi acceperint: mihi omnimode dulcius et melius, subesse et obedire.

O me vere felicem, si vere obediens sum! Dominus enim Deus regit me, et nihil mihi deerit: in loco pascuæ divinæ collocatus, ibi spatior tutus; ibi fluunt rivuli aquæ vivæ perennes, ibi quotidie manna de cœlo pluit; ibi tibi, Jesu, vivo, ibi cœlum certo et facile mereor.

Per sanctissimam obedientiam tuam, Jesu Corde humillime et mitissime, da mihi, obsecro, tuam gratiam tuique amorem, ut perfecte obediens sim, abnegando propriam voluntatem judiciumque meum, et sequendo fide simplici divinam auctoritatem ac voluntatem tuam, per Superiores legitimos mihi exhibitam.

Et profecto ego cæcus natus, si ducem sequar amorem proprium, judicio et inclinatione cæcum, quid manet, nisi ut in foveam cadam et peream?

Totis contremisco viribus, Domine, cum recordor, plures, qui alta scientia et magna prudentia humana pollebant, propter obedientiæ defectum a via salutis aberrasse, et factos fuisse reprobos.

Ecce me trado et committo penitus sapientissimæ ac sanctissimæ voluntati tuæ divinæ. Concede mihi, quæso, tuam simplicitatem intellectus, tuam promptitudinem voluntatis: concede humilitatem et

charitatem Cordis tui, ut sim tui similis quasi infans, qui ubicumque locari, quocumque ferri, quacumque demum ratione tractari se ultro sinat contentus.

Imit. Chr. Lib. III. c. 13. *et Lib.* 1. *c.* 9.

CAPUT NONUM.

Quod Sacrosanctum Cor Jesu circumcisi, nos cordis mortificationem doceat.

1. *V. D.* Vix inter nos advenisti, o cœli deliciæ, dulcis Jesu! et ecce tuum fundis sanguinem. Indica, quæso, quid per hoc intendat Cor tuum: ostende, precor, quæ sint in hoc Cordis tui sensa. Quidquid enim sentit Cor tuum, illud et ego sentire desidero.

V. J. Ita, fili, dispositus esse debes, non in iis, quæ sensibus percipis, sistendo, sed usque ad Cor ipsum progrediendo.

Attende igitur et considera, quantum Cor meum sit mortificatum. Me enim lege circumcisionis minime teneri, ex ejus adimpletione inter peccatores reputari, apud homines deprimi, corpus meum dolere, humiliari animam sciebam; verumtamen Cor meum, divina voluntate motum et amore incensum, quasi flamma viva, omnia ista superavit.

Cape, fili, Cordis mei sensa intima, eaque induere memento.

Omnia recta in Corde meo: in tota Humanitate mea nihil inordinati est. Attamen nullum umquam posui actum ex mera humanæ naturæ inclinatione vel aversione.

Hæc superans aut transiens, in omnibus rebus, etiam naturalibus, ex supernaturali principio actus omnes et singulos produxi.

Sive placerent facienda aut patienda, sive displicerent naturæ humanæ sensui; hæc numquam causa vel ratio fuit, ut ea amplecterer aut fugerem.

Sed nutu divino movebar semper, ad quælibet Corde volente faciendum et patiendum, secundum divinum beneplacitum.

2. En exemplum, fili, quod sequi debes, si verus Cordis mei discipulus esse velis.

Si cor tuum bene inspexeris, quasi divisum reperies in duas partes, quæ dominari singulæ cupiant.

Harum una, propensio sensualis, pars inferior; altera, propensio rationalis, pars superior vocatur. Prior præsertim vitiata per originale peccatum: posterior radio superno adhuc directa.

Cum prima malignus spiritus solet conspirare; secundas partes spiritus bonus amplecti consuevit.

Pars inferior nititur regnum suum in totum cor extendere et tueri, per superbiam amoremque proprium, cæterorum omnium vitiorum duces.

Superior autem pars pro jure suo regnare partemque sibi oppositam, velut hostem, vincere ac subjicere vult, per humilitatem et charitatem, quæ quidem duæ toti virtutum agmini præsunt.

3. Istæ partes, fili, sunt duo illi inimici domestici, qui inter se bellum gerere vix cessant, quorum fines sunt oppositi, quique opprimi et subjugari, sed non destrui neque exterminari possunt.

Superior pars, per divinum favorem, libero arbitrio suo tantum valet, ut non solum inferior, sed totus etiam mundus totusque infernus conspirantes, illam ad se dedendam cogere non possint.

Atque ideo pars inferior una cum spiritu malo illam circumvenire, turbare, decipere, aut vexare,

fatigare quocumque potest modo conatur. Omnes tentat artes: violentam modo, modo blandam; nunc perversam, nunc probam; aliquando hostem, amicam aliquando se exhibet.

Nisi diligenter advertas, sæpe vix poteris eas discernere. Eas tamen distincte cognoscere oportet. Ex hac enim discretione recta cordis gubernatio pendet, illusiones caventur, evanescunt vani timores, pax interna servatur atque in magnis etiam desolationibus retinetur.

Quanto magis una pars mortificatur ac subjicitur, tanto magis altera vivificatur et triumphat.

4. Primum itaque, fili, quod in corde tuo tibi mortificandum est, ista pars est inferior, inordinatus appetitus naturæ, qui etiam spiritus proprius aut spiritus naturæ appellari solet. Hunc impugnare numquam cessare debes.

Si quando inimicus ille, territus fortitudine tua, fugerit, aut ad melius sibi tempus se absconderit, omni diligentia ipsum exquire, repertumque novo ardore profliga.

Ex hoc autem cognosces eum, quod semper nimium vel alta vel ima petit, aversione aut inclinatione inordinata extra ordinem divinitus intentum abreptus.

Hinc igitur superbus, in alta extra vagans, sucque sensu fretus, consilia Divinitatis inscrutabilia investigare et inspicere, ac, licet nihil infra se positi comprehendat, Sapientiam, Potentiamque et cæteras perfectiones Dei essentialiter incomprehensibiles metiri sua hebetudine et imbecillitate vellet.

Reluctatur admittere, quod non videt et amat.

Fateri se errasse erubescit et declinat: si convincitur, obstinatur.

Præeminere ambit: in quacumque re superari vel subjici refugit.

Posse quidlibet se præsumit: si quid prospere fecit, mire sibi complacet, ac quasi de prodigio a se facto gloriatur: si quid egit adverse, murmurat, se excusat, aut culpam in alios conjicit.

Curat, non qualis sit, sed qualis appareat: quærit æstimari: aliorum os de se implere studet: optat hominum corda occupare.

Si laudatur, sat lucratur: si nemo laudet, ipse supplet.

Defectus in se non videt aut dissimulat, in proximo ubique cernit.

Ad alios aspernandos, ad multa suspicanda, et in malam partem torquenda inclinatur.

Illinc vero ad ima semper pronus, quæ carni placent, quæ blandiuntur sensibus, quæ mundum redolent, amat, et sapida habet.

Judicat res secundum inclinationem vel aversionem suam, non secundum ipsam rerum veritatem.

Cum ipse suus sit finis, omnibus in rebus commodum suum aut oblectamentum quærit: etiam divina trahere ad se quandoque laborat. Suscipit enim aliquando mihi servire, sed sibi gratificari vult.

Ideo facile admittit angelum tenebrarum, qui se in angelum lucis transformans, multa suggerit apparenter pia, pulchre cogitata, tenera sensa: quæ omnia augent superbiam, atque amorem proprium fovent.

5. Fili, si hic naturæ spiritus de corde triumphat, cordis ruinam operatur.

Hanc igitur cordis partem mortificare te oportet, ei resistendo, ei contraeundo, eam incessanter reprimendo, quamdiu vitiosa aut inordinata fuerit.

Noli id credere durum, fili mi: incomparabiliter facilius ac suavius est, illam subjicere subjectamque regere, quam ab illa regi aut exagitari.

6. Quoniam vero naturalis ratio per se finem supernaturalem attingere non potest, superiorem etiam cordis partem per mortificationem purificare et elevare oportet.

Si enim ex sola ratione naturali egeris, ex eo neque ullum habere pro vita æterna meritum, neque Cordis mei discipulus dici poteris.

Cor itaque totum mortificare, et gratiæ subjicere debes, ut divino beneplacito in rebus omnibus obtemperet.

In cogitando, in loquendo, in operando, in patiendo, gratia divina moveri, ratione supernaturali dirigi, ad me tamquam finem tuum tendere debes.

Nusquam patere, te mero naturæ motu aut impetu in actum proripi: sed gratiam sequere, age secundum Spiritum meum.

Utere viribus naturæ, non ut causis vel principiis, verum ut mediis seu instrumentis ad supernaturalia.

7. Hæc cordis mortificatio, vitæ interioris norma, et spiritus Sanctorum, est utilior illa magisque necessaria mortificatio, qua vitiorum fibræ evelluntur, tentationum evaduntur pericula, causæ ipsæ turbationum internarum amoventur.

Non importunitate, non duritia, non anxietate, sed tranquillo et generoso corde exercenda est hæc sancta mortificatio.

Porro, fili, tam multa et magna sunt in corde tuo mortificanda, tantumque te latent, ut nisi gratia illumineris, ea ne videre quidem possis, atque

etiam cum ea videris, nisi gratia fortificeris, eorum visu opprimaris.

Quapropter tibi ad orationem assidue recurrendum est, ut desuper lumen, fortitudinemque et juvamen obtineas.

Tum ego, sciens, te portare modo cognitionem omnium cordis tui imperfectionum non posse, ita suaviter disponam, ut gradatim eas cognoscas et superes, cum usque gratiam fortitudinis gratiæ luminis æquaturus sim.

Cavendum est sedulo, fili, ne aut oculos claudas huic lumini desuper misso, aut fortitudini divinitus præstitæ cooperari negligas. Quippe quod initium ruinæ esse potest.

Fidelis esto: sine te a gratia in omnibus et ad omnia duci, et experieris quæ Sancti experti sunt, ac quibus indubitanter venies ad Cor altum meum, et exaltabitur Deus, et tu sanctificaberis, tanto quidem perfectius, quanto altius Cordi meo similitudine appropinquaveris.

8. *V. D.* Optime et dulcissime Jesu! quam magna Cordis tui bonitas! Etiam mihi indigno notam fecisti viam vitæ interioris, in qua omnes Sancti tui ambulant tecum.

Ecce paratum cor meum, te via ista sancta sequi: dirige me in veritate, et doce me facere beneplacitum tuum.

Diu nimis naturæ motum secutus sum: nimis frequenter ex inclinatione vel aversione naturali egi: prorsus nimis ex natura vixi.

Da, quæso, Domine, ut vivam deinceps ex gratia, ut Spiritum tuum sequar ad omnia, quæ mihi facienda aut patienda fuerint.

Da, ut cor hoc meum a te factum, a te pretio

sanguinis Cordis tui redemptum, a te, singulis palpitationibus, novis beneficiis donatum, tandem supra omnia creata liberum transcendat ad te, tibi unice vivat, te unice super omnia diligat.

Imit. Chr. Lib. III. c. 54.

CAPUT DECIMUM.

Quod, ad exemplum sacrosancti Cordis Jesu, a magis adorati omnem respectum humanum superari debeamus.

1. *V. J.* Ecce, fili, Magi ab Oriente venerant: et intrantes antrum, invenerunt me puerum cum Maria, Virgine Matre mea.

Adverte, fili, Cor meum, et dispositionem ejus imitare. Ut enim coram meis, ita coram extraneis; ut coram novissimæ conditionis pastoribus, ita coram primarii ordinis Magis, non erubesco humilitatem Nativitatis meæ, status mei obscuritatem, omnis virtutis exercitium.

In his non hominum judicia consulit Cor meum, sed, respectu humano neglecto, Patris mei sectatur placita.

2. Felix ille, qui hanc Cordis mei fortitudinem imitatus fuerit; qui corde imperterrito respectum humanum superaverit!

Quemadmodum enim Pater meus cœlestis me confessus est, quia ego ipsum confessus sum; sic, qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo.

Væ autem illi, qui me, doctrinam meam, exemplum meum, erubuerit coram hominibus; hunc et ego erubescam coram Patre, et Angelis, et ho-

minibus ipsis, cum venero in Majestate ad judicandum.

3. Quid times, homo? Nonne secundum rationem ipsam, honor virtuti, vitio dedecus debetur? cur ergo trepidas virtutem exercere, quasi probrum putares?

Ecce præter Deum, alios testes actionum tuarum non habes, quam Angelos et homines. Horum autem qui sane respiciendi sunt?

Angeli quidem boni, si servitium meum intrepide profiteris, gaudentes tuam animi magnitudinem laudibus extollent, ac pro fortitudinis tuæ perseverantia orabunt. Homines autem, tum Sancti in cœlo, tum in terra sapientes ac probi, erga te similiter afficientur.

Reprobi vero angeli, hominesque insensati et improbi, interius saltem vel inviti te admirabuntur, etsi exterius hi tibi obloquantur ad propriam animi imbecillitatem ignaviamque tegendam. Horumne erronea judicia, dicteria inania attendas? Num velis inter ipsos haberi, sortisque eorum esse particeps?

Etiamsi omnes ad unum homines de te loquerentur, num ideo fores alter, quam es? Tantus es, fili, quantus es coram me, nec possunt creaturarum linguæ te facere majorem aut minorem.

4. Quis omnibus placere potest? Nemo umquam, nec ego potui. Noli ergo tu impossibile tentare.

Mihi placere, quantum potes, conare, et in hoc sancto conatu ne attendas, quid de te judicet mundus.

Si adhuc respectu hominum regeris, te nondum humilitatem et charitatem a Corde meo didicisse patet.

Quicumque enim humilis est corde, et divino actus amore, hominibus nec placere cupit, nec displicere timet, cum aliter satisfacere mihi non potest.

Nec judicia nec scommata mundi formidat, ardua fronte procedit; cum honor meus requirit, sancta libertate ostendit, quid sentiat.

Nihil facit ut videatur, nihil omittit ut non videatur: a mundo insano sive laudetur, sive culpetur; seu magni, seu parvi fiat, nihil curat.

Ipsi mundus est, quasi non esset: me enim solum intendit, cui novit omnia deberi, cui amat omnia referre, a quo solo pro meritis approbari ac remunerari optat et potest.

Qui autem superbiæ amorique proprio morem gerit, non mirum est, eum respectus humani fieri servum.

Nemo profecto magis est servus, quam ille, in quem humanus dominatur respectus, cum tot habeat dominos, quot videt homines.

Ille interea nihil me, nihil sua perfectione dignum præstabit.

5. Fili, ubicumque fueris, sive in mundo locatus, sive a mundo separatus, ab hominum respectu tibi cavendum est. Ubique enim vitium istud occurrit, non inter seculares solum, sed etiam inter religiosos: a seculo in sanctuarium penetrat, et stat abominatio in Sancto Sanctorum.

Multi seipsos decipientes, sub prætextu charitatis aut prudentiæ, respectui humano cedunt: si autem recte inspicerent, non charitatis nec prudentiæ virtutem, sed velamen timidæ superbiæ amorisve proprii reperirent.

V. D. Ast, Domine, numquid semper et ubique virtutem palam proclamare aut aperte profiteri

oportet? Si oportuerit, quomodo, amabo, id faciendum? sin autem, quæ regula sequenda?

V. J. Accidere potest, fili, ut minime expediat, pietatem temere exponere: sed numquam, nec uspiam pietatem prodere licet.

Est autem certa tutaque regula, in virtutis professione, non proprium sed divinum attendere honorem; virtutisque non omittere professionem manifestam, ad mere tuam evitandam confusionem; omittere vero apertam ejus professionem, quando mea gloria aut honor inde pateretur.

6. In universum, fili, in quocumque fueris loco, si, quantum ista regula fert, statim aperte colis pietatem, id non solum magno honori mihi, sed et tibi commodo magno erit. Sic enim te boni et mali, fervidi et tepidi cognoscent: ac priores quidem se tibi sociabunt, tibique assistent; posteriores autem te sinent, nec te illaqueabunt.

Quodsi qui pie liberam magnanimamque agendi rationem tuam reprehenderint, noli ideo turbari aut dejici; sed illud memento, te plane, si adhuc, cum læsione conscientiæ, hominibus placere velles, non esse Dei servum, nec Cordis mei discipulum.

Et quid prodesset, a nullo etiam mortali reprehendi, aut placere cuilibet? Num tandem defendereris a mortali, judicante me? aut eripereris, damnante me?

Quid post mortem sentient coram me Judice ignavæ illæ animæ, quæ propter respectum humanum judicia insipientis mundi meis judiciis in vita prætulerint, causamque meam prodiderint?

Hei! quot fecit respectus humanus reprobos, quem si contempsissent, inter Sanctos sors illorum esset!

7. Crede, fili, undique præstat respicere mea, quam hominum judicia: Si enim mihi places, tibi sufficit; si places solis hominibus, mera vanitas, mera illusio est.

Erige animum, fili mi, et despice erronea hominum dicta, quæ per aërem volant, nec attingunt nisi illos, qui ea sibi arripuerint.

Si semel bene didiceris, te supra omnem respectum humanum tollere, vix amplius illo molestaberis: constans autem ipse, misereberis insaniæ mundi, hominumque socordiæ, qui adeo serviliter se ad interitum duci patiuntur.

Cum autem ad hoc perveneris, ut nullo respectu humano amplius movearis, tum a maximo saluti et perfectioni impedimento liber, in via virtutis progredieris valde securus.

8. *V. D.* Quam vera, quam sancta doces, Magister bone, dulcis Jesu! Adjuva me, quæso, ut opere illa perficiam.

Jure, Domine, me pudet ignaviæ meæ, pusillanimitatis præteritæ. Frequenter enim erubui aut timui facere, quod ipsum cor meum ut bonum et honorabile probabat: contra, non erubui humano respectui cedere, quod ut malum aut indignum agnoscebat.

Ex ignobili metu judiciorum hominum sæpe commoda tua et sanctum servitium tuum prodidi, sicque meipsum reddidi confusione magna et pœna dignum.

Miserere mei, Deus, et ignosce delictis, quibus ob respectum humanum a voluntate tua deflexi, ac mundi opinionem sequi invita etiam conscientia malui.

Nunc a teipso misericorditer revocatus et in-

structus, ecce te sequi constitui, qui solus es dux ad æternam beatitudinem.

Pergant mundani bonum dicere malum, et malum bonum: pergant honorem futili ac variabili opinione delusorum hominum æstimare: pergant vanitate pasci; ego ex te certo novi et teneo, hoc immutabiliter esse bonum, adhærere tibi; hoc honorificum, te sequi; hoc vere beatificum, frui te, suavissime Jesu, fons vitæ et bonorum omnium!

Imit. Chr. Lib. III. c. 28.

CAPUT UNDECIMUM.

Quod a Sacrosancto Corde Jesu, in Templo præsentati, rectam in omnibus rebus intentionem discere nos oporteat.

1. *V. J.* Fili, cum impleti essent dies, ut sisterent me Domino, me meaque omnia Deo Patri meo cœlesti, præsentavi et obtuli, puro ipsi placendi studio.

Quamquam in Incarnatione meipsum vitamque meam totam Patri meo in perpetuum consecrassem, ei tamen singulos vitæ actus consecrare, ejusque intendere beneplacitum, numquam omisi.

Cum autem bona intentio sit res in vita interiore tanti momenti, ut sine ea nemo verus Cordis mei discipulus esse possit, illam exemplo Cor meum exhibere, docere, inculcare non cessavit.

Intuere vitam meam ab exordio ad finem usque: num Cor meum usquam sibi placuit? num gloriam humanam quæsivit?

In omni vita mea, fili, nulla actio ex mero humanæ naturæ instinctu, nulla ex mera consuetudine, nulla ex mera necessitate, nulla denique,

sive magna sive parva, nisi adimplendi divinum beneplacitum, divinæque Majestati placendi fine.

2. Quam beatus ille, qui hunc Cordis mei sensum induerit! semper ipse utilis sibi, semper mihi, Deo Salvatori suo, gratus est.

Quid ego acceptum habeo? quid remunero? affectum, fili, magis quam actum; intentionem cordis potius quam operis executionem.

Gratia mea, fili, voluntatem movet ad agendum quæcumque directe vel indirecte a me jubentur aut desiderantur. Hæc enim ita agi volo, ut supernaturaliter bona et meritoria sint: ideoque ad ea agenda, actualem do gratiam, sine qua supernaturaliter bona et meritoria esse non possunt. Itaque, cum ex voluntate seu beneplacito meo induceris ad agendum, gratia, principio supernaturali, te moveri scito.

Sed voluntatis tuæ finis seu intentio format actus speciem. Qualis intentio fuerit, talis erit actus subsequens.

Si rectam habes intentionem, ante omnia et super universa intendes ac quæres omnibus in rebus beneplacitum meum, me, finem tuum et summum bonum.

Accidit quandoque, ut intentio actionis primaria sit recta, ejusdemque actionis secundaria intentio subrepat vitiosa. Quod cum evenerit, actionis quidem non destruitur ex toto bonitas, sed ex parte minuitur: tantumque reus fit agens, quantum inordinatæ aut malæ voluntatis in vitiosa intentione fuerit.

Ecce, fili, ego sum Alpha et Omega, principium et finis: ideoque omnia ex me derivanda, et ad me referenda sunt.

Itaque si fores culpandus, illa ad me non referendo, quanto magis, illa deflectendo ad teipsum, aut inimicum mundum?

3. Pretiosa res, fili, mira virtus, intentio recta, qua actiones, licet in se naturales atque indifferentes, ex gratia factæ, prorsus supernaturales ac meritoriæ fiant. Mirabile secretum, quo plumbum, et æs, et alia metalla in aurum purum vertantur.

Cave tamen, ne in satis communem labaris illusionem, qua opus aut actum, non ex gratia, non ex voluntate mea, sed ex solo naturæ motu, propensione aut aversione, vel ex sola voluntate propria susceptum, meritorium reddere, per bonæ intentionis substitutionem, posse credas.

Omnia ex divino beneplacito suscepta, recto prosequere fine.

Sine intentione recta, opus quantumvis externe videatur magnum aut laudabile, quid prodest operanti? Quidquid autem pura fit intentione, quantumcumque parvum sit aut humile, totum efficitur nobile, totum proficuum.

4. Utinam homines cognoscerent atque exercerent hanc recte agendi artem! quam facile splendidam in cœlis coronam mererentur!

Sunt qui multum operantur, et parum lucrantur: qui omnibus se immiscent rebus, qui plurima et varia moliuntur, sed tandem vix quidquam in manibus suis inveniunt; quia velut creaturæ irrationales agunt absque fine, aut finem inordinatum indignumque sequuntur.

Quam multi laborum suorum fructus commutant cum inani flatu laudis vel admirationis, quo usque adeo cor ægrum ac famelicum nutrire cupiunt!

Ecce! quot tanti faciunt fumum vanæ gloriæ, ut illum emant pretio rerum, quibus æternæ gloriæ regnum sibi comparare possent!

Nonne hujusmodi stultorum infinitus est numerus? Vide, fili, ne et tu unus ex illis fueris.

Alii sunt qui parum agere videntur, ac multum sanctificari merentur; qui bene judicant, illum facere satis multum, qui divinam facit voluntatem.

5. Fili, si mihi in pietatis exercitiis vacas, supra ipsa exercitia tollere debes intentionem placendi mihi, seu beneplacitum meum faciendi. Sic enim, sive consolationem senseris sive desolationem, quietus permanebis, fructumque colliges certum, et me honorabis.

Quodsi erga proximum officii aut charitatis operibus distinearis, sim ego finis operum: nam ita fiet, ut mercede numquam careas, utque nihil pacis tuæ amittas, seu proficiat proximus, seu contra non proficiat.

Si nihil intendis, nisi purum beneplacitum meum, in omni eventu æque contentus ac beatus eris, sciens, me a te non requirere, nec in te coronaturum esse, nisi bonam voluntatem efficacem; successum autem a me pendere, qui omnia secundum sapientiam infinitam ordino.

Per intentionem puram, in difficultatibus, in tribulationibusque, in ipsis tentationibus imperturbatus ac tranquillus esse poteris; cum enim puritas intentionis te supra sensibilia tollat apud me, non erit quod illis angaris, quæ sentias invitus.

Denique, fili, sive opereris sive quiescas, sive labores sive te recrees, sive vigiles sive dormias, sive manduces sive bibas, sive demum quidquam aliud facias, omnia fac, ut beneplacitum meum

sequaris, ut mihi placeas; et ecce magnus ac continue crescens meritorum cumulus tibi accedet.

6. Mane generalem oportet quotidie formare intentionem, qua omnia die ista facienda et patienda ad hunc ultimum dirigas finem, ut amore mei voluntatem meam adimpleas, atque ita pure mihi placeas. Hæc bona, hæc sancta intentio cuncta subsequentia animabit, effectuque in omnibus vigebit.

Prodest vero multum, per diem ante singulas actiones intentionem elicere denuo; quin et per actiones ipsas, si fieri commode potest, eamdem renovare.

Ut autem universa fine recto facias, plurimum juvabit, prævidere occasiones merendi, pericula perdendi, virtutes exercendas, laqueos superbiæ amorisque proprii vitandos.

Una eademque actio ad plures differentesque potest dirigi fines proximos, qui directo modo vel indirecto ad animæ tuæ proximive salutem, atque mea commoda spectant. Unde ingentem acquirere poteris meritorum thesaurum, quo illi se privant, qui nullo ejusmodi fine agunt.

Ex pluribus quoque virtutibus omnis actio perfici potest: cumque tot exerceas virtutes, quot intendis, atque singulis virtutum actibus novus et gratiæ præsentis et futuræ gloriæ respondeat gradus, quanta res sit hæc intentio sancta, videre est.

Attamen cavendum, fili, ne hæc cum anxietate, cum interioris libertatis damno, aut cum detrimento pacis fiant: nocerent enim, nedum prodessent.

Memento demum, spiritu ejusdem intentionis, quo ego animatus fui, te animatum, omnes actiones perpessionesque tuas meis unire debere, si ut

discipulus Cordis mei, tanta vocatione digne agere velis.

7. Fili, vanus amor proprius adeo subtilis est, ut in omnes se transmutare formas, omnibusque se rebus ingerere facile possit.

Unde, nisi cautus fueris, accidet, ut illo spiritu proprio, loco Spiritus mei, animeris atque ducaris. Nec sufficit lux aut prudentia humana, quæ supernaturalia discernere per se non valet; sed ad hoc opus est lumine superno divinoque auxilio.

Quapropter assidue orandum est, ut desuper illumineris: ferventer petendum, ut adjuveris gratia, qua recte, qua pure ad me supra omnia tendere possis.

8. *V. D.* Oro et obsecro, Domine Jesu, auctor bonorum omnium, da lumen menti, amorem cordi, animæ toti vigorem, ut recte semper agam quæ tibi placeant.

Concede mihi veram sinceritatem, intentionem sanctam, ut in rebus omnibus tuum faciam beneplacitum, neque a sinistris neque a dextris divertar.

Ne permittas, me deinceps ita esse insipientem, ut actionum mearum perdam merita, ad vanam auram captandam; nec adeo impium, ut gloriam tibi debitam surripiam.

Infunde, quæso, cordi meo tui Cordis puritatem, ut te supra omnia intendam, te supra omnia inveniam, in te supra omnia quiescam, Deus meus, principium et finis meus, centrum et requies animæ meæ.

Imit. Chr. Lib. III. c. 9.

CAPUT DUODECIMUM.

De libertate cordis quam Sacrosanctum Cor Jesu, in Aegyptum fugientis, nos docet.

1. *V. J.* Ecce, fili, Herodes rex me puerum quærebat ad necem. Joseph autem, ab Angelo admonitus, me cum Matre mea accepit nocte, et secessit in Aegyptum.

Intempestivitas nocturna, ætas mea, conditio parentum, relictio soli natalis, habitatio in terra aliena, commoratio inter homines infideles, a quorum moribus adeo abhorrebant mei, indigentia et vitæ obscuritas, labor et ærumna, omnia denique ad Cor constringendum erant idonea.

Verumtamen inter ista omnia Cor meum ita manebat liberum, ut nec tempus, nec locus, neque homines, neque res ullæ quæcumque creatæ illud captivum sibi facere possent.

2. Conari maxime debes, fili mi, ut hanc Cordis mei sanctam libertatem imiteris.

Cor meum, supra rerum omnium potestatem, solius Dei Patris beneplacito tenebatur. Sic et cor tuum sola divina voluntate, supra omnia creata, teneri oporteret.

Maxima libertas, ad quam cor humanum aspirare possit, hæc est, a nemine nisi a me, Deo suo, pendere.

Hæc est vera, hæc perfecta libertas, qua homo nobiliter exaltatur, et attollitur supra ipsos Superiores suos, per quos, tamquam organa divina, voluntatem meam sibi manifestari gaudet.

Qui hac fruitur libertate, est supra omnem potentiam creatam, supra hominum inconstantiam

ac morositatem, supra omnia accidentia temporum, locorumque et rerum, adeo ut, nisi seipsum tradat, nullo objecto creato mancipari possit.

At nemo hoc privilegio potitur, nisi qui cor suum, omnibus rebus creatis expeditum, mihi prorsus devoverit.

Quamdiu enim quidquam inordinate cupis aut times, tamdiu habebis cor constrictum et impeditum.

Tamdiu mancipium erit cor tuum, quamdiu naturæ inclinationem in alterutram partem sequitur, aut in ulla re, etiam bona, seipsum ut finem quærit.

Sunt qui peccato et mundo exempti, seipsis etiam eximi conantur, ut libere mihi vivant: ac tamen sub meo servitio, tamquam sub gravi jugo, suspirant; quia illusione se intricari sinunt, quia sibi me fingunt quasi difficilem dominum, aut strictæ severitatis herum, semper intentum ad reperiendum quod puniat.

Hi profecto me magna afficiunt injuria, proximum a servitio meo deterrent, denique seipsos frustra reddunt miseros.

3. Nonne ego Pater? ubi est cor paternum sicut meum? quis ergo pater, qualis ego? Pater infinite sapiens, qui omnia nosco, quæ utilia, quæ nociva sint filiis: infinite potens, quo invito nulli inimici visibiles aut invisibiles filiis quidquam nocere valent: infinite bonus, qui Corde hoc æstuante divino amore filios amo, atque in eorum commodum omnia, tam mala quam bona, vertere cupio.

Itaque in divino servitio monstra te talis Patris esse filium: et ne per summum nefas te ut intolerabilis heri servum geras.

Tantum serva bonam voluntatem, cum fugiendi quidquid noveris mihi displicere, tum amplectendi quidquid mihi placere sciveris: ac deinde dilata cor tuum, non quidem in falsam libertatem, durum filiorum mundi jugum, sed in veram libertatem, dulce privilegium filiorum Cordis mei.

4. Hoc ego amo, ut filii mei sancta libertate utantur, et ex hoc multum me habeo honoratum.

Moralem igitur adhibe diligentiam mihi placendi, neque te angas, ut certior fias, an re ipsa mihi placeas: sed omni intellectus subtilitate, omnique voluntatis inquietudine omissa, conjice te fiducialiter super Cor meum. Fieri non potest, ut offendar, et non potius delecter ista cordis libertate, puro ac generoso amore inspirata.

Sub servitio, sub directione, sub protectione divinæ Paternitatis meæ, esto ab omni inordinatione liber: neque infernum, neque mundum, neque teipsum inordinatim metuas. Licet enim ex teipso nihil facere valeas, vales tamen omnia facere in me, in quem credis, in quem speras, quem amas.

Quodsi quando in defectus labaris, noli te habere sicut abjectum servum, qui trepidans verbera timet, optatque vel aufugere vel se fracto animo abscondere: verum te gere tamquam filium, qui amans patrem, statim culpam resarcire conatur, ac tanto cum majori libertate ad patrem recurrit, quanto majori bonitate præditum esse patrem novit.

Quoties igitur misere deficis, toties ad me filialiter revertere, veniamque pete, et fidelitatis renova propositum; nec patere, ut cordis tui pax turbetur, aut libertas minuatur.

5. Neque ipsius perfectionis media cor tuum ligare debent: hæc enim ipsa, si sanctam cordis

libertatem auferrent, obstacula potius quam media forent.

Quamobrem simul atque tibi meam voluntatem manifesto, omnia libere prætermittere debes, supra omnia solum a nutu meo pendens.

Cave tamen, fili, ne, prætextu sanctæ libertatis, cordis inconstantiæ indulgeas, quemadmodum facere solent qui se, non principio, sed sensu duci patiuntur.

Quibus quod paulo ante placuit, jam displicet; qui exercitia spiritualia fervoris æstu arripiunt, et mox relinquunt, aut languore fastidii obeunt; qui nunc vivunt uno modo, et brevi pertæsi, alium tentant; qui modo se rigidius mortificant, quasi prorsus spirituales, et modo naturæ blandiuntur, facti vere sensuales.

Hoc sane non est esse libertatis filium, sed inconstantiæ ludibrium, sensus mancipium.

6. Fili, tu constantior esto ad libertatem. Si negotiis occuparis, illis ne te tradas, solum te commodes, ne forte dominentur illa tui, nedum tu illorum sis dominus.

Quoties naturæ impetum quemdam senseris, sive ad suscipiendum quidpiam, sive ad perficiendum, ultro refræna ardorem: alioquin cito percipies, et cor tuum stringi, et rem ipsam minus bene fieri.

Nullus terrarum locus sibi alligatum teneat cor tuum: ubique liberum illud serva, sciens, me, Deum tuum, ubique reperiri, Spiritu meo ubique foveri filios, denique, ubi Spiritus meus, ibi esse libertatem.

Ubicumque ergo fueris, esto tui dominus: in omnibus quibuscumque rebus, sive internis sive

externis, spiritualibus aut temporalibus, altis vel humilibus, cor tene liberum, supra universa divinæ voluntati unitum.

7. Ita, fili, oportet te cordis libertatem fovere et custodire, ut nemo, non inferior, non æqualis, non denique Superior, illam tollere possit.

Itaque nihil judicare vel affectare debes juxta rerum speciem, hominum opinionem, aut tuum sensum. In rebus omnibus sit tibi ratio judicandi rerum veritas, quam reperies videndo, quid Cor meum de illis judicarit: sitque tibi norma affectandi voluntas mea. Hæc veritas liberabit te, et vere liber eris: hæc divina voluntas te diriget, et servabit liberum.

Quanto sancta cordis hæc libertas gloriosior est mihi, tibique et proximo utilior, tanto majori cura colenda, tanto acriori fortitudine contra hostes tuenda est.

Præter dæmonem et mundum, sæpe etiam insurget natura. Superbia multis rationibus, et amor proprius pluribus modis instabunt, ut in hac saltem aut illa re cedas.

At omnes aggressiones et stratagemata inimicorum eludes ac superabis, si intrepide tendas contra id, quod inimici isti suggerunt, et simpliciter voluntatem meam sequaris.

Qui omnia vult secundum divinum beneplacitum meum, qui ex hoc vivit, qui in hoc quærit felicitatem suam, vera et sancta fruitur libertate, qua omnem Cordis mei discipulum gaudere velim, ac quam nec infernus, nec mundus, nec ulla creatura demere possit.

8. *V. D.* Sancta libertas! quam dulce nomen! sed dulcior res: sed dulcissimus fructus. Utinam, bone Jesu, illa perfrui possim!

Ast me miserum! quot rerum adhuc mancipium sum! confiteor tibi erubescens, cor meum frequenter capi ac teneri variis rebus, vel minimis, vel etiam imaginariis.

Da mihi, quæso, lumen ad cognoscendum, et robur ad disrumpendum universa vincula, ut tandem vere et sancte liber evadam.

Præsta misericorditer, optime Jesu, ut ad conservandam sanctam cordis libertatem, firmo et impavido corde stem in tentationibus inferni; mundi bonis et malis, dictis et factis invictus immotusque sim, supra omnia propria in sanctissimo dulcissimoque beneplacito tuo quiescam et perseverem.

Imit. Chr. Lib. III. c. 37.

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

Quod Sacrosanctum Cor Jesu, in Templum ascendentis, doceat nos orare.

1. *V. J.* Attende, fili, et vide, quam sollicitum fuerit Cor meum, ut, cum publice tum privatim, exemplo doceret salutis et perfectionis media.

Solebam enim non tantum frequenter orare solus, verum etiam Hierosolymam ascendere, et palam in Templo orare, idque secundum consuetudinem.

Fili, quid tota vita mea, nisi oratio, a qua Cor meum numquam cessabat, qua occupabatur semper et ubique?

Ubi nisi in Templo, domo orationis, me amissum invenerunt Mater mea, Maria et Joseph? Ubi Discipuli et amici, nisi ab oratione venientem, Corde adhuc orante? Ubi denique ipsi inimici, nisi orantem in solitudine Gethsemani?

Scrutare omnem vitæ meæ diem; ecce ipsa lux diei surgens, reperiebat me orantem, et jam labores diei sanctificantem.

Laboribus diei peractis, ecce, tota natura quiescente, etiam noctis obscuritas videbat me orantem, et Cor meum coram Patre meo effundentem, solis Angelis testibus.

Sed et inter ipsa opera diurna, quoties tantillum a turba declinabam! quoties in medio turbarum aut laborum Cor ad Patrem levabam!

2. Hunc Spiritum orationis, hanc sanctam orandi consuetudinem, fili, acquirere peculiari quadam cura et diligentia conare.

Omnes Sancti, Sanctorumque imitatores, omnes Cordis mei discipuli, sanctam hanc et sanctificantem consuetudinem didicerunt. Statis temporibus non solum ore, sed et mente et corde orabant: deinde, ubicumque erant, in omni fortunæ habitu ad me interius per orationem recurrebant, in prosperis gratitudinem gaudiumque suum Cordi meo communicantes, in adversis implorantes auxilium et solamen, in dubiis consilium petentes et prudentiam.

Ita et tu facere debes, fili mi, si ad sanctitatem aspirare, imo si salutem tutari velis.

3. Omni ergo die, ora mente et corde, devote meditare. Sed vide, ne meditatio tua sit speculatio potius quam oratio, aut pium studium magis quam divinum commercium.

Discurrat sane vel reflectet, quantum sufficit, mens: at cor tum eliciat actus, modo fidei, spei, charitatis; modo contritionis, humilitatis, propriæ abnegationis; nunc fortitudinis, boni firmique propositi; nunc gratiarum actionis, gaudii ac lætitiæ

cordis cum Angelis et Sanctis; jam resignationis, divinæ voluntati conformitatis, puri amoris in beneplacito divino quiescentis; jam alius virtutis cujuscumque: tum petat ferventer, multum petat pro se, multum pro aliis: pro Ecclesia et ministris ejus, pro perfectione sanctorum in terra degentium, pro justorum perseverantia, pro conversione peccatorum, hæreticorum, infidelium omnium.

Prout in vita interiore progrederis, perfectioremque in ea gradum attingis, discursus abbreviare, affectus autem prolongare oportet, ut corde mecum agas actibus et petitionibus, vel tandem simplici divinæ unionis occupatione.

Sic meditare, fili, sic ora: et memento, sive mente oraveris sive ore, cor præesse debere, ut omnis oratio ac precatio attente et devote fiat.

Etiamsi non possis ita bene orare, ut optas, ne tamen tuam parvi pendas neu negligas orationem. Amen, eam ego non parvi pendo, non negligo.

Fac bona voluntate quæ potes: quæ si facis, persuasum habe, te bene et meritorie orare, teque cum in virtute, tum in oratione progressum esse facturum.

4. Non tibi sufficiat, fili, tempore aliquo certo orare: oportet enim semper orare et non deficere. En dulce mandatum meum, ex quo ad me tamquam ad Patrem accedere, et mecum ut filius agere omni tempore potes.

Ecce ubique obstacula, intus ac foris: undique tentationes, apertæ vel occultæ: semper pericula, ne corona perseverantiæ promissa amittatur. Valde igitur necessaria est gratia, quæ tamen specialiter dari non solet nisi orantibus.

Itaque ab oratione fere pendent omnia: sine

oratione mala sine remedio, bona cum periculo: oranti autem mala et bona prodesse solent.

Nusquam, fili, nisi in oratione veram mei et tui cognitionem acquires: adeoque sine oratione veram humilitatem et charitatem numquam obtinebis.

Sine oratione numquam Cor meum bene cognosces; numquam habebis spiritum ejus. Sine oratione in multis rebus Cordis mei sensa non capies, et, quod periculosius est, Cor meum tuo corde metieris.

Si in negotiis ad orationem recurreris, frequenter eveniet, ut de illis aliter judices, quam ante judicaras; quia lumen divinæ gratiæ, quod in oratione animæ infundi solet, infinite purius est, quam lumen rationis humanæ.

Quod a gratia credebas ortum, productum a natura sæpe reperies: quod virtutem existimabas, amorem proprium esse nonnumquam videbis: quod ad majorem meam gloriam arbitrabaris, ad secretam superbiam tuam esse non raro percipies.

5. Interior homo in difficultatibus prius ad me recurrit, auxiliumque petit: ideo levatur, ac sæpe singulares obtinet favores; ubi contra qui prius ad humana fugit, non infrequenter difficultates aggravat, nedum alleviet; donec in se reversus, veniat ad me, sine quo hominum molimina nihil uvant cor ægrum.

Fili, si venis ad Cor meum, quotiescumque affligeris, non opus erit, ut humanas disquiras consolationes: unam guttulam consolationis meæ dulciorem efficacioremque reperies, quam omnia flumina consolatoriorum verborum hominum.

Quodsi quandoque, pro honore meo et tuo emolumento, nullam consolationem sensibilem tib

dedero gustandam, veram tamen consolationem in Corde meo semper invenies, tum in teipsum meo beneplacito resignando, tum in recipiendo gratiæ adjumentum.

Hæc autem resignatio sancta, licet ex una parte contra sensum sit, eique amara, ex altera tamen fit per gratiam ita dulcis supra sensum, ut nemo nisi expertus capere possit.

6. Homo orationis quando tentatur, mihi magis unitur; non dejicitur sed erigitur, non contristatur sed animatur, non labefactatur sed consolidatur.

Si quando tempestate corripiaris, aut etiam densis tenebris involvaris, verte te ad me præsentem, mihique corde adhære fidenter: tutus eris in ipsa procellæ rabie et obscuritate, ac nonnumquam dulcissimi luminis radio desuper percelleris, quo quod perditionem putabas, aut nihil aut etiam commodum esse videas.

Cum aliquid dicere aut facere volenti, tibi incurrit hæsitatio dubiumve, an liceat, versus introrsum, audi Spiritum meum, et, si ad me interius recursando didiceris divinas internoscere susurrationes, non obscuram percipies decisionem, quam tuto sequi poteris.

Anima recurrere ad me assuefacta, ubique secum habet protectorem suum, consiliariumque, et consolatorem, quem non modo cum sola est, verum etiam cum agit cum proximo, corde invocare, consulere, tenere novit et amat.

7. Ad hoc, fili, nitere, ad hoc nihil non age, ut obtineas hanc sanctam consuetudinem recurrendi ad Cor meum, ad me tamquam ad centrum tuum tendendi, te interius de me occupandi, mecum per orationem agendi. Hic est spiritus orationis, quem

si obtinueris. te in solitudine amice recreabit, in publico conservabit, consolabitur in adversis, in prosperis continebit, in periculis tutabitur, ubique utilis, ducet te ad sanctitatem.

V. D. Domine, summopere desiderandum hoc, maximum bonum hoc est: imo videtur hoc unum ex præcipuis interioris vitæ secretis. Sed qua ratione, quæso, hanc sanctam consuetudinem acquiram?

V. J. Primum, fili, donum orationis, donum hoc optimum, complectens omne donum, frequenter rogare debes: per orationem, cum cætera, tum maxime donum orationis obtinetur.

Deinde, bonum est consilium et ad acquirendum habitum orationis aptum, ita occupationes, quantum licet, disponere, ut numquam longius sit intervallum, quin per aliquod tempus, aut certe per aliqua momenta, mecum agas aliquo spirituali exercitio.

Tum, tentationibus et difficultatibus, interioribus atque exterioribus, uti debes tamquam totidem admonitionibus, ut te ad me vertas ad testificandum mihi amorem tuum, ad gratiam implorandam, ad renovandum fidelitatis propositum.

Denique, repetitis conatibus insistendum, donec oratione uti assuefactus sis, et, quemadmodum infans ad parentem, non vi rationis aut reflexionis, sed spontanee ad me in omni casu recurras.

8. Macte animo, fili mi, nec industriæ parcas nec diligentiæ, ut hanc scientiam Electorum, objectum aspirationis omnium Cordis mei discipulorum, acquiras. Tanti valet et pluris.

In oratione etenim subsidia necessitatum; in ea resarcitus defectuum; in ea profectuum media;

in ea perseverantiæ secura spes; in ea quidquid habere expedit.

Oratio, refectio eorum, qui esuriunt et sitiunt justitiam: oratio, purarum animarum deliciæ: oratio denique, occupatio simul et quies Sanctorum.

Dum oras, me colis ac glorificas, idque facis in terra, quod Angeli et Sancti faciunt in cœlo, quodque te feliciter occupare debet per lætam æternitatem.

9. V. *D.* Melliflua sunt, Domine Jesu, quæ de oratione sancta doces: unctione sua cor afficiunt, et orationis amore replent.

Ecce quantum potero, Domine, orabo: orabo mente, orabo corde, orabo ore. Adjuva me tua gratia.

Per sacratissimum Cor tuum, obsecro, largire mihi orationis spiritum, ut oratio, quæ multiformis est, sit etiam vita mea.

Non rogo dona extraordinaria, non donum prophetiæ, non donum miraculorum: hæc illis concede, quibus benigne volueris: nusquam invidebo.

Sed hoc rogo suppliciter, hoc mihi concede, precor, donum orationis, donum, quod est supra omne donum mihi.

Per illud omnia bona: per illud accessus ad bonorum omnium fontem: per illud ingressus in ipsum Cor tuum.

Imit. Chr. Lib. III. c. 30.

CAPUT DECIMUM QUARTUM.

De amore solitudinis, secundum exemplum Sacrosancti Cordis Jesu Nazarethi degentis.

1. *V. J.* Fili, postquam Hierosolymæ in iis, quæ Patris mei sunt, tamdiu fuissem, quamdiu ipse Pater volebat, descendi et veni Nazarethum, ibique latens, proficiebam gratia apud Deum et apud homines.

Cape absconditam hanc vitam meam: stude Cordis mei sensis, eaque imitari sedulo cura.

Vidisses me, vultu sereno ac Corde læto, nunc domi officiis rebusque variis intentum: nunc foris diversis laboribus incumbentem: semper ad omnia paratum: ubique subditum: semper et ubique Deo Patri, Virginique Matri, et Joseph, Angelisque mirantibus, spectaculum plenum gratia.

En, quomodo Filius Dei tanto tempore occuparetur! en quomodo cresceret, sicut lilium convallium, absconditus quidem mundo, cœlo autem conspicuus et gratus.

2. Noli mirari, fili, quod tot annos in solitudine transegerim, ac non nisi post tempus longum me ostenderim mundo. Summopere necessarium mortalibus hoc exemplum meum, hic interior solitudinis amor.

Homines enim sine amore solitudinis, ad exteriora toti natura corrupta effluunt: alii quidem amorem proprium sequuntur imaginariis vel extraneis salutis aut perfectionis viis ac mediis, quibus illuduntur, atque a spiritu vocationis statusve sui periculose deviant; alii vero secretæ superbiæ obtemperant, suscipiunt negotia aut muneribus fun-

guntur sine debita præparatione, sine recto ordine, quærentes, non quæ mea, sed quæ sua sunt.

Unde fit, ut a vera aberrent via. Cumque, ob strepitum continuum attentionemque ad exteriora, divinas inspirationes non attendant, ab errore in errorem prolabuntur, illusionibus magis magisque involvuntur, omnia denique salutis ac perfectionis media sibi reddunt infructuosa.

3. Huc autem absconditæ interiorisque vitæ meæ spectat exemplum, ut homines cavere tanta mala, et tutam salutis viam tenere doceat; illisque monstret, in quo vera perfectio consistat.

Quod splendet aut sonat, quod admirationem vel attentionem hominum quoquo modo excitat, id multi perfectius considerare solent, tamquam ad Deum glorificandum proximoque prælucendum aptius et melius.

Sed quantus error! quanta delusio! Totum enim ex secreta superbia oritur, atque in amore proprio consummatur.

Verum enimvero perfectio, ut ex Cordis mei liquet exemplo, in divino beneplacito cum humilitate et charitate faciendo consistit.

At sine solitudinis cultu, nec voluntatem divinam semper bene intelligere, nec humilitatem custodire, nec charitatem veram, non fictam, conservare solet homo.

Ora igitur, fili, ut amorem solitudinis obtinere ac fovere merearis. Tantum est bonum, ut vix quidquam aliud, tum ad recto spiritu agendum, tum ad eodem spiritu orandum, utilius reperiatur.

Scrutare vitam Sanctorum omnium, et horum invenies nullum, qui non amaverit sanctam solitudinem.

4. Solitudo porro, quam colere debent fideles, ad vitæ statum conditionemque relativa est. Unde fieri potest, ut quæ laudanda esset in uno, in altero culpanda foret.

Hæc autem omnis animæ fidelis, cujusvis status aut conditionis, norma certa, hic verus modus est: Solitudinem ita diligere, ut, postquam rite perfecerit quidquid munia partesque suæ requirunt, mecum declinet a turba, seque apud me recolligat, donec divina voluntate avocetur.

Si te subtraxeris superfluis consortiis, otiosis conversationibus, vanis mundi rumoribus, negotiis denique ad te non pertinentibus, tempus habebis frequens, quo solus mecum agas.

Cum autem ab hominum commercio in solitudinem secedis, noli relinquere homines tantum, negotia autem tecum ferre.

Sunt enim qui non minus distracti aut effusi sunt in solitudine, quam in rerum hominumque consortio; quia vagationi imaginationis, intellectus curiositati, aut voluntatis morositati indulgent.

Oportet in primis tempus omne liberum bene ordinare, ita ut certo tempori occupatio certa assignetur, ne fastidio affectus divageris, aut tempus transigas deliberando, quomodo transigere debeas.

Permultum confert servatus in rebus omnibus ordo: otium pellit et tædium, multas præcavet tentationes ac difficultates, facultatem præbet multa cum facilitate bene faciendi, denique mihi vivere facit.

5. Solus mecum in conspectu Angelorum, præteritum vel reparat vel in bono confirmat: atque reflectens super se actibusque suis, plurimum

eruditur. Non enim diuturnitas temporis aut rerum multiplicitas tantum, quantum meditationis et orationis puritas, hominem reddit vere expertum.

Recollectus a mundi tumultu, pacem recuperat amissam, aut servatam fortificat, multiformis gratiæ visitatione gaudet, recte præordinat quæ postea cum fructu ac merito efficere valeat.

Unde, fili, nisi ex unione mecum homines interiores, in adjunctis difficillimis, adeo sui compotes permaneant, ut admirationi sint multis, adeoque constantes, ut quæ semel statuerunt, maxima intrepiditate exequantur?

Quam multos vitabis defectus: quam multas etiam virtutes exercebis, si colueris solitudinem!

Omnes veri discipuli Cordis mei semper ratum habuerunt, se tanto propiores esse Cordi meo, quanto a creaturis essent corde suo remotiores.

6. Fili, si vere fueris humilis, solitudinem affectabis: humilitas enim, quantum licet, diligit latere, fugit notari.

Quodsi vero divinoque amore sis accensus, ambies solitudinem: dilectionis enim flamma, omni flatui mundi exposita, facile extinguitur, nisi in solitudine sæpe nutriatur.

Vel, quod pejus est, charitas semper effusa, fit paulatim colorata sensualitas.

Solitudo, uniuscujusque circumstantiis accommodata et bene transacta, gradatim dulcior fit, ac bona procurat innumera.

Est enim innocentiæ custodia, habitaculum pacis, interioris vitæ domus, schola sanctitatis, cœlestium secretorum locus, divinæ communicationis selectum medium.

His si frui velis, ama sanctam solitudinem:

frequenter te invitabo, frequenter te ducam in illam, ut ibi loquar ad cor tuum.

7. Noli a sancta solitudine colenda deterreri, si quandoque, ob tuum secessus amorem, ab hominibus carparis. Sine loquentes loqui: tu vero quod bonum est, prosequere.

Si vitam tuam juxta hominum sensa componere volueris, tot induere debebis formas diversas, quot habebis homines obvios, cum tot sint sensa diversa, quot sunt capita distincta.

Quando divina tibi non notificatur voluntas, ut sis cum hominibus, mane mecum solus.

Ita Sancti, qui nisi a divina voluntate evocati fuissent, in solitudine usque ad ultimum suspirium perseverassent, ignoti mortalibus.

Verumtamen, fili, quotiescumque voluntate mea, quoquo modo manifesta, ad aliquid te mitto, eadem facilitate et spiritus libertate, qua ingressus es solitudinem, illâ egredi debes.

Jubente me, quocumque bono fueris occupatus, illud quantocius relinque, seu potius in melius commuta, te, sine ullo displicentiæ signo, alacriter accommodando supervenientibus.

Noli te præconceptæ methodo potius, quam divinæ voluntati meæ, astringere, atque ita pietatem odiosam reddere vel inamabilem, per falsam accurationem rigoremque inordinatum.

Si spiritum vere interiorem a Corde meo didiceris, ambobus extremis evitatis, in medio tutus ibis.

Ideoque non imitaberis effusos istos, qui arbitrantes, tempus in solitudine transactum fere deperdi, vel interiora sibi non esse sapida sentientes, semper prætextus fingunt sese ad exteriora effun-

dendi, rebus alienis se immiscent, sæpe omittunt facienda, omittenda sæpe faciunt.

Nec etiam eorum sequèris vestigia, qui pietatis obtentu omnia exteriora negligunt, se in solitudine, clauso aditu, ita abdunt, ut eos nec invitatio Spiritus mei, nec charitas, nec obedientia evocare valeat. Quodsi eos aliquando necessitas expulerit aut turbarit, indignantur, morosi sunt ac tetrici.

Tu autem, fili, sectare divinam voluntatem: ama esse mecum in solitudine secundum beneplacitum meum: et cum mea est voluntas, ut cum creaturis sis, ama cum illis esse amore mei.

8. *V. D.* O sancta solitudo! quot et quantis bonis abundat!

Intellexisti hæc, anima mea? Ad solitudinem ergo vola frequenter: illuc tende, quantum licet: illuc sæpe a tumultu vel tantisper recurre, sed corde magis quam corpore.

Ibi respira; ibi te refice; ibi profice gratia; ibi inter Angelos de Dilecto tuo te occupa.

O Dilecte cordis mei, Jesu dulcissime! da mihi, quæso, ac fove amorem sanctæ solitudinis, in qua te inveniam, te fruar, tecum beatus sim.

Non enim habet amaritudinem tua, sicut sæpe humana, conversatio, nec tædium convictus tuus; sed lætitiam spiritualem, purum gaudium, divinam dulcedinem.

Imit. Chr. Lib. I. c. 20.

CAPUT DECIMUM QUINTUM.

De divina præsentia, in qua, Sacrosancti Cordis Jesu baptizati exemplo, vivere docemur.

1. *V. J.* Fili, incipiens quasi annorum triginta, Dei Patris mei voluntate missus, Nazarethum reliqui et veni ad Jordanem, ut baptizarer.

Cum autem baptizatus essem, statim ascendens de aqua, ad orationem me recepi. Sed en, fili, me orante, multitudine hominum circumfusa, ecce apertum est cœlum, et Spiritus Sanctus sub specie columbæ super me descendit, et vox Patris audita est, dicens: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.

Quanta solemnitas, fili! quam gloriosa! sed non propter me exhibita. Non enim propter me venit hæc vox, sed propter homines, ut me suum Salvatorem agnoscerent, atque in me credentes, in me sperantes, me diligentes, in me vitam haberent æternam.

His enim exterioribus non mihi indigebam. Quippe quod in baptismo meo factum est visibiliter, eo invisibiliter fruebar omni tempore. Semper et ubique Pater et Spiritus Sanctus mecum.

In interioribus omnem semper sufficientiam habebat Cor meum: his plene gaudebat, his summe delectabatur.

Cor hoc meum Divinitati unitum, ei affectu et actu semper præsens, ea semper veluti absorptum vivebat.

2. Quantum potes, fili, hoc Cordis mei exemplum æmulare. Qua de re tibi dicenda habeo multa, sed suavia, sed consolatione plena.

Ad hoc nitere, fili, ut semper divina fruaris præsentia, ut ubique coram me, Deo Salvatore tuo, vivas.

Si diligis me, tuas invenies delicias in ambulando coram me, in fruendo præsentia mea.

Num enim a seculo auditum est, aut umquam factum est, ut quis non delectetur præsentia ejus, quem diligit?

Ecce semper et ubique tibi præsens, quatenus divina sum persona, te nusquam e conspectu amitto.

Imo vero non est ulla creatura invisibilis in conspectu meo. In omni loco, oculi mei contemplantur bonos et malos, ac singulorum cor ipsum intuentur.

Quis se abscondat ab intuitu meo? Si quis in tenebris se abdiderit, si in recessu deserti latuerit, si se in profundo terræ aut maris celaverit, si descenderit usque ad infernum, oculi mei super ipsum ubique.

Adeo, fili, omnibus et singulis præsens sum, ut manu omnipotenti attingere unumquemque possim, tum ad coercendum vel ad puniendum, tum ad juvandum aut ad munerandum.

3. Sed et tibi sum præsens, non solum tota Divinitatis meæ, verum etiam tota Humanitatis suavitate, in sancto Tabernaculo.

Quocumque ergo perrexeris, sive ad dextram sive ad sinistram: ubicumque fueris, sive in patria sive in terra aliena; in omni loco, in quo Sanctissimum residet Sacramentum, me tibi habes præsentem Divinitate, et Anima, et Corpore.

Ibi reperis me cum eodem vultu, cum iisdem oculis, cum iisdem labiis, cum iisdem auribus, imo cum iisdem Cordis affectibus tibi præsentem, qui-

bus fui Discipulis olim, et nunc sum etiam Angelis ac Sanctis in cœlo.

Cape, fili, totum amoris mysterium. Ecce enim ex sancto Tabernaculo tibi, ubivis in terra fueris, quodammodo præsens sum Cordis amore. Corde enim de te occupor: amore te ubique prosequor.

4. Quomodo igitur potes mei oblivisci? quomodo amore mei non occupari? quomodo mente aut corde a me discedere?

Tunc, fili, vere ambulas coram me, cum mens tua actu vel effectu meminit mei præsentis, atque cor tuum mei præsentis amore occupatur.

Sunt autem divinæ hujus præsentiæ quædam ascensiones, quas interiores animæ in corde suo disponunt, ac quibus ad me usque propius accedunt.

Primum quidem, cum homo, virtute præsentis attentionis, aut saltem præformatæ intentionis, ita vivit recollectus, ut omnia faciat modo conspectu meo digno, frequentique interea actu se ad me vertat.

Deinde, cum quis, corde suo purificato ab omni inordinato affectu, atque mihi consecrato in speciale sanctuarium, devote attendit, auscultans, quid intus loquar, et usque paratus ad respondendum susurrationibus meis.

Denique, cum anima interior, in me quodammodo absorpta, ita mihi vivit, ut sui non nisi in me meminisse, se non nisi in me diligere soleat, in me divina quadam suavique unione semper quiescens, præsentiaque mea fruens modo perfectiori, quam quo fruitur avis aëre, in quo volitat, aut sanus sanitate, qua viget.

Hæc autem, quæ omnem superat sensum, unionis divinæ est consummatio, ad quam animæ vere

puræ, quæ se per generosa sacrificia seu externa seu interna disposuerunt, relinquentes corde perfecto creaturas omnes atque seipsas, et mihi soli adhærentes, gratia juvante pervenire solent.

5. Fili, memoria præsentiæ meæ medium vitandi peccata efficacissimum. Quis enim, advertens, se ante divinos oculos versari, auderet offendere eum, qui eodem momento potest corpus et animam perdere in gehennam?

Si istis oculis tuis videres me, tibi sensibili specie præsentem, num, fili, num velles, num posses committere peccatum in ipso conspectu meo? Nonne te bene gereres? At oculis fidei me clarius ac certius vides tibi præsentem, quam si me corporis oculis videres.

Recordare amaque me tibi præsentem, et in æternum non peccabis. Quid namque reddit cœlicolas impeccabiles? Nonne visio et amor Divinitatis, et quæ oriuntur ex illis?

Cum mens tua Deum tuum fide aspicit, cum illum cor tuum amat, non offendes tantam Majestatem. Licet enim natura debilis ac labilis sis, tamen non sinet te decipi visio hæc divina, nec te labi patietur hic amor. Etenim omnis, qui in eo manet, non peccat.

Itaque, fili, quamdiu ambulaveris coram me fide et amore, impeccabilis eris, non quidem natura tua, sed mea præsentia.

Quodsi peccaveris, utique cum peccandi cepisti consilium, Deum non videbas fide, amore non cognoscebas. Omnis enim, qui peccat, non vidit eum nec cognovit.

6. Quid denique præsentia mea jucundius? quid dulcius? quid ad omnia utilius? Nonne jugis

est paradisus? Quem enim Angeli ac Sancti facie ad faciem contemplantur, quem in veritate possident in cœlo, tu eumdem in terra contemplaris fide, tu eodem frueris per amorem, crescens merito.

Sine exercitio divinæ præsentiæ solitudo periculosa, atque hominum commercium nocivum esse solet. Per illud vero utrumque juvari et sanctificari consuevit.

Vix ullum pietatis reperies exercitium, quod tot, tam varios, tam frequentes virtutum actus, quam hoc sanctum præsentiæ divinæ exercitium, contineat.

Macte igitur animo, fili mi: acquirere consuetudinem vivendi in præsentia mea pie diligenterque conare. Acquisita, tibi in periculis erit protectio, lux in tenebris, in solitudine consolatio, custodia in mundo, ubique exercitatio virtutum, ubique divinum consortium.

7. *V. D.* Sed, Magister bone, dulcissime Jesu, quo modo hanc, amabo, sanctam consuetudinem mihi acquiram?

V. J. Ante omnia, fili, oportet sæpe orare, enixe rogare gratiam, qua exciteris ad divinam præsentiam cum fide viva et fiduciali amore recordandum.

Sed et sensus sub disciplina cohibendi: mortificandus exteriora percipiendi appetitus inordinatus.

Tum, custodiendæ facultates internæ: interdicendum menti quidem non solum malis sed inutilibus etiam cogitationibus, cordi vero vanis et otiosis occupationibus.

Deinde conandum est, ut frequenter te ad me vertas brevibus fervidisque aspirationibus, quæ

eo tibi meliores erunt, quo statui circumstantiisque animæ tuæ magis conveniunt.

Denique, fili, rebus in omnibus visibilibus invisibilem me, cordis tui Dilectum, quærere debes.

Nonne per ipsas creaturas undique moneris præsentiæ meæ? Leva oculos tuos in circuitu, et vide, quomodo omnia me præsentem esse suo modo nuntient.

Nonne serenitas, et ipsa tempestas nuntiant? nonne fructus et flores? nonne consolationes et afflictiones? nonne virtutes, et gratiæ fontes?

Fili, si interior Cordis mei discipulus fueris, omnia, quæ tibi occurrerint, ad recordandum et amandum me præsentem, tibi inservient.

Ubique me reperies; et transibis omnia usque ad me, in quo solo quiesces et gaudebis.

8. *V. D.* O Domine, Deus invisibilis et omnia videns, incomprehensibilis et ubique præsens, quo ibo a facie tua?

Ecce si ascendero in cœlum, tu illic es: si descendero in infernum, ades. Si sumpsero pennas diluculo, et habitavero in extremis maris; illuc manus tua deducet me et tenebit.

Tenebræ non obscurantur coram te: nox sicut dies tibi. Ubique in conspectu tuo sum, oculis tuis apertus intus et foris.

9. En ergo tu mihi semper præsens es. Quam dulcis cogitatio! quam magna consolatio! quanta fiduciæ ratio! quantum amoris incitamentum!

Sed et quocumque vertar, creaturæ tuæ fidem meam excitant, meque præsentiæ tuæ, virtutis tuæ, amoris tui, amabilitatis tuæ admonent. Si enim objecti umbra tam amœna, tam pulchra, tam bona est, quid objectum ipsum?

Ecce hæc creatura jucunda, illa fortis; ista pulchra, ea bona: sed incomparabiliter jucundior, simul et fortior, et pulchrior, et dulcior, et omni ratione melior tu, o Dilecte, quem diligit anima mea.

O Jesu, Deus Salvator meus, deliciose cordis paradise! da, quæso, ut tui semper et ubique memor sim, te semper et ubique præsentem amem.

Fac cor meum purum et sanctum tibi habitaculum, in quo te inveniam, te possideam, te fruar, ad sanctificationem animæ meæ, et æternam Cordis tui gloriam.

Imit. Chr. Lib. III. c. 21.

CAPUT DECIMUM SEXTUM.

Quod Sacrosanctum Cor Jesu, in deserto tentati, doceat nos cordis pacem semper conservare.

1. *V. J.* Fili, cum a Jordane recederem, ductus sum a Spiritu in desertum. En spectaculum, quod Angelos ipsos in admirationem rapuit.

Ecce enim ego ab humano consortio exul, inter fera deserti animantia degens, in jejunio, in austeritate, in tempestatis vicissitudine et inclementia, dies ac noctes transigebam.

Cor autem meum in divinis cum Patre cœlesti communicationibus, in alta contemplatione, in oratione continua erat.

Interea a mundo traditus oblivioni, vel etiam injuria affectus, insuper a Satana miris modis lacessitus fui: imo ab eo apprehensus, alio transportatus, varie et maxime tentatus.

Ad hæc autem subeunda, quid me impulit nisi Cordis mei amor, ut te, fili, consolarer et exemplo docerem?

Quo instructus et animatus, nec miraberis, si tu in statu tuo tenteris a dæmone, aut a mundo molesteris; neque cordis pacem amittes, sive ob humana accidentia sive ob tentamina diabolica.

Nihil horum omnium Cor meum turbare vel agitare potuit: sed inter omnia quietum semper ac tranquillum, se firma voluntate ab objectis avertens, transivit in pace.

2. Hanc cordis pacem sanctam omni studio exquire, fili mi, et cura omni prosequere.

Beata anima bona, quæ se in vera pace conservat! In illa tamquam regno meo resideo: in corde ejus velut throno meo delector.

Amat Cor meum se communicare cordi tranquillo; quoniam ibi inspirationes ejus audiuntur, curantur, fructificant.

Si vis quam paucissimos committere defectus, si ex ipsis defectibus vis obtinere lucrum, si vis bene virtutes exercere, conserva cordis pacem.

Si vis tentationibus diaboli utiliter resistere, et inferni malitiosos frustrari conatus, mane in pace, et permane.

3. Inimicus, sciens, se parum contra animam valere, quamdiu hæc se in sancta pace tenet, eam obturbare omni modo nititur.

Ad hunc finem, omnia molitur quandoque et commovet: imaginationem excitat, passiones provocat, multa suggerit, nunc huic, nunc illi virtuti contraria; aliquando blanditiis, terrore aliquando agitat; nonnumquam obstinate persistit.

Hujusmodi, fili, si quæ tibi fierent, noli tur-

bari, noli perdere pacem. Quamdiu in sancta pace permanes, omnia tuta sunt: si autem incipis turbari, incipis periclitari: et quamquam a voluntario consensu per divinam gratiam te retineas, inimicus tamen id obtinuit, quo pro illa vice contentus est.

Non enim putat se posse prima impugnatione te prosternere, sed paulatim, si cor tuum turbare potuerit, te fatigare, te debilitare, ita demum te perdere.

Vide ergo, ne turberis, quacumque tentatione vel quantocumque tempore impugneris.

4. Fili, quidquid acciderit, ne turbetur cor tuum. Pro nulla re mundi pax cordis amittenda est.

Etsi defectum aliquem aut peccatum admiseris, etiam tunc noli perturbari corde. Nam si post commissum delictum turbes teipsum, num eo quidquam remedii affers malo? Contra, novum committis defectum periculosiorem priore.

Ne igitur, delicto infeliciter commisso, turbatione agiteris aut despondeas: sed per humilis amoris actum conjice te corde contrito super Cor meum, ut hoc foco divino consumatur defectus tuus, et cor tuum mundetur.

Maxime, fili, opus est firma imperturbataque cordis pace, cum ad majorem Cordis mei gloriam ac majus bonum tuum permitteris interna premi desolatione, qua intellectus involvitur tenebris, ac voluntas se ad mala urgeri sentit, ita ut aliquando videaris tibi soli et pertinaci inimico relictus.

Si in illo statu te perturbationi tradideris, sanctissimam Cordis mei intentionem frustraberis, magnumque adibis periculum, non modo te privandi oblato meritorum thesauro et alto sanctitatis gradu, verum etiam errandi ac cadendi.

Quodsi, corde pacato atque imperterrito, procedas obediens, quo te duxerit Spiritus meus, et supra et contra etiam sensum sequaris ductum ejus, pertransibis illæsus, atque perfectior egredieris.

5. Sed multa etiam in exterioribus occurrent, quæ cor tuum, nisi in pace fuerit bene solidatum, movebunt ac disturbabunt.

Accidet, ut homines atque illos ipsos, qui gratitudinis, amicitiæ, status aut officii etiam debito, tibi erant obstricti, infideles, imo adversantes quandoque tibi esse reperias.

Si pax tua in dispositione vel actione mortalium fundata sit, aut inde pendeat, tristi agitationi obnoxia erit.

Multi pro cordis affectu judicant: ideoque expectandum est fore, ut non raro male de te sentiant, actiones tuas culpent, interioris vitæ studium condemnent, te denique varie exerceant.

Hæc, fili, si acciderint, noli pati, ut cor turbetur: sed resta pacificus, et cuncta sine transire, ut nubes supra te transire sinis.

Et profecto, fili, quid his turbari prodesset? Nonne gravamen adderes, et pro fructu laboris amaritudinem reciperes?

Assuesce, fili, adversa tolerare patienter, ingrata silenter audire, inter turbulentos esse quietus, strepitante mundo permanere tranquillus.

6. *V. D.* Sed, o Domine Jesu, quam difficile factu videtur, vexantes interius tentationes, etiam cum opto tibi fideliter servire, aut exterius afflictiones rerum hominumque adversantium, etiam quando bene intendi, non sentire, iisque non turbari! Imo, Domine, mihi hoc impossibile videtur.

V. J. Sed malum non est, fili, sentire quæ

gravia sunt, aut apta ad cor agitandum: quin ea sentire oportet, ut eis resistere possis.

Utique impossibile est, ea non sentire, etiamsi piissimus fueris. Pietas enim facultates animæ non destruit nec hebetat, sed contra, perfectiores reddit et puriores.

Neque possibile est, ut pars cordis inferior iis aliquando non moveatur. Hujus autem motus, nisi a parte superiori admittantur, tibi nocere nullo modo possunt: imo vero ad pacem magis consolidandam inservire queunt, cum, quo plures de illa parte victorias reportaveris, eo subjectiorem illam et tranquilliorem habiturus sis, eoque majori securitate fruiturus.

At semper est in potestate tua, conservare in pace teipsum. Cum enim libero fruaris arbitrio, sufficientemque semper accipias gratiam, nec malitia inferni, nec hominum perversitas, nec adversa ulla cor tuum, nisi illud ipsum velit, perturbare valent.

Pendet igitur a te solo, fili, semper hoc possidere bonum, quod tantum est, ut, post statum gratiæ, sit hujus vitæ bonum maximum.

7. *V. D.* Ita, Domine Jesu, ita plane. Doce me ergo, quæso, viam sanctæ pacis, quam mihi ostendisti tam necessariam esse et tam utilem ad omnia.

V. J. Fili, multi multa dicunt de mediis obtinendi ac conservandi pacem; ego autem dico: Discite a me, quia mitis sum et humilis Corde, et invenietis requiem, pacis perfectionem.

Primo itaque, solum cor bonum, quod in gratia vivens studet Cordis mei virtutes imitari, veram pacem habere potest; quia non est pax impiis.

Deinde, cor humile solum, quod inter homines inferiorem tenere locum bene contentum est, quodque sibi diffidens, in omni casu ad me recurrit, pacem imperturbatam custodire valet.

Denique, solum cor charitate animatum, quod divinæ voluntati unitum aut certe resignatum est, dulcedine sanctæ pacis continue frui, atque in ea secure perseverare potest.

Quodsi perfecte Cordis mei sensa imbueris, ita ut, pro amore perfectioris mihi similitudinis ac probatione purioris erga me amoris, diligas, secundum divinum beneplacitum, pati mecum in hoc mundo: tunc, fili, suavissimæ pacis abundantia affluues, ac supra omnes rerum sensibilium vicissitudines perpetua tranquillitate gaudere, ac corde læto jubilare poteris; quoniam, unde pax turbari solet, inde tibi confirmabitur.

En, fili, viam pacis veram, quæ gradatim ascendit usque ad perfectionem. Beati, qui ambulant in ea! Extra eam nulla reperienda est pax genuina, nulla solida, nulla durabilis.

Si non habueris cor bonum, ex humilitate et amore divinæ voluntati resignatum, fac quidquid volueris, vade quocumque malueris, nullibi invenies pacis felicitatem.

Quando enim cor intus non bene dispositum est, nec fuga occasionum, nec locorum mutatio, nec solitudo vitæ, nec libri spirituales, nec denique consilia humana pacem veram dare possunt.

8. Memento, fili, causas perturbationis internæ non in rebus extra te, sed intra te esse in dispositione cordis inordinata. Si causas in te existere non sinis, res externæ tibi turbationis occasiones esse cessabunt.

Porro tot sunt pacis amittendæ causæ, quot cordis affectus inordinati. Tales autem sunt, non solum rerum malarum et inanium affectus, sed bonarum etiam atque sanctarum, quando his contra divinum beneplacitum indulgetur.

Quamobrem statim ac aliquid inordinati in te perceperis, orationi, examinique particulari, et aliis opportunis mediis insta, et quantocius e corde tuo quiete simul et efficaciter dimitte.

Quam multæ, etiam bonæ, animæ pacem studiose quærunt, variis utentes mediis iisque non malis, et tamen non inveniunt nisi majorem turbationem, quia inordinate procedunt, nimium aut anxie desiderantes finem gravaminis, quod sentiunt, vel consecutionem quietis, ad quam anhelant, aut se turbantes usu mediorum, aut pacem volentes experiri sensibus!

Pacem quære pacifice, eamque in parte cordis superiori, ubi rationalis voluntas sub fide et gratia præest, inveniendam posside et conserva.

Ita, fili, poteris constanter frui pace sancta, pace mea, quæ est omnis veri discipuli Cordis mei privilegium, rerum prosperarum condimentum, lenimen adversarum, bonorum summa, necessarium denique et dulce medium perfectionis ac sanctitatis.

℣. *V. D.* O Jesu, Deus pacis et Pater totius consolationis! quantum opto, quantum desidero pacem, pacem tuam, dulcem et sanctam!

Habeant qui voluerint, cætera vitæ bona; mihi, quæso, dona pacem, bonum hujus vitæ mihi optimum, complectens mihi desiderabilia omnia.

Præsta benigne, ut præscriptis recte utar mediis, sicque verus Cordis tui discipulus efficiar, miti et humili corde semper pacificus.

O Princeps pacis Jesu dulcissime! cujus deliciæ, regnare in corde puro et quieto, ita in corde meo firma regnum tuum, ut numquam turbetur, sed solidetur perpetuo magis, donec admittas me ad regnandum tecum in beatitudine cœlesti, ubi cum Angelis et Sanctis regnas in pace sempiterna.

Imit. Chr. Lib. II. c. 3. *et Lib. III. c.* 23.

CAPUT DECIMUM SEPTIMUM.

Quod Sacrosanctum Cor Jesu, incipientis vitam publicam, doceat nos zelum animarum.

1. *V. J.* Fili, misit Deus Filium suum in mundum, ut salvetur mundus per ipsum.

Ne ergo mireris, si zelus animarum Cor meum perpetuo premebat et indesinenter urgebat, ad regnum divini amoris in corda hominum extendendum, modis omnibus, quos Pater meus cœlestis præstituerat.

Hucusque in sancta solitudine latueram, ut me ad opus quasi præpararem, omnesque Cordis mei discipulos docerem, debere prius seipsos studiose zelare, quam proximum fructuose zelare possunt.

Ecce ego sanctificans meipsum pro animabus salvandis, quam frequenter, quanto Cordis fervore pro ipsis orare solebam, ut Domino Deo suo viverent, ut nihil mali facerent, ut in virtute proficerent!

Sed et Discipulos mihi associavi et Apostolos, quos spiritu zeli mei repletos animabam, cum quibus mea communicabam consilia, quos animarum saluti mecum strenue incumbentes lætus Corde videbam.

Circuibam, docens et loquens de regno Dei, privatim ac publice omnes captans occasiones homines ad meliora promovendi.

Exemplum vitæ meæ fulgebat, quasi lux orta populo sedenti in tenebris. Transibam enim benefaciendo omnibus, et singulis exhibendo humilitatem et charitatem Cordis mei.

Quantum ædificabantur, quantum movebantur, cum viderent me ad utilitatem salutemque suam tota die laborantem, et sæpe interea declinantem a turba, solum tantisper oraturum! cum discerent, me post labores et itinera diurna, quibus ipsi Apostoli defatigati, dum sopore nocturno quiescebant, frequenter in oratione pernoctare!

Denique cum data sit mihi omnis potestas in cœlo et in terra, illam ipsam ad usum zeli Cordis mei, ad gloriam divinam, ad lucrum animarum adhibui, ac tot patravi miracula, quot necessaria erant et idonea ad salutem omnium.

En, fili, media quibus zelus Cordis mei usus est ad animas lucrandas. Eadem media nonne tibi sunt, in quocumque vitæ statu fueris? iis ad gloriam meam et animarum salutem utere diligenter.

2. Orationes frequentes, mortificationes aliquas, licet parvas aut leves, non nulla pietatis vel misericordiæ opera, sed et exercitia spiritualia, occupationes etiam ordinarias, huc spiritu orationis intende, huc dirige, tum ut filii mei prodigi, qui in terra longinqua aut infidelitatis, aut hæresis, aut peccati misere tabescunt, tandem libertate sua melius utentes, Cor meum reditu læto recreent; tum ut boni in virtute proficiant, æmulentur charismata meliora, ad perfectionem aspirare perseverent.

O si scires, quid ad salutem animarum valeat oratio! Quot personæ interiores, eæque etiam, quæ a commercio mundi seclusæ erant, singulæ sola oratione millia animarum infidelitati, hæresi, aut peccato eripuerunt, atque in æternam beatitudinem evexerunt! Intellige, fili mi, quid oratione efficere possis.

Si quos zelo animaveris, hi sunt discipuli et apostoli tui, quos ad quæstum animarum mittas.

Ita multa præstabis, non per te solum, sed et per alios, qui etiam alios animabunt, et mittent; sicque transmittent a generatione in generationem.

Stude frequenter loqui de rebus, quæ pietatem spirant, quæ ædificant et ad virtutem alliciunt. Quam multi sunt in cœlo, qui æternæ felicitatis suæ occasionem piæ alicui conversationi debent?

Verum quidem est, fili, te importunum esse non debere, ita ut a virtute fuges proximum potius, quam ad illam attrahas: verus autem et fervens zelus novit sanctis uti industriis, ut pie loquendi opportunas occasiones faciat aut captet.

Mire efficax, bonum exemplum. Hoc cæteris mediis externis vitam tribuit et virtutem. Hoc deme, et illa quid efficere possunt? obstrepere quidem sensibus, sed non cor movere.

Exemplo itaque vitæ tuæ exhibe incomparabiles amoris mei suavitates; ostende proximo, illum, qui mihi amanter servit, etiam in hoc mundo esse beatissimum. Ita proximum coges quodammodo ad experiendum et gustandum, quam suave sit servitium Cordis mei, servitium amoris mei.

Quodsi non possis patrare miracula derogando legibus universi; potes, divinæ gratiæ cooperando,

facere prodigia. Quid enim? nonne prodigiosum, imo mirandum, propter purum mei amorem præterire quæ tua sunt, ut alienis consulas, bonum pro malo reddere, te mecum in humiliationibus reputare beatum?

Hæc, fili, et similia gratiæ prodigia nonnumquam corda, quæ cæteris mediis restiterant, subito perculerunt et ad meliora sequenda converterunt.

3. Omni loco et tempore, fili, animarum esto zelator, ut quicumque te convenerit, aliquem stimulum ad virtutem aut perfectionem accipiat.

Ne credas, te verum esse Cordis mei discipulum, si zelum, efficacem salutis ac perfectionis animarum voluntatem, non habeas. Si autem vis opere probare, te vere diligere atque imitari Cor meum, ardentem fove zelum.

Quid Cordi meo gratius facere potes, quam allaborare saluti et perfectioni animarum, ad hoc creatarum, ut me in æternum ament et glorificent?

Si vel unam animam in cœlum mittis, plus gloriæ mihi procuras, quam omnes homines simul mihi in hac terra umquam exhibuerunt, aut umquam exhibere possunt. Quidquid enim gloriæ mortales mihi deferunt in terra, numero concluditur actuum, qui tandem finiuntur: gloria vero, quam in cœlo mihi tribuit anima beata, cum sit perpetua, æquivalet numero actuum, quibus in æternum non erit finis.

Attende, fili, quanti ego fecerim animarum salutem, cum propter eam descenderim de cœlis, eamque per continuos arduosque labores et ærumnas quæsierim, ac pro ea denique vitam meam ipsam dederim.

O si cognosceres animæ valorem, quanto zelo

pro ejus salute flagrares! Ex pretio a me pro ea dato disce, quanti valeat.

Salva animam, et ecce rem incomparabiliter pretiosiorem egeris, quam si totum hunc mundum cum omnibus ejus bonis lucratus esses.

Fili, si proximi animam salvasti, animam tuam liberasti: qui enim converti fecerit peccatorem ab errore viæ ejus, salvabit animam suam a morte, et operiet multitudinem peccatorum.

Quanto gaudio erit tibi, fili, post hanc vitam, videre Electos in cœlo, qui tibi, secundum gratiam, debeant, alii quidem cœlestem beatitudinem, alii vero sanctitatis respondentisque gloriæ æternæ celsitudinem suam; quique tibi in æternum mille gratiarum actiones rependant!

Imo, fili, non solum omnium humanorum optimum, verum etiam divinorum divinissimum, ad salutem et perfectionem animarum cooperari.

4. Ora frequenter, ut cor tuum vero animetur zelo, quem humilitas sustentet, charitas stimulet, informet scientia, discretio dirigat, perseverantia confirmet.

Vide, ne te zelo, non ex gratia in corde humili et miti, sed ex natura in aliqua passione orto. animari sinas. Hoc qui perverso ducitur zelo, dum peccata extirpare contendit, peccata multiplicat, dumque alios æstuat reddere in opere meliores, corde pejores efficit.

Stude, quantum morali potes modo, ubique mala corrigere, et promovere bona. Cum autem facis quod in te est, illa, quæ emendare vel quæ in meliora ducere non vales, patienter tolera, committens cuncta divinæ Providentiæ meæ, et orans ut omnia majori gloriæ meæ tandem inserviant.

Si opus zeli tui non successerit primo tentamine, iterum, fili, iterumque tenta. Accidit enim, ut homines spiritui malo subauscultantes aut tepore sopiti, ægre primum audiant meliora: deinde vero, cum bonus Spiritus eis cum interiore punctione repetivit audita, et intus suasit, zelo zelantis urgente et gratia movente se vertant atque dedant.

Quamdiu ego expecto, quamdiu ego tolero mortalem in hac vita, numquam de illo desperandum est. Si infidelis est jam, quomodo scis, annon mox futurus sit fidelis? Si hæreticus est nunc, unde nosti, annon brevi secuturus sit veritatem Catholicam? Si schismaticus est hodie, cras Ecclesiæ unitus esse potest.

Paulus erat persecutor Ecclesiæ mane, vespere vas electionis erat. Magdalena die ista in civitate peccatrix erat, sequenti die omnis virtutis exemplar, et Cordis mei amatrix Seraphica.

Quam multi, qui in errore et peccato videbantur desperati, conversi sunt, et invenerunt felicem vitam gratiæ in hoc seculo, et vitam beatam gloriæ in futuro? Num tandem gratiæ potestas diminuta est? num liberum hominis arbitrium extinctum?

5. Quodsi invitis conatibus tuis nolint homines ad melius se vertere, noli amittere cordis pacem.

Sed imitare sanctos Angelos Custodes, qui, cum fecerint quod debebant ac poterant, si crediti sibi homines non resipiscunt, aut non proficiunt, æque pacifici manent, æque beati.

Si qui zeli tui conatibus ad animæ suæ bonum uti noluerint, non ideo minus conatus isti remunerabuntur, cum apud me voluntas efficax æquiparetur successui.

Tuum est gratiæ plantas rigare, non autem incrementum dare. Riga igitur, alacriter labora, et, sive videris incrementum sive non videris, numquam sine fructu tibi, et honore mihi laborabis.

6. Interea, fili, cavendum, ne, dum alios salvos aut perfectos facere laboras, teipsum reprobum aut perfectionis negligentem fieri sinas.

Illos, ad quorum spirituale bonum incumbis, in corde tuo crede, meliores te aut esse jam, aut aliquando fore: quod autem ad te, quantumvis bonum in animabus per te producatur, reputa teipsum velut cymbalum, quod sine aliena vi movente ne sonum quidem edere potest.

Quanto purius intendis me, humiliusque de teipso sentis, tanto aptior eris ad salutem et perfectionem animarum promovendum.

Hujusmodi enim in oculis propriis infirma eligo instrumenta, ad operandum magnalia mea, ne quis glorietur in virtute sua, sed mihi detur omnis honor et gloria.

7. *V. D.* Non satis est ergo, Domine Jesu, ut solus ego te diligam: oportet, ut et alii te diligant, ut omnes te ament. Tu summe, tu omni ratione dignus universorum cordium amore.

O Jesu! si te cognoscerent homines, num te umquam offenderent? nonne te toto corde amarent?

Quam dulcis labor, corda lucrari tibi! quam Angelica occupatio! quam divinum opus!

Quis igitur det mihi, ut possim totam peragrare terram, rapere corda omnia, ea amore tui accendere et inflammare!

Utinam, dulcissime Jesu, omnium haberem corda, ut illa tibi devovere, amori tui consecrare possem!

Suscipe, quæso, desiderium cordis mei, quo opto posse tantum omnium mortalium amorem tibi in terris procurare, quantum Angeli ac Sancti tui in cœlis tibi exhibent.

Fiam, quæso, Cordis tui apostolus, ut amorem tuum spargam ubique, ut laborem, industriam, medium omne corde generoso ac solerti impendam, et superimpendam meipsum pro animabus, quæ te diligant et glorificent per omnem æternitatem.

Imit. Chr. Lib. I. c. 15. *et Lib. II. c.* 4.

CAPUT DECIMUM OCTAVUM.

Quod Sacrosanctum Cor Jesu, nuptiis in Cana præsentis, nos spiritualem lætitiam doceat.

1. *V. J.* Fili, cum propter salutem omnium venerim, omnia omnibus factus sum ad lucrandos omnes.

Omnibus grata, lux læta, calorem animationemque spargens. Talis ego, lux mundi: talis vita mea, quæ Cordis gaudium, amoremque, et alacritatem exhibebat.

Scrutare omnia, fili, nusquam reperies me tetricum, nusquam ex morositate homines fugientem aut fugantem: verum ubique alacrem, cum mortalibus secundum divinum beneplacitum gaudenter agentem, omnia spiritu animantem ac sanctificantem.

Imo ecce invitatus, non renui cum Matre mea et Discipulis interesse nuptiis illisque sancte congaudere, omnem captans occasionem animas lucrandi, docendique virtutem et verum cordis gaudium.

Ex Cordis mei exemplo didicerunt Sancti spiritualem fovere lætitiam, eaque proximum ædificare, et mihi servire corde gaudentes.

Noverant me bonum esse Patrem, meque amare ut filii vivant corde dilatato, in participatione bonorum meorum contenti ac beati.

Hæc meditare, fili: hæc imitare, ut gaudium meum in te sit.

2. Ecce quæ præstet, quæque efficiat spiritualis hæc lætitia. Quid enim majorem mihi affert hic honorem, quam mihi servire corde læto; sicque toti probare mundo, servitium meum esse suavitate et felicitate plenum?

Sed et verum cordis gaudium adornat virtutem, difficultates complanat, labores mitigat, clarat intellectum, voluntatem animat, totum denique hominem ad omnia bene disponit.

Sin ecordis gaudio, universa bona externa ad felicitatem parum conferunt, animæ facultates torpent, corpus ipsum languet, homo etiam in prosperis miser est.

Lætitiæ spiritualis exercitio te reddes charum mihi, qui hilarem datorem diligo; utilem proximo, qui delectabiliter ad bonum stimulabitur; denique proficuum tibi ipsi, qui per hoc unum exercitium multos virtutum actus elicies.

Quid plura? Ecce quis est homo, qui vult vitam, et dies videre bonos? Jucunditas cordis, hæc est vita hominis: et dies boni, dies optimi, qui transiguntur in divina gratia, quæ est sicut paradisus in benedictionibus.

Maximum autem status gratiæ signum est lætitia spiritualis.

Justorum itaque lætitia felicitas est præsens, et sempiternæ beatitudinis præsagium.

3. Quid est autem lætitia spiritualis, nisi bonus habitus animæ, quæ ostendit, se propter me esse vere contentam?

Non igitur in natura, sed in gratia fundata est: non ab indolis constitutione, sed a dispositione cordis pendet: non sensualia, sed spiritualia pro objecto habet.

Lætitia mundana damnosa est, ad mœrorem ducit et acerbos animi morsus: naturalis autem inconstans, et frequenti tristitiæ subjecta: spiritualis vero stabilis et salutifera.

Sanctam hanc lætitiam cor bonæ voluntatis cum gratia producit, fervens pietas dilatat, victoria de propensitate naturæ solidat.

4. Dæmon, melancholiæ amator, cognoscens, quantum contra se faciat lætitia spiritualis, ipsam omni modo oppugnare, destruere falsis rationibus, vel vanis subtilitatibus diminuere semper quærit.

Cave, fili, ne ab illo capiaris. Si cesseris isti tristitiæ fautori, non illi sufficiet, privasse te sanctæ lætitiæ bonis, sed videns te secundum desiderium suum dispositum, omnium periculosissime te aggredietur et tentabit.

Quidquid suggestum fuerit, quidquid etiam acciderit, noli admittere tristitiam, quæ cor dejiciat. Hæc dira pestis exsiccat ossa, et rationem stupidat. Non est sensus ubi est ista: imo omnis plaga hæc tristitia cordis est.

Fieri quandoque poterit, fili, ut ad tristitiam quamdam tædiosam inclinari te sentias, ignarus unde movearis. Quod cum acciderit, ora etiam atque etiam, fervorem, quantum vales, excita,

aliis opportunis utere mediis, ut conserves salutare cordis gaudium.

5. Frequenter occurrent contraria et adversa, quæ te naturaliter afficient. Hæc, si te corde contristari patiaris, aggravabis: alleviabis contra, si cor lætum serves. Quo igitur melius potueris, ea in bonum æternum animæ tuæ converte, et, mente a displicentibus aversa, gaude supernaturaliter ob magnum lucrum tuum.

Sed quæ maxime lætitiam spiritualem in anima proba solent impedire, sunt defectus, quos committit, ac sine quibus vivere se non posse comperit. En illusio: en deceptio inimici, qua imperitis nocere plurimum consuevit.

Stat per te solum, fili, quominus defectus isti, quando commissi sunt, commodis tuis proindeque cordis tui lætitiæ inserviant Commodi enim est magni, imo magni meriti, ex una parte, commissorum defectuum statim pœnitere amore mei, et, ex altera, de humiliationibus defectus consequentibus gaudere, ad honoris mei reparationem.

Denique, fili, quæcumque obstacula habueris obvia, nihil recti intentatum relinque, ut a noxia tristitia caveas. Vide tamen, ne, dum fugis tristitiam, in eam ad alterum extremum incurras. Itaque ut illam vites, noli te tradere dissipationi, exercitiorum spiritualium negligentiæ, studiove sensualium oblectamentorum. Hujusmodi enim lætitiæ extrema luctus occupat.

6. Fili, post statum gratiæ possessum, summa mediorum ad fruendum lætitia spirituali, eamque conservandum, est mitem esse et humilem corde, mei amore.

Esto vere humilis, et numquam dejectus eris: ama me ferventer, et habebis cor semper lætum.

Si naturæ aspirationes aut propensitates sequaris: si in iis, quæ servitii mei sunt, tepidus sis aut negligens, verum cordis gaudium nec gustare nec possidere poteris, etiamsi omnia delectamenta terræ haberes.

Sunt et externa, quæ ad cordis gaudium juvent: sancti conatus ad spiritualem lætitiam colendam, pia jubilatio in hymnis et canticis, consortium spiritualiter lætorum, alacritas in agendo, in patiendo resignatio, in procedendo sancta libertas.

Ora, fili mi, et conare, ut mediis istis recte utaris, sicque vero cordis fruaris gaudio, cui comparata, omnis alia jucunditas mœror est, omnis hilaritas tristitia, omnis dulcedo amaritudo.

Hoc est gaudium meum, fili, quo gaudeto semper: iterum dico, gaudeto.

7. *V. D.* O Jesu, cujus Cor melliflui gaudii fons est inexhaustus, ex quo cœlum haurit et terra, ubi nisi in te reperiam cordis lætitiam veram?

O dulcissime Jesu, qui misereris in hilaritate, miserere mei, indigni filii tui, et gaudio sancto reple cor meum.

Absque te anima mea sicut terra sine aqua, arida et misera: tu solus recreatio vera et efficax.

Quando tua interius non adest recreatio, insipidum est quidquid creaturæ conferre possunt: cum vero tu cor exhilaras, exultat anima mea, et præ gaudio omnia facile portat, omnia invenit sapida, ipsa amara experitur dulcia.

Sic semper, obsecro, lætifica animam meam. Tam solidam da mihi humilitatem, ut numquam

dejiciar: tantum amorem tui fervoremque, ut semper alacris tibi vivam.

O Jesu, Dilecte animæ meæ, totum et solum gaudium meum! ita læto corde tibi serviam, ut honorem servitium tuum, proximumque ædificem, et meipsum sanctificem, ad sempiternum Cordis tui gaudium.

Imit. Chr. Lib. II. c. 6.

CAPUT DECIMUM NONUM.

Quod Sacrosanctum Cor Jesu, cum hominibus conversantis, doceat nos proximi supportare defectus.

1. *V. J.* Fili, quamdiu in terris visus sum et cum hominibus conversatus, in medio generationis perversæ fui.

Quantam, putas, videbam ego, cordium inspector, superbiam et infidelitatem, quantam immunditiam et iniquitatem in cordibus hominum, quibus nihil nisi mundus, nihil nisi proprium sapiebat!

Quantum Cor meum afficiebant culpabilis ignorantia, licentia effrenata, cœlestium rerum oblivio, sollicitudo terrestrium, neglectus virtutum, vitiorum triumphus!

Confer me, fili, cum hominibus istis: humilitatem meam cum illorum arrogantia et vanitate: zelum meum cum illorum indifferentia et obstinatione: beneficentiam meam cum illorum stupore et ingratitudine: meam charitatem cum illorum torpore et contemptu: omnes denique virtutes meas cum defectibus ac vitiis illorum!

Et intellige, quam Cordis dispositionem illis exhiberem. Ecce qualescumque erant, cum illis

vivere, cum illis conversari, inter illos sine querela aut indignatione Cordis manere, imo me contentum ostendere perseverabam.

Hanc vitæ formam si bene meditatus fueris, similia cordis sensa proximo exhibere disces.

2. Tu, fili, et universi proximi tui, estis in unum filii ejusdem Patris cœlestis, eodem pretio vitæ meæ in unum redempti, eodem vinculo amoris Spiritus Sancti in unum consortium æternum uniendi.

Omnes enim vocati estis ad idem regnum cœlorum, ut ibi beatificemini in pace perfecta, in gaudio unionis sempiternæ.

Vide itaque, ut consentias in via, ne postmodum a cœlesti sede beatorum excludaris, et tradaris exteris tortoribus.

Hoc est exemplum meum, imo hoc præceptum meum, ut alter alterius onera portantes, diligatis invicem, sicut ego dilexi vos, amore supernaturali universalique, et efficaci.

Si diligitis me, præceptum servate. Si servaveritis, manebitis in dilectione mea.

Qui odit fratrem suum, homicida est: ipsam animam occidit eamque suam. Qui irascitur fratri, reus erit judicio. Qui non dimittit, non dimittetur ei. Qui non supportat, non supportabitur. Eadem quippe mensura, qua mensi fueritis, remetietur vobis.

3. Memento, fili, te vivere, non inter Angelos sed inter homines, qui hic sine defectibus esse non possunt.

Noli igitur mirari, si fragiles mortales errent aut cadant: sed hoc mirare, quod, cum ipse multos habeas defectus ab aliis sustinendos, aliorum defectibus aliquando audeas indignari.

Si non supportas defectum alienum, nonne hoc ipso tu defectum committis et prodis?

Scito, me quandoque permittere, ut homines, rectum intendentes ac bonum prosequentes, sibi contrarii sint, ut sine culpa detur occasio mutuos supportandi defectus, exercendi solidas virtutes, accumulandi merita.

Intellige, quæ sint proximi tui, ex teipso. Sicut ipse tractari desideras, tracta alios: et quæ tibi fieri nolis, aliis ne facito.

Nonne multa habes tu, fili, a quibus te liberare velles, et a quibus tamen non posse te liberare propria novisti experientia? Quæ ergo in teipso vel invitus portas, porta et in aliis, quos, si humilitatem aliquam et charitatem habueris, et ipsos cogitabis invitos ferre defectus suos.

4. Sunt qui satis libenter portant defectus amicorum, atque sibi inclinationibus moribusve similium: aliorum autem infirmitatibus facile offenduntur. Sed in hoc quæ est virtus? Nonne et ethnici hoc faciunt? Imo vero et ipsa rationis expertia animalia nonne tantumdem facere solent?

Quomodo discipulus meus esse possis, si sensa pagani habeas, vel instinctum animalem sequaris?

Animare, fili, Cordis mei charitate supernaturali, qua omnes, tam inimicos quam amicos, sustinui et dilexi usque ad mortem.

Præteriens igitur omnem considerationem mere naturalem, supporta omnes, dilige omnes: nullum excipe.

Orato pro persequentibus et calumniantibus te: benedicito maledicentibus tibi: benefacito te odio habentibus: vince bono malum.

Oderis malum, quod committitur: hominem

autem, qui illud committit, cave, ne oderis. Quantumcumque detestaris peccatum hominis, hominem ipsum amare teneris.

5. Sancti, non naturam sed gratiam sequentes, usque eo Cordis mei sensa induerunt, ut, non solum omnes generaliter, verum et specialiter adversarios supportarent atque diligerent.

Et hi, fili, homines erant, et naturæ sensum habebant, sicut tu: sed naturam superabant, atque invito etiam sensu magnanimiter æmulabantur exemplum meum.

Age, fili, animosus esto, ut Cordis mei discipulum decet, et has imitare animas generosas et nobiles.

Cum ob proximi defectus indignationem sentis, tace, nec ore tuo sinas egredi quidquam inordinatum, quo et proximo noceas et tibi.

Corde pro illo precare; mentem vero a reflectendo ad illius defectus averte constanter.

Noli umquam fatigari condonando proximo, defectus ejus supportando, eum supernaturaliter diligendo, si Cor meum tuo corde sequi velis.

Si multa et magna in aliis sustinenda habeas, memento, fili, me plura et majora sustinuisse pro te: imo me plura et majora sustinuisse in te.

Fece decem millium debitum remisi tibi misericorditer: nonne ergo oportet et te misereri conservi tui, sicut et ego tui misertus sum?

Reminiscere, fili, quousque, et qua Cordis bonitate te supportarim et adhuc supportem: et disce quomodo, et usque quo tu proximum supportare debeas.

6. *V. D.* O Jesu! quam longanimis ac benignus erga me fuisti, et etiamnum es! Quomodo

hoc recordari sine lacrymis pietatis et gratitudinis possim!

Quantumcumque miser, Cor tuum mihi semper apertum invenio: et tamen, quod fateor confusus, cor meum a proximo quandoque claudo.

O Jesu, mitis et humilis Corde, qui scis, me ideo ad defectus proximi ferendos minus esse paratum, quia meipsum nimium æstimo et amo: infunde, quæso, in corde meo tui Cordis humilitatem et charitatem, ut omnem proximum amore tui diligam sicut meipsum.

Da gratiam, ut, quoties alienas infirmitates videro, me supra naturam levem, meque supernaturali moveam principio ad compassionem, non ad indignationem; ad precationem, non ad aversionem.

Elargire nobis, amantissime Jesu, Spiritum tuum, Spiritum charitatis, ut diligamus invicem, et vivamus sancta pace uniti, donec intremus in amoris æterni regnum tuum.

Imit. Chr. Lib. I. c. 16.

CAPUT VIGESIMUM.

Quod Sacrosanctum Cor Jesu, summa simplicitate agentis cum omnibus, nos sanctam erga proximum simplicitatem doceat.

1. *V. J.* Fili, quando inter homines versabar, hoc mirabantur, hoc stupebant, me tanta simplicitate cum omnibus et singulis mortalium agere.

Sed Cordis erat secretum. Enimvero simplex Cor meum, amans Deum, et eodem amore cætera; unum in omnibus, et omnia in uno tenens.

Hæc Cordis simplicitas, quam erga homines

exhibebam, imago Spiritus mei, charitas in se indivisa, circa multa occupata, ipsa semper una:

Deum et homines diligens in eodem Spiritu: miserias aspiciens humanas et prosperitates, avertens mala et bona promovens, varia perficiens opera, personarum sustinens indoles ac dispositiones diversas, multiplices differentesque circumstantias transiens uniformiter: atque hæc omnia in eodem Spiritu

Suavissima hac virtute mire afficiebantur homines. Numquam enim tantam simplicitatem cum tanta dignitate conjunctam, tam uniformem affabilitatem cum tam mirifica potentia consociatam viderant aut mente conceperant.

Nihil profecto duplicitatis in me, nihil ficti, non sermonis affectata sublimitas, non agendi modus arte compositus.

Apparebat autem omnibus ingenuus animæ meæ candor, agendi ratio veluti speculum sinceritatis Cordis mei.

Hinc, fili, ad me ultro veniebant homines, ac corda sua coram me effundebant. Parvuli ipsi accurrebant: et ecce illos ipsos, hominibus mirantibus, ad me venire sinebam, eisque benigne loquens et bene precans, eos virtutis amore replebam gaudentes.

2. Ab exemplo meo disce, fili, sanctam erga proximum tuum simplicitatem: quæ tibi nihil aliud est, quam ex una charitate divina deducere cogitationes, et verba, et opera tua; atque aliorum cogitationes, verbaque, et opera ad eamdem charitatem reducere.

In Corde igitur meo, charitatis centro, considerandus est et amandus omnis proximus.

Quicumque proximum suum extra Cor meum considerat, facile dividit cor suum in varias affectiones mere naturales, aut illud causis motibusve partim humanis componit.

Qui autem in Cordis mei charitate homines intuetur ac diligit, hic oculo simplici in omnibus unum videt, puro affectu in omnibus unum amat, cor nec compositum nec divisum habet.

3. Sic itaque simplex esto in intuendo aut cogitando quæ proximi sunt: et noli dividere cor tuum, temere dijudicando.

Quis te constituit proximi tui judicem? Unde tibi jus illum condemnandi? quomodo audes judicio reprobare quem ego Corde tueor, quem tu ut fratrem amare teneris, qui denique in conspectu meo longe melior teipso esse, aut in æternum fore potest?

Inexcusabilis es, fili, si temere judicas. Cum enim judicas alterum sic, nonne teipsum condemnas? Etenim illum culpæ reum esse judicando temere, hoc ipso facis te culpæ reum.

Ne tamen suggestionem cum suspicione, vel suspicionem cum judicio confuderis. Suggestio est inimica instigatio, quæ ab humana voluntate non pendet, ideoque, nisi ei voluntarie indulgeatur, inculpabilis est. Suspicari autem quid est, nisi ex dubiis levibusque indiciis aliquid ut probabile aut verisimile putare et habere? Judicare vero, id est aliquid ex ratione sufficienti tamquam certum decidere et credere.

Itaque cum sufficiens adest suspicandi aut judicandi ratio, utique suspicio ac judicium sunt nec temeraria neque culpabilia.

Quodsi desit ratio sufficiens ad suspicandum

vel judicandum, non tamen advertatur deesse, error est invincibilis et innocens.

Si vero tibi aliorum cura incumbat, non tantum licet, sed etiam oportet, ut, si signa mali dentur probabilia, suspiceris tibi subditos, prudenterque malum, si quod fuerit repertum, avertas.

Cæterum, fili, quodcumque signum, aut verbum, aut factum in proximo percipis, semper in meliorem trahe partem; si qua quidem ratione excusari mente potest, excusa; si autem nulla prorsus modo excusandum vides, corrige verbo charitatis, aut improbationis signo, si tamen prudentia permittat, fructusque certus speretur.

O fili mi, sancta charitatis simplicitas non cogitat malum, nec dolet se errare, cum innocenter etiam de malo bene sentit.

4. Simplex esto et in loquendo, fili. Ne lingua dividas cor tuum, quemadmodum mundus facit, qui contentus specie, arte simulandi ac dissimulandi stulte gloriatur.

Tu de thesauro boni cordis simpliciter profer bona proximo.

Procul ergo a sermone tuo omnis astutia, omnis duplicitas, omne artificium, quo proximus fallacia illudatur, aut latentis mendacii timore diffidat, aut tacitæ perversitatis evidentia scandalizetur, aut demum credulitate patiatur damnum.

Fili, sentiat cor tuum quod os tuum proferat. Num ergo inordinatos passionum motus, si quos intus sentias, foras promere oporteat? Cave, ne inferas: cave, ne credas; cum motus isti, non ore tantum, sed etiam corde supprimendi sint.

Omnibus unus esto; vera enim ac sancta sim-

plicitas affabilis est universis, semper suavis, uniformis ubique.

Propter res indifferentes vel ad te non pertinentes, ne charitatis lædas unitatem, quotcumque rationes tibi faveant. Memento, actum charitatis unum multitudinem rationum omnium infinite superare.

Quodsi accidat, ut verbo proximum offenderis, teipsum candida simplicitate humilians, satisfactionem illi excusationemve dare quam primum stude. Sola enim humilitas læsæ charitatis reparatio est.

5. Denique in agendo quoque simplex esto. Nihil affectationis, nihil etiam neglectionis in te appareat: tale sit totum exterius tuum, ut interioris candorem exhibere videatur.

Omnia tua erga proximum in charitate fiant, quæ, licet una sit ac simplex, multos tamen variosque habet actus. Una et indivisa, novit conjungere multa et divisa, inæqualia sustinere æqualiter, unita servare et promovere.

Fili, si Cordis mei vere didiceris simplicitatem, benevolam charitatem universis, et unicuique honorem congruum, sincere ac facile exhibebis, sic intus dispositus, ut aliis potiores deferre partes, singulorumque convenientiæ inservire alacriter uno divino amore velis.

Simpliciter procede, fili, recta progredere, nec ad dextram nec ad sinistram discurrens, ad philosophandum de possibilibus, vel ad futiliter examinandum, quid alii de te censeant, aut censere tandem possint.

Unum in omnibus quære me, quem indubitanter invenies in omnibus, et in quo uno habebis omnia.

6. Væ duplici corde, qui unum in corde, aliud in ore habet; qui in labiis suavitatem, amaritudinem in præcordiis servat; qui sinceritatem exterius profitetur, tegit interius dolum.

Cor ingrediens duas vias, non habebit successus: nec semitam ad Cor meum, nec callem ad cor proximi inveniet: ad propriam confusionem palabitur.

Detegetur enim aliquando duplicitas ejùs, et spes hypocritæ peribit.

Beati vero simplices; quoniam ipsorum est pax secura. Iterum dico: Beati; quia cum simplicibus sermocinatio mea et familiaritas.

Qui ambulat simpliciter, ambulat confidenter, et salvus erit.

7. Vide, fili, ne simplicitatem sequendo, te in imprudentiam impingas. Sancta enim simplicitas candida quidem, quia sancta; sed quia sancta, prudens quoque.

Esto itaque simplex sicut columba: at simul esto prudens sicut serpens.

Non omni homini cor tuum manifestes. Tua non nisi tantum revela proximo, quantum ordinata charitas requirit.

Quæ communis ædificationis generisque ordinarii non fuerint, nemini, fili, nisi mihi measque erga te vices gerentibus innotescere sinas.

Non sit cor tuum quasi vas confractum, quod immissa tenere non possit.

Si secreta servare non potes, non solum nomine discipuli Cordis mei, sed et indignus es confidentia proximi, indignior amicorum arcanis, indignissimus secretis meis.

Audisti verbum adversus proximum tuum? com-

moriatur in te: non te disrumpet, fili, nec ullo modo lædet.

Susurro contaminabit animam suam, et aliis odiosus erit. Dupliciter enim venenatum instrumentum mali est.

Veritatem dicere non semper fas est, et mentiri numquam licet. Opus est ergo prudentia, ne, sive proferendo verum, sive falsum loquendo, contra charitatem aliasque virtutes pecces.

In hujusmodi circumstantiis, fili, recurre ad Cor meum: et unctio charitatis ejus te docebit, quomodo procedere te oporteat.

Demum, fili, ora ut sanctæ simplicitatis obtineas spiritum, et cole virtutem, qua commercium tuum cum proximo reddes tibi et illi gratum ac fructuosum, mihique placens et honorificum.

8 *V. D.* Tu, Domine, forma, tu exemplar es perfectæ simplicitatis. Utinam tibi assimiler!

O Jesu, simplex amor! simplica cor meum, ut, quantum licet creaturæ, accedam ad simplicitatem tuam, unum in omnibus, et omnia in uno amando.

Simplicta mentem meam, ipsam liberando a variis falsisque principiis mundi, amorisque proprii, et præservando ab omni suspicione mala et temerario judicio, ut a te uno, ubi certa, in veritate; et, ubi dubia, in charitate dirigatur.

Simplica me totum interius et exterius, ut unus factus, semper et ubique sim uniformis, omnia deducens ex te uno, et omnia reducens ad te unum, qui es principium et finis omnium.

Imit. Chr. Lib. III. c. 31. *et* 33.

CAPUT VIGESIMUM PRIMUM.

Quod Sacrosanctum Cor Jesu, humilis charitatis suavitatem hominibus exhibentis, exemplar dederit nobis imitandum.

1. *V. J.* Audi, fili mi, et suscipe verba mea. Olim per Prophetam Deus de Filio suo venturo loquens: Ecce, inquit, ecce Puer meus, dilectus meus, in quo bene complacuit animæ meæ. Ponam Spiritum meum super eum. Non contendet, neque clamabit. Arundinem quassatam non confringet, et lignum fumigans non extinguet. In nomine ejus gentes sperabunt.

Talis veni, fili, talis fui in hoc mundo. Tanta cum omnibus agebam humilitate, tanta charitate, ut Agnus Dei nominarer et notus essem.

Vide, quomodo inter homines viverem: quomodo me gererem erga illos. Licet eorum essem Dominus, in medio tamen illorum eram sicut ministrans.

Undique accurrebant fidenter, quacumque necessitate affecti, scientes, familiarem mihi esse humilitatem, mansuetudinem naturalem, substantialem Cordis bonitatem.

Et profecto primum aut minimum cujuscumque miseri suspirium Cor meum commovebat, ejusque omnem excitabat teneritudinem.

Num umquam repuli quemquam? num pauperrimum vel omnium etiam ultimum umquam aspernatus sum? Num ulli umquam signum fastidii exhibui? Imo vero omnes ac singulos summa bonitatis demonstratione complectebar atque fovebam.

Meditare, fili, et considera, quanta teneritudine egerim cum parvulis: cum rudibus quam

patiente et æquanima humilitate; quam forti ac generoso animo cum difficilibus: quam ferventi studio cum mundanis: quam sensibili compassione cum afflictis: quam magna benignitate cum peccatoribus: quam sancto amore cum bonis: quam humili charitate cum omnibus.

Hæc humilis charitas, ipsa Cordis mei virtus, usque adeo rapuit omnium corda, ut, conquerentibus invidis, totus mundus post me abierit.

Imo, fili, hæc humilis charitas Cordis mei totum vicit orbem. Unde enim, putas, tam mirandam, tam subitam mundi conversionem, nisi de secreta unctione movente, et attrahente nota bonitate Cordis mei?

Ecce enim propter bonitatem Cordis mei innotescentem, ad me ex omni loco, et vitæ statu, et corporis et animæ conditione, properarunt, atque etiamnum properant, audientes, a me non sperni pauperem, afflictum non deseri, peccatorem non horreri, non rejici lacrymantem peccatricem, Chananæam supplicantem, orantem publicanum, apostatam Discipulum revertentem, confitentem latronem, ipsos tortores mei percutientes pectora.

2. Hanc vitæ formam, fili, hanc cum hominibus agendi rationem imitari, moribus tuis exprimere, tamquam genuinus Cordis mei discipulus, omni diligentia satage.

Sancti quidam, perfecte Cordis mei sensis imbuti, ita se gesserunt, ut alii cum ipsis agere non possent, quin ex ipsorum specie, tamquam ex imagine, ducerentur in piam memoriam mei.

Indifferenter agere cum proximo non potes: bonum ei produces vel malum.

Nemo valet cum hominibus versari sine detri-

mento proprio et alieno, nisi qui se coram hominibus humiliare sincero corde voluerit.

Oportet frequenter tuum sensum humiliter relinquere, si vis cum aliis agere sine discordia: imo et amanter sæpe naturæ ingrata amplecti, si cum illis sine acritudine vivere cupis.

Unde dissentiones inter mortales? Nonne ex superbia, qua alter alteri cedere non vult? Unde acrimoniæ? Nonne ex inordinato amore proprio, qui ipsa corda vitiat?

Fuga superbiam ex hominibus: et ecce omnes turbationes humanæ aufugient cum illa. Tum, proprium expelle amorem: et videbis suavitatem cœli in terra regnantem.

Si fueris vere humilis, proximum capies; et si pura charitate flagraveris, rapies illum, ad conandum currere in odore virtutum tam suaviter spirantium.

3. Humilis charitas plus valet quam omnis severitas. Hæc, etiamsi externe impediat malum, a bono interne alienat: illa vero et malum emendat, et bonum amare facit.

Nihil facilius in dirigendo, fili, quam rigor aut laxitas. Sed priore quid periculosius homini? aut posteriore quid injuriosius mihi?

In alterutrum excessum labi solent, qui interiorem non ducunt vitam, quique adeo naturæ potius quam meo spiritu duci se sinunt.

Fili, si cura aliorum onereris, ante omnia interiorem te esse hominem oporteat. Talis qui non fuerit, aliis præpositus, quantum miserandus ille! Multa enim procul dubio male faciet, rebusque meis sibi commissis nocebit, et horum omnium rationem reddere debebit.

Væ religiosæ communitati, cujus Superior est persona non interior! Ecce enim languebit illa spiritu, sensimque deficiet, cum quælibet communitas periculosissime doleat ex capite, et hinc individua fataliter doleant ex corde, inordinato nimirum erga creaturas affectu, periculosissimo individuorum morbo.

Locum meum erga alios tenens, illos Spiritu meo dirigere et tractare debes, ut commoda mea in illis ac per illos promoveas. Si alio spiritu agas, commoda tua, non mea, promovere; tuæ aliorumque naturæ, non Cordi meo, satisfacere potes.

Si interior fueris, Spiritu meo animatus, tua agendi ratio re quidem fortis erit, modo autem plena suavitate. Objecta tibi obtinenda, donec obtinueris, constanter prosequeris, sed ea charitatis suavitate, quæ, dum stimulat, numquam vulneret; quæ cum urget, non acerbet; quæ ad lucrandum mille utatur industriis; quæ denique vincat, ita autem vincat, ut victus se actu voluntario et cum merito dediderit.

Uteris meo regendi secreto, quo non idem ab omnibus exigas, sed eodem spiritu id a singulis obtineas, quod, consideratis eorum talentis et viribus, et circumstantiis omnibus, moraliter obtineri possit.

Scies uti subditorum ingeniis, eaque singula adhibere ad effectum proprium et fructum relative optimum.

Cavebis, ne subditos, ullo prætextu, alienos reddas aut dejectos. Verum, sicut ego Apostolos, ita tu subjectos tractare studebis, ut fiducia in te pleni, ad te in omni difficultate recurrant, te semper Spiritu meo animatum sibique devotum

reperiant; utque vivant alacres, ac mihi serviant animo volenti et corde dilatato.

Memento, fili, nihil esse difficilius quam fructuose punire. Itaque, si quando puniendum fuerit, vide, ne malum pejus efficias: vide ne hominem, velut sepulcrum, exterius crustes et dealbes, ut interius putredo includatur ac servetur.

Ira, vel ipse turbatus vel alterum turbatum ne verbo aut opere punias umquam. Peccatum actu exequentem ab executione cohibere modo sufficiet: punitionem autem inferendam postpone, donec illam tu sine passione metiri ac præparare, et ille pacatus cum fructu accipere et subire possit.

4. Neminem umquam sine necessitate contristes: quodsi quando debueris aliis ingrata proferre aut facere, hæc per charitatem bonis rationibus ita temperes et dulcedine modi condias, ut quidquid amarum est quam minime sentiatur.

Si quid rogeris, quod præstare non potes, exhibe roganti, quantum cupias posse, quantumque non posse doleas: sicque contentus abibit ac magis etiam ædificatus, quam si rogata obtinuisset.

Ne prætextu charitatis vanis blanditiis pascas homines, aut politica quadam astutia ludas. Hæc agendi ratio cœlo invisa est et mundo: nisi enim veritati innitatur, non charitas sed dolus est.

Nihil etiam humilitatis causa facias, unde rationabile proximo oriatur offendiculum. Id quippe non veræ humilitatis actus, sed defectus est charitatis.

5. Verum, fili, ita humilis charitatis Cordis mei formam in te exhibe, ut in omni loco sis bonus odor exempli mei.

Ita luceat lux tua coram hominibus, ut videant

opera tua bona, et glorificent Patrem tuum, qui in cœlis est.

V. D. Sed nonne, Domine, commendasti discipulis tuis, ut ostium sibi clauderent, ac sua in abscondito tenerent?

V. J. Non capis utrumque, fili? Scito ergo et animadverte. Quæ necessitatis aut communis ædificationis non sunt, in secreto agenda, cum hæc fieri possint et offendiculo proximo, et tibi periculo: quæ vero communia sunt aut necessaria, ita hæc facienda in publico, ut intentio maneat in occulto, ut et per opera proximo præbeas bonum exemplum, et per intentionem, qua mihi soli placere cupias, semper optes secretum.

6. Si humilitatem charitatemque erga omnes, qualescumque fuerint, ex amore divino exerces, utique virtutum Cordis mei bonus odor eris universis, qui exemplum tuum perceperint.

Et licet exemplo tuo non proficerent alii, tu non minus Cordi meo charus eris.

Beatus, fili, qui per humilis charitatis exemplum hominibus præluxerit, ut Cordis mei bonitatem amandam et imitandam ostendat! Qui ita elucidant me, vitam æternam habebunt.

7. *V. D.* O Domine, mitis et humilis Jesu! ad ea, quæ ex mellifluo Corde tuo prompta doces, exequenda, magna indigeo gratia. Obsecro, adjuva me auxilio tuo efficacissimo.

Habere debeo et desidero majorem humilitatem, majorem etiam charitatem. Sæpe enim, quod fateor confusus, defectu humilitatis ac charitatis proximum offendo, et displiceo tibi.

Humillime et dulcissime Jesu! cordium magnes, qui divina Cordis tui bonitate omnes qualescumque

attrahis, et inexhausta humilis charitatis suavitate tractas; fac, ut te imiter; fac, ut perfectus Cordis tui discipulus sim.

Libera me ab omni asperitate et amaritudine superbiæ amorisque proprii; et fac cor meum sicut Cor tuum, erga omnes, sine exceptione personarum, humili charitate semper ac uniformiter suave.

Imit. Chr. Lib. III. c. 40. et 42.

CAPUT VIGESIMUM SECUNDUM.

Quod Sacrosanctum Cor Jesu, viventis in mundo, doceat nos modum ita in mundo versandi, ut nec de mundo simus neque a mundo lædamur.

1. *V. J.* Fili, quamdiu fui in mundo, de mundo non eram: inter bonos et malos versabar: nec princeps mundi nec spiritus ejus in me habebat quidquam.

Licet impeccabilis essem, ea tamen adhibui, quibus discipuli mei discerent, quo modo se a mundi inquinamentis præservare possent.

Interius quidem, Cor meum ita a mundo erat alienum, ut nulla re mundana afficeretur; ita amore flagrabat divino, ut supra omnia creata, quasi flamma, semper assurgeret.

Recollectum intus erat, dum foris occupabatur: unitum Deo intus manebat, dum foris agebat cum hominibus.

Exterius autem, in me ordinata omnia: sensus compositi: agendi ratio discretione plena.

Prudens adeo ac sancta conversatio, ut ipsi inimici abirent, dicentes: Numquam sic locutus est homo.

Nihil umquam improvide effusi, nihil soluti: nulla incauta familiaritas, nulla levitas, sed placida quædam serietas, mira suavitate temperata.

Omnia in me, fili, plena dignitate, quæ reverentiam simul et amorem inspiraret, omnem cohiberet proterviam, modestiam dictaret, commendaret virtutem.

Frequenter ab hominibus recedens, ad orationem recurrebam, licet interius orare numquam desinerem.

2. Utinam, fili, hæc capias! utinam imiteris, ut in hoc perverso mundo sine peccato ac detrimento versari possis!

Ad te animandum, intuere exempla Sanctorum, qui vestigia mea sequentes, corpore quidem in mundo, corde vero supra mundum vivebant.

Non eis nocebat mundus, quia nihil mundani amabant: proderat contra; quoniam, quo melius amoris mundani exitium videbant, eo pluris æstimabant amicitiam divinam, eamque magis fovebant.

Quæcumque in mundo percipiebant, veluti peripsemata arbitrabantur et nauseabant, ut gratiæ amorisque mei fruerentur bonis.

3. Fili, si vis sine damno versari in mundo, in primis cor tuum sit intus bene dispositum. Penitus omnimodæ vanitatis mundi convictum sit, eamque abhorreat: sit conscium inæstimabilis pretii amicitiæ meæ, eique inhæreat.

Assuescas corde, quoties tibi aliquid a mundo offertur, te statim ad me intus convertere, dicentem: A te, quid volo super terram, Deus cordis mei, et pars mea in æternum!

Si cor tuum ita fuerit recte ordinatum, parum moveberis, quidquid in mundo perceperis. Quin

imo mundus ipse vel invitus tibi cooperabitur in bonum; quia frequenter te pellet ad me, centrum beatitudinis tuæ, facietque te cognoscere usque melius et ineffabile mundi infortunium, et dulcissimam servitii mei felicitatem.

Ita præmunitum serva cor tuum, ut nec scelerum alienorum magnitudine turbetur, nec perversitate malorum scandalizetur, nec demum ob quæcumque mundi aut inferni molimina hæsitet manere mecum.

Scito, fili, malos, inter quos vivas, tibi nocere modo nullo posse, si cor tuum ab illis efficaciter dissentit. Non est in potestate quorumcumque perversorum te lædere, si ipse nolis. Nemo enim læditur nisi a seipso.

4. Attamen, cum caro infirma, et cor ad malum inclinatum sit, fieri poterit, ut sensus, nisi satis diligenter custodiantur, salutis hostem ad cor usque cum magno tuo periculo ducant.

Necessarium igitur, in commercio cum mundo, sensuum omnes custodire portas, si non vis gravi exponi periculo experiendi te sensim affici, maculari, perverti.

Ea mundi, quæ sensibus objiciuntur, ita oportet videre, quasi non videres; ita audire, quasi non audires; ita denique sensibus quibuscumque percipere, quasi non perciperes.

At præcipua semper debet esse custodia cordis. Nam etsi inimicus se clam ingesserit in portas, si tu ipse non aperis cor tuum, nec intrare poterit, nec te perdere valebit.

Itaque cura maxima serva inconcussum propositum mihi toto corde semper inhærendi, aditusque ad cor omnes prudenter tuendi. Posthæc

age tua fidenter, obfirmato animo paratus, in periculis ad me recurrere et te gerere fideliter.

5. Fili, pericula cavebis plurima, si semper congruam præ te tuleris dignitatem quamdam, non arte compositam sed e virtute natam, quæ omnem Cordis mei discipulum decet.

Ubicumque igitur fueris, ita te exhibe, ut nihil vile, nihil leve, nihil etiam ficti, aut coacti in te appareat: eluceat contra facile quoddam ac suave decorum, quod ad alios continendos et observantia implendos aptissimum est.

Ne te effectu vel etiam affectu ulli mancipes creaturæ: semper et ubique serva te liberum.

Nec te nec tua cuilibet committe: proba spiritum, et non nisi approbato te crede. Memento, plures fuisse specie deceptos, imprudentique familiaritate periisse.

6. Multum proderit, fili, transigenda cum mundo prævidere: sedulo considerare, quæ res, quoque modo faciendæ sint; quibuscum personis, et quibus in circumstantiis agendum; quæ media tandem eligenda, cum ad rerum successum habendum, tum ad peccatum vitandum.

Attamen gratiæ divinæ magis, quam tuæ prudentiæ, fidere te oportet: ideoque ad me frequenter te vertere, me consulere, me orare debes.

Imo, fili, quibuscumque rebus occupatus sis; inter quoscumque homines fueris; ita te gerere debes, ita cor tuum creaturis expeditum tenere, ut vel ad speciem peccati facili pioque motu ad me volare, teque ab omni periculo in Corde meo abscondere possis.

7. *V. D.* O omnium amabilissime et dulcissime Jesu! tu scis, me non esse in mundo, nisi

quia tu me in mundo esse velis. Obsecro suppliciter, ut me, cœnoso mundo expositum, præserves, ne in luto ejus infigar, ne etiam immunditiis ejus maculer.

O Deus meus, quanto attentius mundum considero, tanto magis mihi vilescit: quanto vero te meditor impensius, tanto vehementius mihi dulcescis: quo plura bona in te invenio, eo plura et majora invenienda percipio.

O Jesu, summum bonum meum! tene me tecum, et præsta, ut me non abducat diabolus aut tentatio ejus, non me decipiat mundus vel dolosa ejus vanitas, non me vincat corrupta natura, non me prodant sensus mei incauti.

Robora me efficaci gratia tua, ut innocentem in hoc mundo ducam vitam, donec tollas me a mundi periculis in securitatem cœli.

Imit. Chr. Lib. I. c.4. et 8. *et Lib. III. c.* 38.

CAPUT VIGESIMUM TERTIUM.

Quod Sacrosanctum Cor Jesu, fidem a discipulis suis exigentis, nos vitam fidei vivere doceat.

1. *V. J.* Cum Filius hominis venerit, putas, inveniet fidem, non qualemcumque, sed vivam, activam, fervidam?

Hanc tamen fidem semper a discipulis exegi, atque exigo semper; quia ego semper idem Deus, semper æque dignus, cui fide vivatur.

V. D. Utique, Domine, tu es Deus, semper idem, semper summe dignus, cui omnia vivant, perfecte submissa, integre devota.

V. J. Jure credis hoc, fili; quoniam universa me Deum testantur. Ab initio talem me Patriarchæ et Prophetæ prædicarunt: talem me præsignarunt natura et lex, cujus finis ego Christus.

Talem me agnoverunt omnia mundi elementa: cœli agnoverunt, cum in ortu meo exhibuerunt stellam: mare agnovit, cum se pedibus meis calcabile præbuit: terra agnovit, cum, patiente me, contremuit: sol agnovit, cum lucis suæ radios abscondit, auctoremque suum expirantem doluit.

Talem me agnoverunt inferi ipsi, cum se sine permissione mea ne infima animalia quidem aggredi posse monstrarunt; cumque eos tandem, quos detinebant, mortuos reddiderunt.

Angeli de me testimonium perhibuerunt, cum in Incarnatione mea annuntiarunt me Filium Dei; cum in Nativitate mea me Salvatorem mundo proclamarunt; cum mihi ministrarunt per vitam meam; cum in Resurrectione mea testes se exhibuerunt.

Est alius, qui testimonium perhibuit de me, Pater ipse, cum me Filium suum dilectum iteratis vicibus declaravit.

Sed et Spiritus Sanctus de me testimonium perhibuit, et perhibere non cessat, cum per gratiæ illuminationem motionemque, et donorum suorum effusionem, corda hominum ad me attrahat.

Quin et opera mea, quæ feci, testimonium perhibent de me. Ecce enim ex potestate mea, cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, ægroti sanantur, mortui ipsi resurgunt.

2. Hæc autem omnia, fili, et quæcumque ad salutem obtinendam sunt credenda, unde tibi infallibiliter, sine erroris periculo, declarantur nisi ab Ecclesia, per cujus os clarius loquor nunc,

quam olim locutus sum per os sanctorum, qui a seculo fuerunt, Prophetarum.

Imo vero hoc est os meum, quod aperiens, doceo turbas: hoc est organum, quo exterius loquor hominibus: hæc est proxima credendorum regula, inerrabilis atque irreformabilis: hæc demum sola Ecclesia, in qua est fides, qua justus vivit.

Sine fide impossibile est placere mihi. Unde manifestum est, omnem justum meum vivere ex fide, quæ per charitatem operatur.

3. Fili, vita fidei quosdam veluti gradus habet, quorum primus est, cum homo, superna adjutus gratia, ob auctoritatem divinam, mihi, per Ecclesiam loquenti, credit, atque in statu gratiæ vivit.

Fili, miraculum testimonium Dei: miraculum manifesta loquela Dei, et veritatis divinæ infallibile signaculum est.

Ipsa autem Ecclesia miraculum est, miraculum evidens, sive spectes ortum ejus ac propagationem, cum miraculis fundata, absque auxilio humano, invitis inferis, invitis cunctis mundi potestatibus, invitis omnigenis hominum perversitatibus, per omnia media conspirantibus, sicut fulgur exierit ab Oriente, et paruerit usque in Occidentem: sive consideres ejus conservationem atque incrementum perpetuum, cum, tot filiis ejus degeneribus per omnem retro ætatem dolo, vi, rabie, eam semper aggredientibus, et tam multis omni ævo furentibus persecutoribus eam viis apertis et occultis oppugnare numquam cessantibus, ipsa tamen inter ruinas seculorum, omnibus mundi regnis corruentibus, steterit semper firmior, et amplior, et gloriosior, toties coronata, quoties impugnata.

Itaque ego, Deus loquens per miraculum, lo-

quor per hanc Ecclesiam meam, miraculum permanens.

Beatus, qui audit Ecclesiam hanc, Unam, Sanctam, Catholicam, Apostolicam: quam qui audit, me audit, certus se in via salutiferæ veritatis esse: quam qui nolit audire, sicut ethnicus et publicanus est, nec me audit, nec nisi in via mortiferæ erroris esse potest.

Fili, si vis tutus ac securus esse, mente et corde adhære Ecclesiæ, quam ego ædificavi supra petram immobilem, quam sanguine meo compegi, in qua maneo, quam Spiritu rego, Corde foveo.

Ita paratam tene mentem, ut quidquid docuerit aut præceperit ipsa, tu humiliter et alacriter te submittas; atque ita cor serva dispositum, ut ipsam affectuose diligas veluti Matrem optimam, Salvandorum almam parentem.

Fides tamen, ut sit salutaris, gratia sanctificante animari debet. Sine hac enim gratia, neque unit mihi, neque vivum Ecclesiæ, corporis mei mystici, membrum efficit. Quapropter verissime dictum est, fidem sine operibus mortuam esse, quamquam, amissa per peccatum non contra fidem commissum gratia, fides simul non amittitur, ac fides, quæ remanet, vera est fides, licet animata non sit.

Omni cura, fili, hoc donum Dei tui, fidem divinam custodi: et vitam hujus fidei ex operibus, in statu gratiæ factis, ostende.

4. Est secundus vitæ fidei gradus, cum omnes actus voluntarii, tam interiores quam exteriores, principiis vivæ fidei animantur.

Qui fidem habet vividam, se dirigit æternis fidei placitis, ex quibus intelligit, se creatum esse ad finem supernaturalem, beatitudinem apud me

sempiternam: inferiores autem creaturas in terris omnes esse factas, ut hominem ad finem hunc obtinendum adjuvent.

Ideo autem in multis languet fides, quia fidei veritates meditari negligunt, iis, quæ mundi sunt et carnis, nimis occupati.

Si enim veritates æternæ bene considerarentur et corde caperentur, procul dubio quæ Dei sunt et salutis diligerentur, fides vigeret, flores et fructus produceret optimos.

Fili, omnis discipulus Cordis mei hanc fidem vividam tenet ac fovet: ex ea vivit, spe erectus et charitate fervens, itque et ascendit de virtute in virtutem.

5. Multos autem eorum, quos ad eximiam voco sanctitatem, sensim ad fidem puram præparare soleo. Estque hæc fides pura tertius vitæ fidei gradus, in quo quis ex fide perfecta vitam ducit penitus supernaturalem, atque etiam in medio tenebrarum ac tentationum, sequens modo quasi cæco facem fidei sub obedientia, mihi fideliter servit, etiamsi neque videat neque conscius sit, utrum nec ne mihi serviat.

Fili, si ad hanc vitam a Spiritu meo ducaris, ingredere animo magno, et intrepido corde sequere sub obedientia ductum divinum.

Quando autem gradieris in viis istis interioribus, ubi nihil videbis, sed ubi percipies undique inimicos, a quibus te jam teneri quandoque opinaberis; ubi percipies infra te abyssum apertam, in quam te lapsurum esse singulis fere passibus putabis; ubi demum supra te cœlum tibi iratum esse, idque te percipere cogitabis: gradiens semper, nesciens qua vel quo, sed existimans semper ad ruinam te propinquare: tum, fili mi, anima fidem

tuam, ac fide pura sectare, etiam cæce, directionem illorum, qui erga te vices meas gerunt.

Non turbetur cor tuum, fili: sed erige animum, et memento, te ambulare in via, in qua maximi ambularunt ante te Sancti, qui nisi per illam transiissent, numquam se sanctificassent.

Cum tandem omnis latens superbia, et amor proprius satis eradicatus fuerit; cum intenta purificatio erit perfecta secundum consilium meum; oculi tuæ animæ aperientur, et attonitus reperies, te esse in vita nova, quæ erit pignus quoddam vitæ sempiternæ.

Post hæc, fili, puritate fidei vives quasi in perpetuo sereno: videbis non ante visa: lætaberis non ita ante lætatus: secreta Cordis mei capies ac gustabis sapore novo: denique ad perfectionem volabis potius quam ibis.

6. *V. D.* Ens entium, Deus fallere fallique nescie! credo quidquid credendum proponis per Sanctam Ecclesiam tuam Catholicam, quam instituisti custodem, testemque, et interpretem doctrinæ tuæ salutiferæ; quam inconcussum posuisti fundamentum veritatis; quam præsidio tuo ita protegis, ut portæ inferi numquam possint prævalere adversus eam.

Ecclesia, Una, Sancta, Catholica, Apostolica! Virgo sponsa Jesu, Filii Dei, qui tecum est omnibus diebus usque ad consummationem seculi, habens in fronte tua nomen ejus, et super brachia tua divinum ejus signaculum, manifestum perpetuumque miraculum! qui non agnoscit te, rationis est expers; qui non amat te, corde caret; qui non audit te, sicut ethnicus habendus est.

Ecclesia, Una, Sancta, Catholica, Apostolica!

Mater amantissima, Mater amabilissima, quam qui non habet Matrem, nec Deum habet Patrem! Chara quidem patria: chara familia: chara vita: at incomparabiliter charior tu, Mater mea, Ecclesia divina! O Mater charissima, oblivioni detur dextera mea, si umquam oblitus fuero tui! deficiat cor meum, si te non amavero, si non posuero te in principio lætitiæ et gloriæ meæ!

Ecclesia, Una, Sancta, Catholica, Apostolica! salutifera mundi regina, cujus regnum perpetuum diffusum est per orbem; cujus subditi, dives et pauper, doctus et rudis, Europæus et Americanus, Asianus et Africanus, unius Matris sunt filii, unius moris fratres, omnes principes, omnes ad æternaliter regnandum destinati; cui præfulgent Apostoli, splendida mundi lumina; cujus triumphos proclamant millia Martyrum; cujus magnalia exhibent Confessorum agmina; cujus pulchritudinem semper novam ostendit Angelica turba Virginum; cujus nomen decusque illustrant omnes virtutis heroes: ecce ego cum millibus filiorum tuorum, a quatuor mundi partibus, ex omnibus gentibus, et populis, et linguis, surgimus et benedicimus tibi, corde uno et una voce dicentes: Pulchritudine tua intende: prospere procede et regna! dilatetur beatificum regnum tuum usque ad extremum terræ, ut sub illo omnes et singuli mortales simul Deo Salvatori nostro corde læto serviamus, donec accedamus ad civitatem cœlestem, et multorum millium Angelorum frequentiam, et ecclesiam primitivorum, qui sunt in cœlis.

Imit. Chr. Lib. I. c. 3. *No.* 3. 4. 5. 6. *et Lib. III. c.* 58.

CAPUT VIGESIMUM QUARTUM.

Quod Sacrosanctum Cor Jesu, promittentis salutem perseverantibus, et media salutis fiducialiter orantibus, doceat nos vivere vitam spei.

1. *V. J.* Venite ad me omnes: habete fiduciam: qui venit ad me, non ejiciam foras.

Spera itaque in me, fili mi, et noli timere; quia ego Creator tuus redemi te, et vocavi te: meus es tu; et ego Deus Salvator tuus.

Fili, spes est anchora vitæ: sicut enim anchora in mari navem fundat, ita spes animam in me firmat

Omnia præsentia futurorum spe aguntur. Mortalium corda, spe ablata, torperent inertia; omnia languere, omnia perire sinerent.

Hominum alimentum spes, corda stimulans, ad generosos excitans conatus.

Spes autem mundana, incerta et futilis, decipit et vanescit: divina vero, certa et immobilis, infallibili verbo meo nixa, sperantem sustentat, remuneratque perseverantem.

Prior temeritatem aut dejectionem, magnanimitatem posterior humilem constantemque producere solet.

Hæc sancta spes tibi, fili, necessaria est, ut corde magno contendas ad coronam, eamque invitis etiam difficultatibus reportes.

Spe vive: fiduciam in me toto corde tuo fove. In me enim omnis spes vitæ, et virtutis, et sanctitatis.

2. Vitæ spei gradus primus est, cum homo certa cum fiducia expectat æternam beatitudinem, ac media ad eam per auxilium divinum obtinendam

Fili, cum misericordia mea sit infinita, nemo in hac vita desperare debet. Peccatum horribile, desperatio: facinus summe injuriosum Cordi meo: sed et homini quid eo nocivius? desperatio enim stantem labi facit, lapsum surgere non sinit.

Sed neque vane præsumere cuiquam licet. Absit igitur, ut quis in seipso confidat, et non in me, qui præsumentes de seipsis humilio, confidentes autem in me tutor.

Confortare, fili, viriliter age: noli amittere fiduciam, quæ magnam habet remunerationem. In me enim sperantibus et bene usque in finem operantibus, est vita æterna et tamquam filiis per me misericorditer promissa, et tamquam merces ex mea promissione bonis ipsorum operibus ac meritis fideliter reddenda.

3. Secundus est vitæ spei gradus, cum quis inter accidentia et adversa ita sapientissimæ et amantissimæ Providentiæ meæ fidet, ut, cum fecerit quod bona et sincera voluntate potuerit, se mihi prorsus remittat.

Fili, quando res non ex voto fluunt, ne te desoleris abjectus: sed animum erige, et ad Cor meum recurre. Hoc semper reperies cor Patris; in hoc semper invenies compassionem, auxilium, bonitatem inexhaustam.

Neque miseriæ tuæ tuam in me fiduciam minuant. Quanto miseriorem te experiris, tanto major tibi est ratio diffidendi tibi, et mihi confidendi.

Diffidentia nimirum in te, ut bona sit, confidentiam in me tibi producere debet. Quamobrem quæcumque diffidentia dejectionem parit aut pusillanimitatem, tamquam periculosa tentatio rejicienda est.

Conjice te in sinum Providentiæ meæ, ut puer in sinum parentis. Non peribit qui est inter brachia patris, qualis ego.

Profecto miraculum foret tale, quale nec patratum umquam, nec umquam patrandum est, si Cor meum deesset ope mea confisis, aut si eis non succurreret.

4. Denique tertius vitæ spei gradus est, quando anima, inter magna etiam obstacula aut arduas cujuscumque generis difficultates, spe perfecta penitus in me confidit, etiam dum non percipit, nisi ex fidei principiis, ullam emergendi rationem.

Si non videas, quomodo possis ex irruentibus difficultatibus eripi, leva te, fili, supra omnia humana, puraque spe committe te totum mihi, cui est et posse, si velim, et velle, si tibi sit bonum, penitusque in me confidas.

Tanto magis firmiusque sperare in me debes, quanto magis res desperatæ videntur. Proprium enim est Cordis mei, iis præstare copiosiora auxilia divina, qui, ope humana magis destituti, ad illud fiducialiter recurrunt.

Memento, fili, ea me solere vehementius defendere, quæ a dæmone violentius oppugnantur; eaque validius communire, quæ hostis demoliri magis conatur.

Macte ergo, fili: quid times? Deum tecum habes. Animosus esto, fiducialiter age, intrepide procede.

Quodsi, quocumque te vertas, profundiorem semper abyssum percipere tibi videaris, tene te inter brachia mea; mane super Cor meum, ad omnia resignatus. Tum denique, cum omni propria confidentia et expectatione sufficienter libera-

tus fueris, cum te perditum humano reputaveris modo, mirabiliter invenies et teipsum et me: teipsum salvum, et me præsentem.

Exinde ecce nova tibi, fili: spes tua heroica simul et dulcis erit: fiducia tua in me consolatione plena, pace perennis.

5. Fili, ego scio, quid tibi expediat: ego possum quod tu non potes: sine me operari: tu tantum cooperare, orans et sperans.

Multi cum mox non obtinent quæ speraverunt aut petierunt, dejiciuntur fiuntque pusillanimes.

Fili, quicumque fiducialiter petit quod saluti suæ et meo honori non est contrarium, semper accipit. Etenim accipit vel quod ipse petit, vel, hujus loco, quod ego ipsi melius esse novi: ac tum accipit, cum accipere bonum est. Aliquando enim non negantur petita, sed ut congruo dentur tempore, differuntur.

Quoniam vero tu sæpe sentis modo humano, judicans tibi fore bonum, quod tamen, si adesset tibi, bonum tibi non foret: ac quoniam ordinarie nescis in particulari, quid aut quomodo sit tibi melius: ideo debes te mihi remittere, et in petendo et sperando pacifice perseverare.

Sunt qui primo se mihi totos remittunt, sed postea in quibusdam difficultatibus sibi providere volunt. Hi autem difficultatibus istis magis involvi solent, me permittente, ut sibi diffidere et confidere mihi in rebus omnibus discant.

6. Quis, fili, umquam in me confidit inaniter? quis umquam spe in Corde meo posita frustratus fuit?

Ecce spe Mater mea primum obtinuit miraculum meum publicum, quo aquam in vinum mutavi.

Licet enim vix locum sperandi beneficium desideratum dari sibi videret, fidit tamen, cognoscens Cor meum: et optatum impetravit bonum.

Spe Hæmorroissa malo suo diuturno liberata est. Tanta quippe fiducia in me animata accessit, ut diceret: „Si tetigero tantum vestimentum ejus, salva ero.“ Sicque re salva facta est.

Spe Chananæa in afflictione sua consolationem consecuta est et levamen. Quamquam fiducia ejus fidesque probarentur, illa fide crescens, magis confidit, enixius oravit, ut ipsam miserans adjuvarem. Non frustra fidit, non frustra oravit. Obtinuit enim quod voluit.

Spe Bartimæus, cæcus, visum recepit. Fiducialiter enim orabat, clamans ad me transeuntem: increpatus autem a multis, ut taceret, multo magis clamabat: „Jesu, fili David, miserere mei.“ Quare ipsius misertus, oculos ejus aperui, ut videret.

Spe leprosus mundatus est. „Domine, ait fide plenus, si vis, potes me mundare.“ Cor meum ita appellatum, commiseratione motum est, et: „Volo, inquam, mundare.“ Ac confestim mundatus est.

Spe Lazarus, pauper et egenus, ulceribus plenus, a Divite rejectus, in patiendo sancte perseveravit. Aspiciebat enim in remunerationem: nec frustra. Cum enim mortuus esset, in sinum Abrahæ portatus est ab Angelis.

Quid plura? Nullus in me speravit, et confusus est. Ideoque, fili, depone timorem: depone diffidentiam, committe te Cordi meo vivens ac moriens.

7. *V. D.* O Jesu! quam bonus tu! quam suavis! Imo, Jesu, tu bonitas ipsa: tu suavitas ipsa.

O Jesu, Deus Salvator meus, ecce fiducialiter agam, et non timebo, memor Cordis tui; quoniam infinite bonum, quoniam in secula misericordia ejus.

Memento, Jesu mitis et humilis Corde, neminem umquam, de quacumque necessitate recurrentem ad amantissimum Cor tuum, ab eo fuisse repulsum aut dimissum inanem. Ego tali animatus confidentia ad te, Jesu, venio: ad te refugio miseriis onustus, meque cum miseriis meis super Cor tuum conjicio. Noli, o Deus, Pater meus, me filium tuum, licet indignum, rejicere: sed admitte me, quæso, intra Cor tuum, nec permittas me umquam ab eo separari. Adsis mihi, obsecro, in omnibus necessitatibus meis, nunc et semper, ac præsertim in hora mortis meæ, o optime! o piissime! o dulcissime Jesu!

Imit. Chr. Lib. III. c. 59.

CAPUT VIGESIMUM QUINTUM.

Quod Sacrosanctum Cor Jesu, dilectionem omnibus præcipientis, nos vitam divini amoris vivere doceat.

1. *V. J.* Fili, diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex omnibus viribus tuis. Hoc est maximum mandatum.

Ego autem, fili, Deus tuus et Dominus tuus. Per me tu creatus: a me tu redemptus

Hoc ergo præceptum meum, ut diligas me. Nonne præceptum facile? nonne dulce? nonne salutare? nonne omni bono plenum?

Quid facilius quam amare? Amor vita cordis

est; sine amore cor vivere non potest. Ita constitutum est cor tuum, fili; atque ego ipse illud ita constitui, ita formavi. Ad amandum enim feci cor tuum: sed ad amandum me.

Nosti, fili, quis et qualis Corde sim ego. Num in terris aut etiam in cœlis reperias amoris objectum Corde meo dulcius? Nonne Cor meum dulcedo ipsa?

Interroga expertos: interroga Sanctos, qui divina dulcedine amoris mei inebriati, omnia mundana obliti sunt, et cætera etiam naturaliter amara repererunt dulcia et consolatione plena.

Interroga Angelos, qui amore mei gaudent, et exultant, et jubilant in perpetuum.

Num denique in alio quocumque objecto tanta invenias tibi bona pro tempore et pro æternitate? Quid est vere boni, quod in Corde meo non habeas? Dilata cor tuum, quantum volueris; ecce omnia desideria tua explebuntur.

Si qua pax desideratur, si qua consolatio, si qua virtus, si qua perfectio, si qua securitas in vita et in morte, aut si quod aliud bonum, in Corde meo reperitur, amando me obtinetur.

Stimula cor tuum, fili, ama toto corde, dilige omnibus viribus: sed ama, sed dilige me, omne bonum tuum.

Dispareat hinc timor, qui pœnam habet: vanescat pusillanimitas, quæ cor constringit: ama, fili, et esto liber: dilige, et esto beatus.

Vive deinceps vitam amoris, prout decet Cordis mei discipulum.

2. Vitæ divini amoris gradus est primus, ita me amore præferenti diligere, ut omnia mandata sub gravi obligantia serves, neque pro re qua-

cumque ullum eorumdem deliberate transgredi velis.

Qui ita non diligit me, manet in morte. Vita et mors, divinus amor et peccatum lethale, in eodem corde non habitant simul.

Probatio amoris est operis exhibitio. Et ideo qui servat mandata mea, ille est, qui diligit me.

Ex hoc igitur cognosces, utrum me diligas, si mandata mea custodis.

Hic autem gradus, hæc charitas ad salutem omnibus necessaria est, adeo quidem ut, etiamsi quis noverit mysteria omnia et omnem scientiam; si distribuerit in cibos pauperum omnes facultates suas; si tradiderit corpus suum, ita ut ardeat; si loquatur linguis Angelorum, aut quascumque possideat virtutes: charitatem autem hanc non habuerit, nihil ipsi prosit ad vitam æternam.

Hic æterna salus agitur. Qui amat patrem, aut matrem; aut uxorem, aut filios; aut fratres, aut sorores; aut possessiones, aut vitam suam plus quam me, non est me dignus, nec aptus ad regnum cœlorum.

Si vis ad vitam ingredi æternam, serva mandata, evita peccatum mortale; quibuscumque nisibus, quibuscumque sacrificiis id tibi constiterit.

Z. Secundus est vitæ divini amoris gradus, ita me affectuoso generosoque amore diligere, ut mihi semper placere efficaciter quæras, nec pro ulla quacumque consideratione me vel veniali peccato offendere velis.

Profecto, fili, si habes cor, discipulo meo dignum, affectus tuos mihi usque devovebis; mihi præ omnibus gratificaberis; quidquid mihi displicere sciveris, omni cura vitabis.

Dic mihi, qualis amor iste sit, si propter inanem gloriam, propter sensualitatem, aut propter aliam quamcumque naturæ corruptæ gratificationem, me, non quidem crucifigere, sed illudere, sed sauciare, sed amaritudine replere non dubites?

Si ego te non melius amarem, non magis curarem, quid, fili, quid de te fieret? Si, quia ista et ista non te funditus perdunt, negligerem, non attenderem, quid experireris?

Et tu pacem optas? et familiaritatem meam? et consolationes meas? et securitatem? Ecce horum omnium bonorum fontem obstruis peccato etiam levi.

Unde turbationes tuæ, molestiæ, angores, pericula, nisi quia generoso corde non sacrificas quæ amor divinus immolare vult?

Tu me Deum tuum nominas: tu me vocas Patrem tuum: quinimo tu me Dilectum tuum appellas: ast si ego Deus tuus, ubi est honor meus? si ego Pater tuus, ubi est amor mei? si ego Dilectus tuus, ubi est affectio? ubi teneritudo?

Sed si olim sic deliqueris: si olim usque adeo sine affectione erga me fueris: at jam æmulare charismata meliora, et adhuc excellentiorem gradum tibi demonstro.

4. Hic tertius est gradus vitæ amoris, puri amoris, quo me ita perfecte diligas, ut idem velle, et idem nolle mecum habeas, sicque divinæ voluntati meæ conformis, et uniformis sis in rebus omnibus.

Hæc, fili, amoris perfectio: hæc vera cordium unio: hæc vita Sanctorum.

Amor hic purus faciet, ut ab iisdem rebus abhorreas, a quibus ego abhorreo; ut iisdem delecteris, quibus ego delector.

Purus enim amor, unio vera, in consensione cordium efficaci consistit. Quicumque fuerint sensus tui, si non idem mecum velis ac nolis, si non idem mecum sapias, si non idem mecum, quando divina voluntas fert, amplectaris, non purus amor, non vera unio est.

Noli tamen perturbari, fili, si quando ita senseris difficile, te divinæ voluntati conformare, ut id quasi contra voluntatem tuam facere tibi videaris. Etenim conformando te libere, licet difficulter, vis efficaciter quod ego volo. Nisi enim velles, non te conformares; si quidem nemo invitus velle potest. Ex quo percipis repugnantiam a te sensam, in inferiori cordis parte residere.

5. Fili, purus amor ad unitatem ducit omnia. Sicut ignis, universa sibi subjecta in se convertit.

Divina voluntas est et principium, et modus, et finis omnium, quæ facit aut patitur.

Virtutes omnes in se quodam modo transformat, easque sua excellentia nobilitat. Quicumque pure amat, ipsi omnis virtus amor, et amor virtus omnis est.

Fili, si ad hanc amoris unitatem nondum actu perveneris, conare, assuesce amore vivere, amore agere, amore pati: postea pervenies.

6. Hunc, fili, ama amorem sanctum, qui unus multa dulcedine plena efficit, et mirabilia operatur.

Rigat enim quod est aridum, sanat quod est saucium, flectit quod est rigidum, fovet quod est frigidum, regit quod est devium.

Lumen est cordium, consolator optimus, dulcis hospes animæ, dulce refrigerium: in labore requies, in æstu temperies, in fletu solatium.

Mire sanctificat attollitque animas innocentes.

Memento Joannis, Discipuli dilecti, qui super pectus meum in Cœna recubuit; quomodo amore raptus, sicut aquila volarit, spirans divinum amorem.

Memento Marthæ, quæ mihi ministravit; quomodo amore animata, sursum ad me, velut heliotropium, semper verteretur, virtutumque omnium dulcissimum diffunderet odorem.

Memento aliarum sanctarum Virginum, quæ mihi consecratæ fuerunt; quomodo amore elevatæ supra mundana omnia, factæ sint spectaculum, quo Deus delectabatur, quo lætabantur Angeli, quo mortalium corda ad me commovebantur.

Imo vero et idem amor operit multitudinem peccatorum, eaque consumit, et ex peccatoribus ipsis efficit Sanctos. Testis Magdalena, quæ puritate amoris in novam mutata est creaturam, Seraphico ardore amantem.

Testis Petrus, qui amore negationem compensans, dilectorum Apostolorum princeps, ovium agnorumque meorum Pastor, dux sanctitatis factus est.

Testis Paulus, qui amore transformatus, amore æstuans per mundum cucurrit, sicut ignis per stipulas, flammasque amoris inter omnes gentes sparsit.

7. Fili, amor amando discitur: si vis in divini amoris arte multum proficere, ama multum.

Noli amore sicco, qui unctionem non habeat, esse contentus: affectuosum fove. Non pendet quidem a te, experiri amorem sensibilem; affectuosum autem, si foves, semper habere potes.

Fomentum erit, orare devote, amoris donum doniveincrementumfrequenterpetere, mecum affectu magis quam reflexione conversari, mihi cor effundere potius, quam mentem coram me occupare.

Fomentum erit, gratum tenere animum pro omnibus, quæ a me accepta possides: vitam, conservationem, bona naturæ omnia: Redemptionem, vocationem, gratiam, cuncta salutis media, universa denique bona supernaturalia.

Fomentum erit, semper tibi præsens habere, quantum ego te dilexerim, quantum pro te fecerim, quantum pro te passus sim: quid pro te dederim, quid pro te præpararim in tempore et in æternitate: quam misericorditer, quam benigne, quam suaviter toties in particulari tecum egerim.

Fomentum erit, memorem esse, quis et qualis ego sim: in quo Angeli Sanctique in cœlo, et Electi in terra semper suam inveniunt beatitudinem: quem cœlum et terra simul, et omnia quæ in illis sunt, conclamant, toto corde amandum, omnibus viribus diligendum.

8. *V. D.* O Jesu! o amor! quam mirabilia, quam divina, quam suavia e Corde tuo promis!

O Deus Salvator meus, quis sum ego, et quis es tu? Nonne hoc multum, ac nimium etiam foret, si te a me tantum permitteres amari?

Et ecce ne forte dubitarem, an liceat mihi, miseræ creaturæ, aspirare ad locum in divino Corde tuo, præcepisti mihi, ut amarem te. O amor! o prodigium dilectionis! o suavitas! o dulcissime Jesu!

Et non amem te? et non diligam te? Imo, Jesu, imo, toto corde amabo te: omnibus viribus diligam te.

Omnia quæ sum; omnia quæ habeo; omnia dona et beneficia tua; cœlum et terra; omnia me a te amandum urgent, sed nihil tantum, quantum tu ipse, qui es causa et finis, objectum et præmium amoris.

O Domine Jesu! hæc sola ambitio mea, ut amore tui excellam, ut amore tui Angelos ipsos æmuler.

Cæteris rebus universis me superent alii: facie feram, libenter patiar: sed hoc unum, ut amore erga te sim aliis inferior, quomodo feram? quomodo patiar?

Eja Jesu, Dilecte cordis mei! fiam similis tibi, totus amor, unus tecum amore.

O Jesu mi! quis mihi det, ut amore tui totum accendam mundum! ut omnium corda ad te rapiam, et amore tui inflammem!

Præsta, quæso, ut omnes amore tui vivamus, amore tui beatam tecum transigamus æternitatem.

Imit. Chr. Lib. III. c. 5.

CAPUT VIGESIMUM SEXTUM.

Quod Sacrosanctum Cor Jesu, nos semper progressui in virtutibus faciendo incumbere doceat.

1. *V. J.* Ecce, fili, ego bene omnia feci. Quæ placita erant Patri meo, faciebam semper.

In his autem, quamdiu vixi, num steti umquam? Porro qui vult mecum manere, debet, sicut ego ambulavi, et ipse ambulare. Etenim si, me ambulante, steterit ipse, quomodo mecum maneat?

Fili, vera virtus in hac vita numquam sistit: si enim ulteriorem facere progressum negligit, aut defectus est aut tepor.

Qui justus est, justificetur adhuc: et sanctus sanctificetur adhuc.

Quantumvis ergo quis in virtutibus profecerit, ulterius proficere debet ac potest. Vel enim aliquid melius ab homine peragi; vel finis actionum per amorem, cujus objectum est infinitum, purior fieri; vel variæ denique actuum circumstantiæ meliori modo perfici possunt.

Hinc, fili, si te sincero corde examinaveris, amplam invenies materiam ad humiliandum te ipsum, qui te sæpius in aliqua parte defecisse reperies; ac vehemens simul habebis incitamentum ad proficiendum amore mei, qui quod in operibus tuis bonum est, amanter approbo, et remunero liberaliter; quod autem defectivum est, tolero aut etiam contrite rogatus condono.

2. Noli profectum tuum ex naturæ facilitate, aut devotione sensibili, aut quacumque naturali inclinatione metiri: hæc enim omnia infida sunt et fallacia.

Veram ex conatibus, quos ad te ipsum generose superandum aut abnegandum amore mei facis, progressum in virtutibus metire tuto ac secure.

Cave, fili, ne virtutibus mere naturalibus contentus sis. Hæ quippe, a natura ortæ, nec fructus æternos ferre, nec etiam flores cœlestes producere possunt: sed si quid gemment, si quid ferant, non nisi temporale est, quod mox evanescit.

Omnis enim plantatio, quam non plantavit Deus; omnis planta, quæ non oritur e gratia divina, eradicabitur.

Ad perfectiora progredere per virtutes supernaturales ac solidas, quæ a principio gratiæ ortæ, generosis ac repetitis actibus firmæ et perfectæ fiunt, quæque maxime florent et fructificant in vitam æternam.

Non semper tibi melius, quod in se perfectius est: verum id tibi utilius, quod ex divina voluntate veniens, te per veras virtutes ad finem tuum juvet.

Quidam progressum suum in multiplicandis pietatis exercitiis ponunt: alii in aliis rebus perficiendis collocant. Et hi omnes, nedum progrediantur, retrogredi sæpe solent; tum quia in istis non consistit perfectio, cum sint tantum perfectionis media; tum quia multiplicitate aut incongruentia mediorum impediti, finem attingere non valent.

3. Sane, fili, coram me perfectior est pura servula, quæ amore mei facit quod ab illa, juxta statum ejus et officium, requirit divina voluntas, quam persona religiosa, quæ negligens vocationis officiique ejus partes, orando vel etiam præ devotionis sensu lacrymando dies noctesque transigit.

Si vis officio bene perfungi, primum, illud æstima et ama, non quia inclinationi tuæ congruit, sed quia divina est voluntas, quæ etiam minima reddit nobilia simul et pretiosa. Illud enim si non æstimes, non diu amabis: si non ames, non diu bene obibis; quoniam, intellectu et voluntate non juvantibus sed resistentibus, apte agere et pati non diu poteris.

Deinde, non te, non naturæ gratificationem; sed me, sed voluntatis meæ adimpletionem in illo et per illud intende et quære.

Tum, omnes officii partes exequere, fortiter quidem in re, intentus fini juxta divinum beneplacitum obtinendo; sed suaviter in modo, semper in usu mediorum pacificus.

Denique, assuesce omnia ad illud pertinentia præstare amore mei, tibi præsentis ac parati ad

te in casibus particularibus dirigendum et adjuvandum. Sic cuncta facilius ac securius facies, et facere perseverabis.

Sed sive status tui obligationes, sive exercitia pietatis obeas, præcipua sit tibi cura, ut ista omnia perficias bene. Hic genuinarum virtutum ager fertilis; hic verorum meritorum seges abundans.

Hæc si negligas, alia quæ facias extraordinaria, lusoria esse memento. Nec miracula, nec prophetiæ, nec ecstases, nec alia quæcumque, si tanta dona haberes, te sanctificare possent.

4. Fili, si tibi cordi est, vere proficere, profectum efficaciter velis. Perfectio enim ejusque progressus, secundum gratiam, non nisi a corde volente venire potest.

Quodsi cor non velit efficienter, nulla prorsus media perfectum te reddere valebunt; cum non coactione sed affectione ad me veniatur.

Recordare, quam multi Sancti, magna inter obstacula, cum paucis mediis externis, ad virtutis culmen pervenerint; quia cor eorum continua perfectionis siti premebatur.

Beati, qui esuriunt et sitiunt justitiam; quoniam ipsi saturabuntur. Hanc si quis sitit, veniat ad Cor meum, et bibat de fonte aquæ vivæ, salientis in vitam æternam.

Veni, fili, et in hoc fonte gusta, quam suave sit, amore servire mihi: et sicut post mel gustatum alia cibaria sunt amara, ita cum dulcedinem amoris divini Cordis mei gustaveris, amara tibi fient universa naturæ corruptæ pabula.

Ora, fili, ora ferventer, ut desuper illumineris ad cognoscendum eximium perfectionis pretium; utque continuo inflammeris illam obtinendi desiderio.

Frequenter etiam in mentem revoca, quam multa, quam magna incitamenta ad ulteriorem semper profectum te urgeant.

5. *V. D.* Quæ sunt illa, Domine? Precor, illa servo tuo indicare ne dedigneris.

V. J. Considera, fili, quis sit, cui servias: quam amabilis ob infinitas perfectiones, quæ cœlicolarum rapiunt corda; et ad amorem stimulaberis.

Recordare beneficiorum omnis generis, a me pura charitate tibi collatorum: et, si cor tuum omnem sentiendi facultatem non amiserit, novo gratitudinis animo me redamabis.

Pensa peccatorum tuorum gravitatem ac multitudinem, quæ tam paterno Corde tibi remisi: num credes te umquam satis multum pro me facere posse?

Cogita multiplicem et continuam infelicitatem illorum, qui peccato aut tepori subjacent; felicitatem contra ineffabilem eorum, qui mihi amore ferventi serviunt.

Inspice admirabilem virtutis pulchritudinem, ac turpitudinem vitii infandam: quomodo prior hominem societ Angelis; posterior hominem dæmoni assimilet.

Meditare præsentis vitæ brevitatem, æternitatem vitæ futuræ: mortem certam, incertam mortis horam.

Mente simul et corde perpende, quid sit, esse in inferno sine fine: quid sit, esse in cœlo per omnem æternitatem: et memento alterutrum te manere.

Hæc, fili, si sæpe et attente ponderas, ita ut quasi recentia tibi serves, ad ulteriorem progressum festinabis.

6. Multipliciter autem a profectu homo avertitur. Plerumque tamen averti incipit, vel eo quod amorem mei in corde suo tepescere sinit, negligendo fervida interioris vitæ exercitia; vel eo quod naturæ indulgendo, in aliqua re seipsum superare aut abnegare detrectat.

Sunt qui viam progressus non deserunt quidem, sed variis modis felicem morantur cursum. Sic consistunt, qui, cum ultra properare deberent, tempus insumunt sibi complacendo de spatio, quod jam cucurrerunt. Tu, fili, quæ retro sunt, obliviscere, certus cui ea credidisti: et indefesso gradu reliquam viam metire.

A progressu impediuntur etiam, qui adeo timide incedunt, ut diceres, illos singulis passibus velle examinare ubi pedem figant. Tu autem, fili, mihi magis quam tibi fide, et, morali diligentia adhibita, animoso divini amoris nisu per omnia ad finem provola.

Retinentur et illi, qui futuris difficultatibus, quæ forte numquam occurrent, imaginationem terrent et cor constringunt, ut præ metu aut pusillanimitate movere se vix audeant vel etiam possint. Fili, sufficit diei malitia sua: hodiedum igitur progredere alacriter: futurum autem cras committe mihi: ego providebo.

7. Memento, fili, te naturæ pondere semper ad inertiam quamdam aut desidem quietem tendere. Frequenter igitur spiritus fervore voluntatem excitare, et novum animum sumere debes.

Si naturali inertiæ isti cedas, si efficacem perfectionis voluntatem dimittas, nihil discipulo Cordis mei dignum amplius efficies: torpere, deficere, miseriis impleri, infelicitatem experiri incipies.

Quem virtutis gradum anima socors, laborans ac gemens, per multos annos attingere non valet, illo fixæ voluntatis anima, fervens et læta, paucis mensibus potitur.

Fili, si fixam habes voluntatem usque progrediendi, est quod maxime gaudeas. In hujusmodi enim bona voluntate manifestum habes divinæ amicitiæ argumentum. Hæc autem dulcissima simul et solidissima consolatio est.

8. *V. D.* O Præceptor bone, dulcissime Jesu, omnis virtutis exemplar! confundor penitus, quia nondum me tibi perfecte conformare studui, licet diu me discipulum tuum esse professus sim.

Miserere mei, Domine: ne, quæso, permittas me tepori succumbere, nec socordiæ naturæ cedere, nec impedimento quocumque retineri: sed excita me, stimula me, impelle me gratia tua.

Da mihi fervorem Cordis tui; accende in corde meo ignem, quem venisti mittere in terram, ut te ardentius diligam, tibi perfectius conformer, te propius sequar.

Renova me totum, obsecro; tolle spiritum meum languidum et miserum, et anima me Spiritu tuo, Spiritu amoris semper fervidi, semper alacris, qui non patiatur me torpere, verum me usque fortiter ac suaviter urgeat ad perfectiorem imitationem tui, qui solus es via et terminus beatitudinis æternæ.

Imit. Chr. Lib. III. c. 17. *et Lib. I. c.* 25. *No.* 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11.

DIRECTORIUM IN LIBRUM TERTIUM.

1. Libri tertii scopus est, tendere ad sanctitatem, quæ perfectio vocari solet. Hæc autem sanctitas acquiritur virtutibus aliquo modo heroicis, quales in bene patiendo exerceri consueverunt. Certum est enim, ut omnium Sanctorum constat exemplis, neminem umquam sibi acquisisse veram sanctitatem, qui non exercuerit in patiendo solidas virtutes ac modo aliquo heroicas. Idque non de illis tantum intelligendum est, quos Ecclesia Sanctorum albo inscripsit, sed de illis etiam omnibus, qui, licet Canoni non inscripti, in vita quondam conati sunt eam acquirere sanctitatem, quam Christus Dominus exemplo et doctrina docuit omnes, quamque uniuscujusque ratio vitæ capere potest. Istarum autem virtutum nobilium, quibus sanctitas comparatur, exemplaria pulcherrima, viva, fortitudinem ac consolationem spirantia, nobis exhibet Jesus patiens. In activa quidem vita ejus, virtutes ipsius Cordis clare et constanter lucent, atque ad imitationem congruam suaviter simul et fortiter suadent et alliciunt meditantem: in passiva autem ejus vita, tota perfectione, toto fulgore splendent, et meditantem non attrahunt modo, sed et vehementer incitant et urgent. Ideoque juvat vitam ejus activam prius nos esse meditatos, virtutibus Cordis ejus agentis initiatos, in illis etiam aliqua-

tenus progressos, ne magnitudo aut sublimitas virtutum Cordis ejus patientis nos terreat aut etiam dejiciat.

Porro sanctitas hæc duos habet gradus: et uterque gradus tres modos continet.

In primo quidem gradu pie sufferuntur ea omnia, quæ evitari non possunt: feruntur autem, primo modo, cum patientia; secundo, consentiente nostra cum divina voluntate; tertio, cum gaudio quodam supernaturali.

In secundo autem gradu, etiam illa omnia perferuntur, quæ vitari aliquo modo possent, sed quæ oblata voluntate libera accipiuntur, vel quæ ultro quæruntur et assumuntur. Universa autem, voluntate nostra divinæ conformata, feruntur, primo, amore Jesu ad aliquem finem supernaturalem, puta ad compensationem injuriarum ipsi illatarum, ad peccatorum conversionem, ad perseverantiam justorum, ad hujus aut illius boni consecutionem; secundo, desiderio conformitatis cum Jesu fructuumque ex hac sancta et amore plena conformitate colligendorum; tertio, amore purissimo, ut uniformes simus Jesu eique ita bene complaceamus, omni nostra consideratione, quantum licet, omissa.

2. Persuasum habe, te, in quocumque statu aut conditione vitæ fueris, vere Sanctum evasurum esse, si vel illa, quæ Dominus tibi patienda præsentaverit, bene patiaris. Etenim si mereris ac proficis per singulos communis etiam seu ordinariæ virtutis actus, quanto magis lucraris et progrederis per actus virtutis heroicæ, quales in rebus adversis frequenter elici solent!

Memento, quid per unumquemque virtutis ordinariæ actum, in statu gratiæ rite factum, mereari:

primo quidem, novum gradum, seu augmentum quoddam gratiæ sanctificantis, quod statim accipis, et quo fis in te perfectior, ac charior Domino: et simul, novum respondentemque gradum gloriæ seu beatitudinis æternæ, quam postmodum obtinebis in cœlo, ubi recondita te expectat. Atque hæc duo *de condigno* mereris, ita ut ex promissione, qua Deus se libere quidem sed vere obligavit, tibi jure debeantur. Meritum hujusmodi, quod stricte meritum vocatur, personale est, nec cum aliis communicatur.

Præterea mereri potes gradum quemdam seu speciale auxilium gratiæ actualis, etiam efficacis, qua illuminetur ac dirigatur intellectus, et voluntas animetur et roboretur, ad malum vitandum, ac faciendum bonum: atque insuper, quasi partem magni doni perseverantiæ finalis. Hæc autem duo potes *de congruo* tantum mereri, adeo ut tibi numquam debeantur ex justitia, sed solummodo ex convenientia seu decentia quadam ac liberalitate divina. Ad hæc enim Deus se nulla promissione obstrinxit: verumtamen cum summe liberalis sit, ipsum decet, ut etiam sic remuneret actus nostros supernaturales: nec re vera nobis relinquit ullam rationem metuendi frustrationem. Hoc modo duo hæc non solum tibi ipsi, sed aliis etiam mereri potes.

Atqui gradus isti, quos per virtutem mereris, majores aut minores esse possunt, prout actus meritorii magis aut minus perfecti fuerint. Fieri quippe potest, ut unus actus heroicus, quo nobili generosoque corde aliquid perfecte sacrifices, vel patiaris, magis tibi mereatur, quam centum, aut mille, aut plures etiam actus communes. Profecto

divus Chrysostomus asserit, sanctum Jobum plus meruisse uno illo actu, quo se in calamitate divinæ voluntati conformavit, quam omnibus actibus per totam vitam antecedentem in prosperitate elicitis.

Hæc per momentaneam hanc vitam, nobis ad merendum pro omni æternitate concessam, meminisse curemus. Juvabunt enim ad efficacius vitandum illusiones, quæ hujus partis vitæ interioris propriæ esse videntur. Quarum hæc communior esse solet: Naturæ sensibus aut reluctationibus nimium auscultare, sicque causas afflictionum secundarias considerare, atque prætextu aliquo perpessiones a Domino præsentatas declinare, vel ægro saltem corde ferre, aut etiam quærere aliam viam, quam illam, qua Jesus ipse ambulavit, quam nobis complanavit, qua nos vocat, ut cum omnibus Sanctis ejus sequamur eadem cordis dispositione, qua ipse præcessit.

3. Itaque dum in iis, quæ tractantur in hoc libro, versaris, huc assidue spectare et tendere debes, ut quam optime comprehendas non solum afflictiones et dolores ineffabiles Filii Dei, sed et maxime affectus et dispositiones Cordis ejus. Hic enim thesaurus immensus latet, quem solus diligens piusque scrutator investigare et reperire potest. Quo attentius devotiusque Cor Domini tui patientis meditatus fueris, eo perfectiora invenies, ac meliora obtinebis.

4. Modus, hunc librum meditandi, præter duos ante librum primum traditos, qui hic etiam adhiberi possunt, duplex est: uterque ante secundum librum propositus, sed hic Passioni Jesu Christi meditandæ aut contemplandæ accommodatus.

Itaque in meditando, memoria proponat aliquam, pro tractu Passionis Domini, virtutem: et illam, post meditationem, ita retineat, ut eam congruenter ad actum deducere valeas.

Intellectus virtutem meditetur, scrutans causas et fines, modosque, et circumstantias ejus, atque considerans, quibus Cordis dispositionibus eam virtutem Jesus exercuerit: tum confer statum cordis tui erga hanc virtutem: deinde circa eamdem respice et examina vitam tuam præteritam; gratias age, et perseverantiam pete, si illam hucusque bene exercueris; sin contra, contritionis actum elice et per Cor Jesu patiens roga veniam: denique in futurum prospice et attende, quando, et quomodo eamdem virtutem exercere possis.

Voluntas amplectatur virtutem, ejusque actus faciat interiores, et opportune eam externe simul et interne exercere statuat, multum interea piis affectibus ac petitionibus insistens.

In contemplando autem, vide in mysterio vel re particulari, quid Jesus patiatur, et in quibus circumstantiis: quis ita patiatur, et a quibus, et pro quibus.

Dein attende, quæ verba ibidem proferat Jesus, vel quomodo taceat, et ad Deum Patrem interius effundat preces Cordis sui.

Demum pie et attente inspice Cor Jesu, quomodo sit dispositum Cor illud, ex quo tam heroica procedunt. Atque per totam contemplationem, quantum potes, locum da piis cordis effusionibus, cum affectibus tum petitionibus.

Affectus autem in quibus te, sive per meditationem sive per contemplationem, exerceas, varii aut differentes esse possunt, prout te habueris,

vel indigueris, vel etiam interius Spiritu divino motus fueris.

Fidem utiliter colere poteris, et actus ejus vividos elicere frequenter, in singulis mysteriis Jesum agnoscendo ut Deum, eumque adorando in humiliationibus ejus et perpessionibus, quibus Divinitas ejus se quodammodo abscondit amore nostri.

Spei juvabit sæpe ac suaviter indulgere, persuasum habendo, Dominum, si gratuito amore tanta pro te, undique indigno, fecit ac pertulit, ut te salvaret; nunc tibi, cooperari volenti, certe non negaturum esse quæ incomparabiliter minora sunt, media nimirum salutis et perfectionis.

Amore Jesu, Dei et Salvatoris tui, sponte quodammodo inflammabitur cor tuum, quando videris, quomodo ipse patiatur amore tui. Cum enim pro omnibus et singulis passus et mortuus est, unusquisque vere dicere potest ac debet: „Jesus dilexit me, et tradidit seipsum pro me." *(Gal. 2. 20.)*

Detestatione et horrore peccati sæpe cor tuum occupa, cernens, quanta tormenta Filius Dei in sanctissima Humanitate sua ob illud passus sit.

Odium iniqui mundi orietur in corde, si attenderis, quid, et quousque Jesus ab isto mundo perpessus sit.

Compassio erga Jesum patientem afficiet te penitus, si eum pio et devoto corde consideraveris.

Compensationem injuriarum, ipsi tam indigne illatarum, zelabis ferventer; ad quem finem pia desideria, opera bona, afflictiones tuas frequenter offeres.

Super omnia vero, dispositionibus ac sensis Cordis Jesu patientis in singulis mysteriis attente studere, eaque induere debes. Nam hæc si non

feceris, Passionem Jesu meditari quidem potes, sed Cor ejus imitari non potes: pati quidem potes, sed fructuose pati non potes: onerari cruce quidem potes, sed Jesum sequi non potes.

Petitiones vero, quas facere licet, æque variæ, æque differentes esse possunt. Imo vero latissime patent objecta petitionum, adeo ut illis non facile terminus ponatur. Peti enim potest donum aut incrementum fidei, spei, amoris; tum horroris peccati, et detestationis mundi; compassionis erga Jesum, et zeli honoris ejus; virtutum denique et gratiarum omnium: idque non pro te solum, sed et pro omni proximo tuo, quemadmodum ante librum secundum dictum fuit, atque hic ideo repetitur, ut inculcetur quod nimium inculcari non potest, maximi esse momenti, affectus, seu actus virtutum et petitiones, a quibus, secundum gratiam, unctio orationis et præcipuus ejus fructus venire solent.

5. Ad discretionem Spirituum regulæ, quæ hic peculiariter conveniunt, a Sanctis traduntur sequentes.

Prima. Consolatio spiritualis proprie dicitur, cum interius excitatur aliqua motio, qua anima divino accenditur amore; sive directe; ut cum amore Dei inflammatur ob divinam bonitatem; sive indirecte; ut cum ad divinum amorem commovetur ex consideratione Passionis Jesu Christi, aut ex dolore de peccatis contra Dominum commissis, aut ex alia quacumque causa, ad divinum servitium recte ordinata. Deinde, etiam consolatio spiritualis est, omne fidei, aut spei, aut charitatis augmentum. Denique, spiritualis quoque consolatio est, lætitia omnis interna, quæ incitet animam

ad res supernas, ad salutem et perfectionem, reddatque eam in Domino quietam.

Secunda. Desolatio spiritualis vocatur quidquid est contrarium illis, quæ in præcedenti regula sunt: ut obtenebratio animæ, conturbatio, aut torpor quidam; agitatio movens ad diffidentiam, spem oppugnans aut charitatem; demum instigatio ad res infimas, interior tristitia, animum dejiciens aut inquietans.

Tertia. Solius Dei est, animæ dare consolationem sine causa præcedenti; quia proprium est Creatoris, suam intrare creaturam, totam in amorem suitrahere, vertare, mutare. Causa vero nulla præcedere tunc dicitur, cum consolatio datur sine ullo prævio sensu, vel cogitatione alicujus objecti, ex quo illa consolatio animæ adveniat per actus ejus intellectus aut voluntatis.

Quarta. Cum præcessit consolationis causa, potest animam aliquo modo consolari tum spiritus bonus, tum malus spiritus, sed ad fines contrarios: bonus quidem ad animæ profectum, ut ipsa bene agat, et de bono ad melius ascendat; malus autem ad oppositum, ut ipsa pervertatur ac decidat.

Quinta. Tempore desolationis numquam mutatio facienda est: sed standum est firmiter ac fortiter in iis propositis et statutis, in quibus eramus tempore desolationem ejusmodi præcedenti. Quia sicut in consolatione spirituali magis nos movere solet spiritus bonus, atque etiam nostris facultatibus naturalibus expeditius utimur; ita in desolatione nos magis incitare consuevit malus spiritus, cujus instigatione, impeditis etiam plus minusve facultatibus nostris, certa consilia ad recte agendum capere vix possumus.

Sexta. Licet in desolatione priora consilia mutare non debeamus, plurimum tamen expedit, mutare nostrum agendi modum, ut contra ipsam desolationem pugnemus, primo, insistendo magis orationi; secundo, nos magis examinando ad nos humiliandum et in divina Cordis Jesu misericordia immergendum; tertio, exercendo nos magis in faciendis discreto modo pœnitentiæ aut charitatis operibus.

Septima. Ille, qui est in desolatione, meminerit, se a Domino probari, in suis potentiis naturalibus relictum cum gratia ordinaria, atque etiam speciali, licet non sensibili, ut ita variis instigationibus inimici resistens, ostendat amoris sui fidelitatem. Potest enim resistere cum divina gratia, quæ cum ipso manet, quamquam illam sensibiliter non experitur.

Ille vero, qui consolatione fruitur, consideret, quomodo se in ventura desolatione habiturus sit: novas sumat vires ad futuram desolationem sustinendam: nitatur se humiliare cogitando, quam parum valeat, cum a Domino particulariter ac sensibiliter non adjuvatur.

Denique, cum ille, qui in desolatione, tum ille, qui in consolatione est, curent ambo ad solidas virtutes acquirendas aut fortificandas incumbere, atque ita se sanctificare.

S. Ignat. S. Bonaventura. S. Maria Magdalena de Pazzis.

LIBER TERTIUS.

Admonitiones ad Sacrosanctum Cor Jesu patientis imitandum utiles.

CAPUT PRIMUM.

Quanti facienda sit sanctitas, quantumque affectanda.

1. *V. J.* Sanctus esto, fili; quia ego sanctus sum. Quicumque perfectus Cordis mei discipulus esse cupit, sanctificat seipsum, sicut et ego sanctus sum, sanctitate interiori, vera et solida.

Magnum bonum, sanctitas, omnia includens bona desiderabilia in terris, et beatitudinem parans æternam in cœlis.

Sanctitas virtutis consummatio, custos gratiæ sanctificantis, internæ pacis conservatrix, cordis gaudii altrix et jugis felicitatis.

Hæc est sapientia vera; hæc gloria non ficta; hæc opulentia inexhausta.

Minimum etiam esse Sanctum, incomparabiliter majus quid est, quam totius mundi esse maximum.

Quid in hoc mundo cum sanctitate merito conferri potest? non scientia, non dignitas, non fama, non denique ulla rerum possessio. Hæc enim non nisi terrena sunt, momentanea sunt; ut vaporesin



123

Einsidlae, apud C. & N. Benziger, fratres.

Factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. (Phil 2, 8.)

aëre, nitent et mox disparent. Sanctitas vero cœligena, et permanens, sicut sol coram cœlitibus splendet, et cum sol ipse defecerit, illa splendere in æternum perget.

Non ergo glorietur sapiens in sapientia sua, et non glorietur fortis in fortitudine sua, et non glorietur dives in divitiis suis: sed in hoc glorietur, qui gloriatur, nosse et amare me, amore imitari me, et ita se sanctificare.

Hæc, fili, si non capis nunc, sero vel invitus tandem capies, cum morti proximus, rectiora habebis sensa.

Dic mihi, si hodie moriturus esses, quid magis optares, tene Sanctum esse, an principem fuisse aut pontificem? Utinam, exclamabat moriens, qui res expertus erat, utinam non regnator fuissem, sed novissimus inter sanctos Dei servos! Utinam, ingeminabat alter, non in cathedra, sed in culina sanctæ domus Dei vixissem!

Nimio æstimare non potes sanctitatem, quam ego ipse tanti feci, ut ad eam possibilem ac facilem reddendam thesauros Cordis mei effuderim, media summis expensis meis multiplicarim, omnia denique ad Electorum ordinarim sanctificationem.

Ad tantum ergo bonum aspira, fili: et Sanctus fieri animo magno conare.

2. *V. D.* Mene, Domine, fieri Sanctum! Ah! Domine Jesu! ad hoc, peccavi nimis in vita mea. Et nonne superbia foret, si id præsumerem? sed et ecce tam debilis sum, ut nihil sanctitate digni facere valeam.

V. J. A temetipso hæc dicis, fili, an ab aliis, tibi suggerentibus? Si a temetipso, erras: si ab aliis, deceptus es.

Et primum quidem, si peccaveris in vita tua, ecce nova ratio hæc est, ut te sanctifices, sicque præterita futuris compenses.

At, fili, non agitur de eo, quod fuisti, verum de eo, quod deinceps esse debes.

Quam multæ animæ, post peccata facta, breviori tempore ad gradum sanctitatis altiorem, quam animæ quædam semper innocentes, pervenerunt; quia peccatorum, misere a se commissorum, atque a me misericordissime remissorum, memoria quasi calcari utebantur, ad se stimulandum et urgendum ad sanctitatem?

Itaque peccata commissa, non solum non impedimenta, sed, si velis, etiam instrumenta sanctitatis esse possunt.

Deinde, fili, virtutis perfectionem æmulari, ad sanctitatem aspirare, non superbia, non præsumptio, sed magnanimitas, sed nobilitas est animæ, sine qua nemo dignus est Cordis mei esse discipulus.

Hæc ego: et vide utri credas, mihine an spiritui inimico, contraria suggerenti.

Cave, fili, ne illusus, fias pusillanimis, adeoque incapax aspirandi ad ea, quæ aspiratione boni cujusque cordis longe dignissima sunt.

Erige animum, omnem cordis parvitatem abjice, discipulo Cordis mei digna fove sensa.

Denique, si tu debilis es, nonne ego sum potens? si austeritates subire non vales, numquid non potes amare? si non vales agere, numquid pati non potes? Atqui amore et perpessione sanctitas potissimum perficitur.

Non opera extraordinaria, non miracula; sed amor, amor patiens, sanctificationem animæ maxime promovet.

Conare, uf amore mei patiaris, quæ ego ipse tibi selegero et dedero patienda: et ecce Sanctus evades.

Si res, quas magnas vocat mundus aut momentosas, acquisitu tam faciles essent, quis mundanus eas non acquireret?

3. Constans proficiendi desiderium, et assiduus ad sanctitatem conatus, sanctitas hominis in hac vita jure reputatur.

Nemo in sanctitate perfectus est, qui perfectior esse non nititur: eo autem sanctiorem se quisque probat, quo ad majorem tendit perfectionem.

Itaque, fili, sanctitatis perfectio non est opus diei aut hebdomadæ. Ne igitur putes de intra tempus tantillum fore perfectum. Hoc namque sperando, ac deinde spe frustratum te inveniendo, posses animo dejici, vel etiam ad desistendum periculose tentari.

Perfectio est opus gratiæ divinæ et humanæ cooperationis.

Bonitas autem Cordis mei, quod te Sanctum fieri vult, ad gratiam tibi largiendum, quam tu ad eam quærendam, multo magis propendet: imo vero illam tibi ultro profundit.

Quanto itaque fidelius cooperaris gratiæ, tanto breviori tempore sanctitatis possessionem acquires.

4. Si te sanctificandi habes constantem voluntatem et efficacem, nihil prohibere potest, quominus Sanctus fias.

Quomodocumque natura comparatus fueris, sanctitatem assequeris, non pro naturæ constitutione, sed pro cooperatione gratiæ per liberam voluntatem tuam.

Non indoles, sed nec status vitæ, nec pro-

fessio te impediet, si generosa cordis fidelitate divinæ gratiæ cooperaris. Hac fidelitate ecce multitudo ingens, quam dinumerare nemo potest, in statu religioso se sanctificarunt; et millia millium evaserunt Sancti in medio mundi. Hac fidelitate Sanctus evasit Henricus in castris, Casimirus in aula, Elzear in commercio cum mundo, Isidorus in agro: Sancta in civitate Agnes, rure Maria, Catharina in domo paterna, in servitute Christiana.

Nec pendet sanctitas a Beatorum Sanctorumve canoni inscriptione, quæ Sanctum non efficit, sed declarat tantum mortalibus. Si Sanctus fueris in cœlo, perfecte conformatus divino beneplacito, non curabis per te, an nomen tuum isti canoni adscriptum reperiatur in terra.

Neque demum tentationes aut difficultates obstabunt. Quidquid enim infernus machinari, quidquid mundus moliri potuerit adversum te, id totum, si volueris, sanctificationi tuæ contribuet.

5. Verum est quidem, illi, qui sanctitatem assequi desiderat, omnia peccata vel minima esse vitanda: sed involuntaria delicta, quæ ex fragilitate humana oriuntur, perfectioni non obsunt.

Maximi etiam Sancti ab istis miseriis non fuerunt penitus liberi: ac quamdiu in terra vixerunt, fragilitatem naturæ humanæ experti sunt.

Noli ergo turbari aut angi ob ea, in quibus voluntas cognitam non habet partem: potest homo valde perfectus esse, etsi frequenter delinquat involuntarie.

Juxta Sanctorum exemplum, involuntarios defectus diminue, quantum potes, et ob commissos humilia teipsum coram me amore pacifico: sicque bonum ex ipsis ad profectum tuum erues.

6. Quæ cum ita sint, fili, neminem auscultes, nec teipsum, nec mortalem ullum, nec spiritum quemcumque te a sanctitate prosequenda, quolibet prætextu, avertentem. Sed animo generoso, numquam despondendo, ad interiorem sanctitatem niti persevera.

Hæc sanctitas res tanta est, mihique tam honorifica et tam grata, ut una quandoque anima, quæ ita se interius sanctificat, magis me glorificet, melius mihi placeat, plus in Cor meum valeat, quam mille aliæ, etiam bonæ, quæ vulgari virtute contentæ quiescunt.

Scito, fili, sanctimoniam, usque ad gradum quemdam, esse prorsus necessariam, ut in conspectum divinæ Majestatis admittaris, cum sine sanctimonia nemo visurus sit Deum.

Si sanctitatem hanc necessariam non acquisieris in vita præsenti, in futura usque ad sanctimoniam igne purificari debebis, priusquam ingredieris in cœlum, in quod nihil nisi sanctum intrat.

Ad consolationem tuam, hoc memento, fili, te, si bonam et efficacem voluntatem vere te sanctificandi servaveris, non prius gustaturum esse mortem, quam sanctitatem assecutus fueris.

Interea ne umquam reputes te sanctitatem jam acquisisse, aut te jam perfectum esse: sed profice semper et prosequere ad destinatum bravium supernæ vocationis tuæ.

Macte animo, fili, aude digna discipulo Cordis mei: æmulare Sanctos, nobiles fratres ac sorores tuas. Quod tu es, illi fuerunt: quod illi sunt, tu esse potes.

7. *V. D.* Ergo, Domine Jesu, etiam ego, omnium ultimus, Sanctus fieri debeo, et possum.

Imo debeo; quia tu mihi præcipis; quia tot singularibus beneficiis ac gratiis mihi præstitis respondere teneor; quia ineffabilibus misericordiæ tuæ, post tam multa peccata, mihi exhibitæ debitis satisfacere, quantum possum, obstringor; quia saluti consulere meque ad cœlum præparare obligor; super omnia autem, quia tu omni amore et omni honore summe dignus es.

Et possum; quia tu abundantia et efficacia suppetis media; quia non aliud, quam ut cum sincera voluntate coner, requiris, paratus ipse supplere reliqua; quia nihil, nisi ipse velim, impedire potest; quia omnia quæcumque, si volo, adjuvare possunt et promovere; quia denique totum sanctificationis meæ opus non est nisi opus amoris, amoris tui, amoris scilicet omnia possibilia, omnia facilia, omnia suavia reddentis.

Itaque Sanctus fieri desidero, non ut inter Sanctos in terra numerer, sed ut te in cœlo inter Electos glorificem: non tam timore pœnæ aut præmii expectatione, quam amore tui, optime et dulcissime Jesu! ut te magis amem, te magis honorem nunc et in æternum.

En ergo, Domine Jesu, Sanctus fieri volo. et quamdiu spirabo, velle non desinam: oro et obsecro, per sacratissimum Cor tuum, adjuva bonam hanc voluntatem meam.

Imit. Chr. Lib. III. c. 10.

CAPUT SECUNDUM.

Quod in hac vita nemo vivere possit, quin patiatur.

1. *V. J.* Fili, quamdiu vivis in terra, liber a tribulationibus esse non potes.

Quid nisi afflictio, tota hæc vita mortalis, in quam homo intrat lacrymans, in qua patiens versatur, ex qua egreditur gemens?

Possibile non est, ut homo, ex quo natus est morti obnoxius, sine dolore vitam agat, siquidem in ipso est unde doleat.

Ipsa mortalitatis conditio naturaliter parit multas variasque miserias, morbosque, et pœnas, quæ cessare non possunt, quamdiu extiterit causa ferax et efficax.

Hæc autem omnia, licet multiplicia et molesta, minora tamen sunt. Ex ipso enim corruptæ naturæ fundo res insurgunt pejores, inordinatæ et perversæ cupiditates, quæ cogunt hominem etiam invitum sentire quæ non sentire vellet.

Hæ sunt passiones tot dolorum procreatrices, quæ ipsi cordi inhærentes, multorum turbant pacem; bella, horrida bella movent; confligentibus motibus animam exponunt periculis et amaritudinibus innumeris.

2. Quot autem sunt afflictiones, quæ homini extrinsecus accidunt, quæque prorsus evadi a nemine possunt!

Frigus et æstus, varia intemperies, mille creaturarum incommoda, alii demum causarum physicarum effectus plurimi, qui, etsi ad bonum universum tendunt, id tamen ex hominum defectu,

in naturæ lapsæ statu, præsentive rerum ordine, facere non possunt, sine aliqua individuorum molestia.

Et inter hæc, quem mortalium non gravat quandoque labor, sine quo nemo hic degere potest, quin adhuc magis gravetur.

Adde et enumera, si potes, dolores acerbitatesque omnis generis, quæ ex aliorum passionibus ac vitiis oriuntur: et videbis undique gravamina, ut, nisi ea superes, iis obruaris.

3. Profecto, fili, cum tot ac tantis vita mortalis abundet ærumnis, non paucis vix tolerabilis videretur, nisi tolerandi rationes suggeret spiritus religionis, ac Cor meum unctione gratiæ leniret.

Neque tota hujus mundi sapientia, quamquam de dolorum tolerantia protulit pulchra verba, vera umquam potuit invenire et afferre dolorum remedia.

Quam multi, qui, dum de afflictionibus perferendis eleganter disserebant, aliosque docere contendebant, ipsimet erant afflictione confecti!

Hinc quid mirum, illos, qui religionis spiritu destituti sunt et a Corde meo alieni, sive increduli sive corrupti, in tribulationibus tandem desperare, et, ratione obcæcata, reliquas miserias miseria maxima, quia æterna, male terminare!

Religio vero omnes tribulationes et tolerabiles reddit et utiles, cum doceat, per consolatorium sapientiæ et bonitatis Cordis mei effectum jam fieri, ut quod erat peccati justa punitio, justaque doloris hominum ratio, sit remedium salutare peccati, et hominum meriti copiosa materia.

Metalla probat fornax. Ignis obdurat lutum, ceram autem emollit. Tempestas sternit plantam, arborem vero radicatam firmat.

Ita, fili, tribulatio probat homines. Afflictio unum indurat, emollit alterum. Insectatio dejicit unum, alterum consolidat.

Omnes ad beatitudinem duceret tribulatio, si eam bene acciperent omnes. Si quis per eam ad ruinam pergit, ipsius est culpa, cum ea bene tolerata, ad sanctitatem, adeoque ad veram felicitatem iter certum præbeat.

4. Sed ecce, fili, multo levior magisque consolatoria facta est omnis tribulatio, eo quod ego tribulatus tribulationem sanctificavi, et tribulatos ipse, cum exemplo vitæ, tum promissione præmii, tum etiam gratiæ auxilio et consolatione, præcedo.

Ab exemplo meo didicerunt Sancti secretum bene patiendi, artemque mala in bona convertendi.

Inde tribulationes etiam dulces sibi esse experti sunt, desideriumque patiendi amore mei hauserunt usque adeo, ut sine patiendo vivere non cuperent, abundarent autem gaudio in omni tribulatione sua.

Nonne et tu, fili, aspirare ad similia potes? Nonne mea simul et tua interest? Quid timeas? Ecce nullæ afflictiones ad cor tuum pertingere valent, quæ non transierint per Cor meum: hoc autem transeundo, omnem vim nocendi amittunt, imbibuntque divinam consolandi virtutem.

5. Cave, fili, ne tribulationes, cum e Corde meo suavitate imbutæ venerint, amaras reddas acerbitate cordis tui.

Pati necesse est: non datur optio: sed utrum patiaris bene, an male, utrum Electorum instar, an damnatorum, utrum ad sanctificationem tuam, an ad reprobationem, hoc tibi eligendum est, fili, hoc ab optione tua pendet.

Præpara teipsum, fili: imo vero præparatus esto ad res molestas, quæ occurrere non cessant, neque cessabunt.

Noli credere, te ullam habiturum esse diem sine aliqua pœna, cum nulla umquam dies futura sit, quæ sufficientem sibi non habeat malitiam.

Neque fingas animo, effugere te posse, quidquid feceris. Etsi in desertum recedas solus, aut trajicias mare, aut in ultimos terræ fines te abscondas, ubique tibi comes erit miseria, et te causam aut occasionem sui, tamquam umbra corpus, semper sequetur.

Quamobrem, fili, si sapiens es, quod non potes vitare, prodesse facies, æquo bonoque animo cum Sanctis ferendo crucem afflictionis tuæ, et alacriter sequendo vestigia mea.

6. Si vis tribulationem facile simul et fructuose perferre, fer amore mei: amor hic gravitatem cruci tuæ asperitatemque auferet, et sua virtute sanctificabit et crucem tuam et te per illam.

Qui afflictiones suas non patitur amore mei, crucem suam non longe portabit alacriter, sed mox aut illam trahet, laborans et gemens, aut illa obrutus, jacebit miser.

Si difficultatem in ita patiendo experiris, fili, veni ad Cor meum, et ora. Hic juvamen, hic amorem, hic unctionem gratiæ obtinebis.

Fili, usque modo non cessavi tibi dicere, nec tibi repetere cessabo, ut ores, ut orare non deficias.

Ecce enim in oratione totum: in oratione liberatio a malis, in oratione bonorum impetratio, in oratione remedium miseriæ, in oratione doloris lenimen, in oratione consolatio et perseverantia.

7. *V. D.* Itaque, Domine Jesu, non est effugium: necesse est pati aut volenter aut reluctanter. Si autem patior volenter, minus sentiam; si vero reluctanter, majus gravamen addam.

Nisi ergo velim meipsum reddere miserum frustra, ad patiendum oportet me habere cor paratum.

Quodsi dura quandoque videatur necessitas, patientiæ fructus, qui me in vita sanctificabit, et beatum reddet per omnem æternitatem, ad animandum cor ac stimulandum sufficit abundanter.

Si autem diligam te, dulcissime Jesu, sola consideratio tui me movebit ad te alacriter et gaudenter sequendum, ut tecum sim, ut tibi assimiler, ut probem amorem meum, et tuo amore fruar.

O Jesu, dulcedo infinita! tecum etiam acerba dulcescunt: nam ecce tu ipse patiendo, afflictionibus abstulisti tibique reservasti quidquid in illis erat amarissimum; quidquid autem erat sapidum ac dulce, extraxisti et nobis dedisti.

Jesu piissime, qui adeo me amasti, obsecro, da mihi sensa Cordis tui, ut omnes afflictiones meas sanctificem, atque per illas honorem tuum et meam perfectionem promoveam.

Imit. Chr. Lib. II. c. 12. *No.* 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7.

CAPUT TERTIUM.

Quomodo Sacrosanctum Cor Jesu erga patienda fuerit affectum.

1. *V. J.* Attende, fili, quæ in patiendo Cordis mei sensa fuerint, eaque imitari labora.

Ecce per vitam mortalem Cor meum patiebatur semper, ac simul lætabatur.

Intellige quæ dico, fili. Non loquor de divina voluntate mea, quippe quæ doloris immunis erat et incapax; sed de voluntate mea humana. Hac enim exercui virtutes: hac merita acquisivi: hac Redemptionem hominum operatus sum.

Ab initio existentiæ Humanitatis meæ plene gaudebat Cor meum, ob Divinitatis sibi hypostatice unitæ visionem, qua semper fruebatur, quaque summe beatum erat: atque eodem tempore, per specialem Divinitatis concursum, Cor meum dolebat, ob Passionis dura et amara, quæ experiri debebat.

Sed etiam de ipsa Passione severa et acerba, sub diverso respectu simul dolebat et gaudebat Cor meum. De illa dolebat, quatenus Humanitati gravis aut molesta erat: quatenus vero a Deo volita erat et ordinata ad hominum salutem, de illa gaudebat.

Cor enim meum humana etiam pollebat voluntate, quæ in se quidem una, in operatione autem quasi duplex erat: altera inferior, quæ sponte naturæ humanæ dolorosa horrebat et fugiebat: altera superior, quæ eadem dolorosa ob altiores rationes deliberate amabat et amplectebatur.

Utraque pars, cum inferior tum superior, recta, numquam inordinata, nec quocumque defectu infirmata.

Inferior enim, quæ respiciebat desiderabatque naturæ suæ bonum et commodum, dolorem autem naturæ ac mortem formidabat et refugiebat, simul a superiore se regi sinebat.

Superior vero inferiorem ac seipsam divinæ voluntati submittebat atque conformabat. Hinc supernaturales virtutum actus perfecti: hinc merita:

hinc denique abundantia divitiarum gratiæ pro hominibus accumulatarum.

Memento, fili, te similem habere voluntatem, non quidem æque perfectam aut integram, vere tamen liberam: teque etiam in illa partem inferiorem experiri et superiorem.

2. Tu, fili, quæ patienda tibi sunt, ea nec semper nec simul cognita tibi habes. Misericorditer fit et benigne, ut illa plerumque non nisi adventantia videas, quo facilius singula perferas.

Ast dolor meus in conspectu meo semper. Ubicumque versarer, cuncta tormenta futura usque videbam.

Nullo enim momento latebat mihi, quidquid patiendum a me prædixerant Prophetæ, quidquid præsignarant figuræ antiquæ, quidquid malitia mundi et inferni molitura erat, quidquid horridorum suppliciorum clamabant hominum peccata, quidquid gloria Patris cœlestis læsa requirebat, quidquid necessitas tua, fili, postulabat.

Hæc omnia et singula erant perpetuo ante oculos meos, et indesinenter premebant Cor meum.

Sed Cordis mei amor efficiebat, ut universa sustinerem ac voluntarie perferrem.

Amor mihi sapida reddebat omnia: labores et vigilias, opprobria et ludibria, verbera et spinas, crucem et quæcumque a divina voluntate erant præparata ad hominum beatitudinem.

En, fili, en princeps Cordis mei patientis dispositio, amor erga Deum et erga homines. Ex hoc fonte cæteræ dispositiones ejus fluebant omnes.

3. Hinc enim patientia Cordis inexhausta, qua tanta, licet immerita et indigna, sine acrimonia,

sine querela tolerabam. Amor namque patiens est: charitas omnia sustinet.

Hinc resignatio Cordis divino beneplacito, afflictiones inter et dolores omnes. Voluntate quippe mea divinæ per amorem conformata, ultro perpeti omnia paratus eram.

Hinc in patiendo Cordis gaudium. Amans enim, qui novit objecti amati bonitatem, lætatur, cum illo fruitur. Cor autem meum excellentiam divinæ voluntatis perfecte cognoscebat, ideoque ipsa adimplenda, per multas etiam variasque perpessiones, delectabatur.

Hinc patiendi supernaturale Cordis desiderium. Nam verus amor efficaciter optat probare sinceritatem, teneritudinemque, et fidelitatem suam. Itaque Cor meum amore continue stimulabatur, usque desiderans, ut consummaretur Passio illa, quæ esset Deo, maneretque hominibus sinceritatis, et teneritudinis, et fidelitatis, imo et excessus amoris mei probatio manifesta simul et sempiterna.

4. Sed, fili mi, ultra tendebat Cordis mei amor. Hoc enim volebat, hoc cupiebat, ut per excessum suum hominum corda raperet, eaque igne suo inflammaret.

Ignem enim veneram mittere in terram, et quid volebam, nisi ut accenderetur?

Ad hoc, baptismum habebam sanguinis mei, vivi ac ferventis, in quo baptizarer. Passionem dico, in qua penitus immergerer ac demergerer.

Et quomodo coarctabar, usque dum perficeretur! quantum ardebat Cor meum, ut aperiret balneum illud æstuans, quod mira vi purificaret, calefaceret, stimularet, accenderet mortalium corda!

Hoc erant purificati, hoc accensi Apostoli et

Martyres, sancti Confessores ac Virgines, qui puro mei amore pati omnia, et sequi me per afflictiones, per mortificationes, per mille tormenta, per mille mortes parati erant.

Et cor tuum, fili, nonne accendi etiam potest? Ad hoc enim te usque adeo amavi, ut te ad redamandum me accenderem, ut amorem tuum omnem mihi lucrarer.

5. Fili, si sæpius et attentius consideres, quousque te dilexerim, et quanto majores tu habeas causas amandi me, quam ego te; ad amorem amori rependendum, procul dubio incitaberis.

Et si amor semel cor tuum totum occupet, in eo sensa sensis Cordis mei similia circa adversa patienda producet.

Quanto magis me amas, tanto melius erga perpessiones dispositus eris: ac quanto corde meliori pateris, tanto perfectius me amabis.

Si fiat, ut Cordis mei sensa erga tribulationes tibi non sapiant, signum est in te cordis non bene valentis, imo male affecti: et examine facto, causam reperies in eo quod cor tuum, divini caloris expers, aut frigore cujusdam indifferentiæ torpeat, aut vitioso igne amoris proprii febricitet.

Verum ex hoc ipso quod adhuc tam indispositus sis, ut ea, quæ magnis animabus adeo digna sunt, attingere ac gustare non valeas, sume rationem te fortiter erigendi et stimulandi.

Et cupe saltem ac desidera, ut iisdem sensis cor tuum, ac meum, animetur.

6. Atque ora sæpe et ferventer, etiam reluctante natura, ut valorem hujusmodi sensorum cognoscere, fructusque eorum inæstimabiles diligere possis.

Si in ita orando fueris sincerus, aperientur tibi mentis oculi, ita ut clare videas, mundi sapientiam, quæ amorem salvificarum humiliationun. ac mortificationûm horret, veram esse stultitiam; amorem autem istum salutarem, genuinam esse sapientiam, quam ego ipse, de cœlo descendens, verbo docui et exemplo.

Et si perseveraveris in orando, abundans tib dabitur gratia, ad tribulationes pie amplectendas et sancte perferendas.

Noli tamen esse contentus oratione sola; verum etiam conare pro gratia et viribus te abnegare, afflictiones sustinere, crucem mecum portare.

Beatus ille, cui sapiunt perpessiones sanctificantes! ipse profecto doctus est ab unctione divina magis, quam industria humana, et gratia magis, quam natura, animatur.

Nihil est, fili, unde melius cognoscantur veri discipuli Cordis mei, quam ex æstimatione et amore perpessionum propter me.

7. *V. D.* O bone Jesu! quanta fuit Cordis tui erga me charitas! quam gratuita dilectio! quanta sitis beatitudinis meæ!

Quanta, et quam puro amore passus es: et omnia pro me, ut me redimeres, ut me doceres, ut me consolares, ut me tibi amore unires!

Et num tui umquam obliviscar? num te umquam satis amem? Parum est, fateor, sed dignum et justum est, ut te toto corde diligam, ut te amore etiam inter adversa sequar ad mortem usque.

Sed ecce, Deus Salvator meus, ad hoc, ut pati amem, atque in patiendo Cordis tui sensa imiter, magna mihi gratia opus esse sentio.

Nisi enim adjutus sim desuper, meritorie non

possum in magnis aut in parvis abnegare meipsum, crucem læte amplecti, naturæ superare sensus, te per omnia perseveranter comitari usque ad mortem.

Quoniam autem ad hæc me invitas, imo et vocas: etiam ad hæc, quæso, uberem concede gratiam, qua efficere possim quod ex me ipso non possum.

Dilata igitur cor meum, atque in eo large et profunde sensa Cordis tui patientis imprime, ut Cordis tui humilitatem et amorem imiter: humilitatem quidem, ad sustinendum pro te omnem a te volitam humiliationem; amorem autem, ad amandum pati amore tui quidquid mihi patiendum dederis.

Imit. Chr. Lib. II. c. 12.
No. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15.

CAPUT QUARTUM.

Quanta in bene patiendo sint bona.

1. *V. J.* Fili, tibi datum est intelligere Cordis mei secreta, ea devote penetrare, ea plene in profectum tuum derivare.

Audi igitur arcana, quæ a mundo abscondita sunt: disce bona, quæ mundani non capiunt.

Ecce ego, Creator creaturis, Redemptor libertis, Pater filiis, præcessi ambulans per viam crucis, cunctisque hominibus declaravi, quemcumque volentem fieri participem felicitatis ineffabilis, quæ me manebat ad viæ terminum, debere corde bono abnegare seipsum, et sequi me.

Multi autem audientes, quovis tempore dixe-

runt: Durus est hic sermo, et quis potest eum audire? Et ex hoc multi abierunt retro, et mecum non ambularunt.

Sancti vero, et quicumque se sanctificare efficaciter voluerunt, invitationem meam grato libentique corde acceperunt, et beatitudinem suam in terris arbitrati sunt, mecum esse, mecum pati, mecum per casus omnes usque ad finem perseverare.

2. Et profecto, fili, quid est boni in terra, quod non inveniatur in sufferendo mecum?

Hic est vera gloria: gloria, quæ ambitione divina digna fuit: gloria, quæ non transit cum hoc mundo: gloria, quæ permanebit et exaltabitur in omnem æternitatem.

Hic est thesaurus absconditus, cujus pretio emitur regnum cœlorum cum tota ejus beatitudine interminabili.

Hic est pura delectatio, sensus omnes superans. Si enim ad hoc pertingis, ut mecum pati gaudeas, spiritualem possides deliciarum paradisum in terra.

3. Dum omnia secundum naturæ inclinationem fluunt, ac nulla tribulatio cor premit, solet homo creaturis adhærere, parum ad me reflectere, de rebus æternitatis ægre se occupare.

Cum autem adversis laborat, aut urgetur afflictione, revertitur ad cor suum; observat, quam vanæ, quam caducæ res hujus mundi sint; recurrit ad me, quem sibi maxime necessarium esse experitur.

Idcirco, fili, benigna Cordis mei Providentia facere consuevit, ut, qui bonis hujus mundi affluunt, illis non fruantur sine gravamine, quo faci-

lius et efficacius ad bona mundi futuri quærenda excitentur.

Si enim quietam inturbatamque felicitatem in rebus mundanis haberent, forsitan ne cogitarent quidem de cœlestibus rebus comparandis.

Itaque misericorditer fit, ut abundent mala in mundo, ne mundus ametur, ne pereant fautores ejus.

4. Ut ignis consumit rubiginem, aurum vero purificat, sic dolores mortificant et exanimant passiones, virtutes autem puriores reddunt et pretiosiores.

Per tribulationes bene toleratas redimis peccata tua, fili, et, pro iis pœnis, quæ tibi adhuc debeantur, divinæ justitiæ satisfacis: adeo quidem, ut hic possis habere leve consolansque purgatorium, ex quo per mortis januam ad æterna gaudia volare merearis.

Quid est, quod magis mereri facit, quam bono corde pati? Ecce enim momentaneæ et leves tribulationes æternum gloriæ pondus operantur.

Unaquæque afflictio novam coronæ tuæ cœlesti gemmam addet, quæ tot radiis fulgebit, quot in illa virtutis actus elicueris.

Inter adversa homo a multis præjudiciis erroribusque liberatur, et eruditur in rebus plurimis. Beatus, qui in schola tribulationis doctus fuit ad omnia sapere!

Quid novit, qui nihil adversi expertus est, nihil exterius atque interius pertulit? Et ad quid sibi aut aliis consilio vel directione prodesse potest?

5. Itaque, fili, ne animo deficias, cum tribularis aut a me corriperis. Quem enim diligo, illum

ut formem, amanter corripio, et in illo, quasi pater in filio, mihi complaceo.

Merito igitur in patiendo gaudere deberes, cum inde argumentum habeas dilectionis meæ erga te, et signum amoris Cordis mei paterni.

Vix reperitur quidquam, quod majorem erga Cor meum fiduciam, et accessum ad illud liberiorem parit, quam libenter pro me pati.

Quando moriturus es, fili, de nulla re vitæ præteritæ securius gaudebis aut consolationem habebis tutiorem, quam de suavissima memoria, te mecum fuisse multa passum.

6. Plurimi humiliationis viam et afflictionis evitare student, obtendentes, se melius posse et glorificare Deum et proximum juvare, speciosiore via.

Quanta illusio! seipsos enim, vel inconsideranter, quærunt, non Deum neque proximum. Dei namque gloria et proximi salus promovenda est, non secundum hominis sed Dei beneplacitum.

Deus autem ostendit Filio suo rationem glorificandi in terris Majestatem suam, ac salvandi mundum perditum. Atque hanc rationem Filius secutus est patiendo, et patiendo manifestavit hominibus.

Tu, fili, hanc sequere viam, a me tritam et tibi monstratam. Quam ut tenere valeas, ora frequenter, ora ferventer.

Orans autem, devote perpende omnigenos dolores meos, atque in illis dispositiones Cordis mei prorsus supernaturales.

Noli consultare inclinationem mere naturalem, aut sensum pure humanum: sed surge supra hæc sensibilia per supernaturalia principia, hisque tribulationes intuere, tamquam a divina voluntate missas, et affectu, quantum vales, amplectere.

Agedum, fili, erige cor tuum. Ecce me et omnes Sanctos mecum per viam tribulationum alacriter incedentes. Aude sequi. Mecum nihil metuendum: societas est bona: via tuta: terminus certus: merces æterna.

7. *V. D.* O Domine Jesu! quis ad te sequendum non accendatur? quis corde non ardeat, cum ista loqueris de via?

Sed aliud est a te inflammari, aliud te sequi: aliud est meditari, aliud operari: aliud denique virtutem cognoscere, aliud virtutem exercere.

Amorem enim humiliationum, virtutem maxime excellentem agnosco, mente admiror, corde etiam amo: cum autem occasio eam actu exercendi venit, ecce subito me agitat proprius amor, obtenebratque me latens superbia, mille excusationes, mille rationes speciosas obtrudens.

Sic misere mecum pugno, dum occasio aliquid pro te patiendi avolat, et, quod me pudore suffundere debet, sæpe mihi gratulor, si ex pugna non acceperim vulnus.

O benignissime Jesu! propitius aspice, quæso, hanc magnam miseriam meam: et misericorditer præsta, ut per gratiam tuam efficiam quod efficere non valeo per meam fragilitatem.

Magna est debilitas mea, magna vis repugnantis naturæ, quæ vel solam humiliationis dolorisve cogitationem horret.

Ratio autem, quare tam debilis sim aut languidus, ut naturæ contraire non possim, hæc est, quia te non satis diligo.

O dulcissime Jesu, si te amarem, sicut Sancti tui, quam facile mihi, quam suave etiam, de naturæ repugnantia triumphare!

Hanc igitur singularem, precor, da mihi gratiam, ut amore te diligam perfectiori, amore forti ac generoso, qui me, vel reluctante natura, per omnia rapiat post te, Jesu, vita, dulcedo, beatitudo mea.

Imit. Chr. Lib. I. c. 12. *et Lib. III. c.* 47.

CAPUT QUINTUM.

Quomodo nos ipsos, exemplo Sacrosancti Cordis Jesu, in afflictionibus divinæ voluntati conformare debeamus.

1. *V. J.* Fili, jam mundum illuminaveram doctrina, amore inflammaveram, dono totius mei perpetuo quadamtenus beatificaveram: nihil restabat, nisi ejusdem amoris excessu, extrema patiendo, omnia tandem complere.

Egressus itaque e cœnaculo ibam quo me voluntas Patris mei vocabat, quoque ideo me propellebat Cordis mei affectus: ad montem Olivarum.

Pensa, fili, quid Corde sentirem, dum silente nocte ibam, distincte videns omnia et singula Passionis meæ tormenta in me ruentia.

Dolorosum iter! iter ineffabilibus Cordis ærumnis et angoribus repletum! Ibam tamen fortiter, quia divinum sequebar beneplacitum.

Quemadmodum per totam vitam, ita nunc in doloribus undique ingruentibus, Cor meum divinæ voluntati unitum, generose et amanter amplectebatur adversa, tamquam a voluntate Patris cœlestis data.

2. Sic, fili, et tu, cum pateris, ne afflictiones in seipsis inspicias; sed leva oculos tuos et voluntatem aspice divinam, illas ad bonum tuum

tibi mittentem, etiamsi tu illas ad tuum bonum esse non videas.

Profecto, fili, præter peccatum, nihil fit sine voluntate divina. Quidquid autem, culpa excepta, evenit, non malum sed bonum est, cum a voluntate essentialiter recta veniat, mediumque sit divinitus electum, ad hominem sanctificandum.

Divina quippe voluntas, quæ ab infinita Sapientia regitur, a Potentia infinita sustentatur, ab infinita Bonitate movetur, omnia quidem, quæcumque vult, efficere valet, nihil autem absolute velle potest mortalibus, nisi quod mortalibus bonum est.

Cum vero creaturæ, quidquid etiam perverse moliantur, voluntatem erga te divinam impedire nequeant; quotiescumque aliquid, quod peccatum non sit, quoquo modo tibi accidit, id ex voluntate divina tibi accidere tibique bonum esse constat.

Peccatum autem, pro infinita Sanctitate sua, Deus velle non potest: potest tamen, pro infinita sua Providentia, permittere, atque permittit, tum ne liberum homini arbitrium auferat, tum ut via, in altero mundo videnda et admiranda, extollat perfectiones suas.

Novit enim infinite perfectus ex malo eruere bonum: ac melius judicavit, eruere bonum ex malo, quam malum posse esse, non permittere.

3. Fili, alia accidunt, quæ vitare non potest homo, verum sive velit sive nolit, perpeti tenetur.

Beatus, qui in istis accidentibus se divinæ voluntati resignat ac conformare nititur, ut voluntatem suam divinæ uniens, non jam necessitate sed sponte patiatur! Ex hac enim voluntaria resignatione non meritoriæ solum, sed leviores etiam fiunt tribulationes.

Utinam hoc bene intelligas, fili mi, ut, cum hujusmodi afflictiones occurrunt, per culpandam voluntatis tuæ repugnantiam non abjicias omne meritum, miseriamque miseriæ addas! Quid autem tam miserum in hac vita, quam numquam velle quæ semper erunt, et semper nolle quæ numquam non erunt?

Eveniunt alia, quæ effugere quis non potest, sine peccato; ita ut vel ea tolerare, vel reatum incurrere debeat.

O quam insipienter, quam indigne se gerunt illi, qui, ut ab ærumnis liberentur, fugere ad illicita media non dubitant! Itane decet uti portione calicis mei, quæ vere divinum est donum, quæque prius non mittitur, quam a Corde meo gustata et temperata fuit?

Alia denique contingunt, quæ homo declinare sine culpa potest. Ea tamen, quando nulla virtus prohibet, ex animo amplecti, secundum divinum beneplacitum est.

Fili, si verus Cordis mei discipulus fueris, harum occasionum nullam elabi sines: sed cor tenens semper paratum, opportunitatem hujusmodi sine periculo te humiliandi aut mortificandi occurrentem, tamquam munusculum a me accipies, eoque affectuosius amplexaberis, quod, cum ibi natura partem habeat nullam, ac cor tuum solo beneplacito meo moveatur, purum amorem erga me exhibere valeas.

Ferventes Cordis mei discipuli, occurrentibus non contenti, ultro quæritant occasiones aliquid pro me patiendi, seque mihi conformandi; sciunt enim, me in hac similitudine, veluti amoris testimonio perfecto, mihi maxime complacere.

4. Sunt qui mente et corde semper in præterito vel in futuro versantur: qui aut causis circumstantiisque malorum, sibi quondam illatorum, recogitandis toti sunt immersi; aut a longe salutant adversa futura, præsentia vero studiose declinant.

Isti quantum miserandi! cruciantur enim præteritis, futuris illuduntur.

In imaginatione multum sustinent, multum moliuntur: in veritate miri tortores sui, rerumque vani speculatores.

Quot illorum sibi proponunt aliquando pati fortia, interea autem nec facilia bene tolerant!

Cave, fili, ab imaginaria perfectione, quæ amorem proprium tegit, totaque illusio est.

Utere præsenti, omnem virtutis arripe occasionem quantumvis parvam: magna raro, parva sæpe occurrunt: ac parva bene tolerata ad magna disponunt.

5. Fili, si in omni eventu divinam intueris voluntatem meam, non attendes, per quem tibi veniant adversa, num per Superiorem, per æqualem, an per inferiorem; utrum per bonum, an per malum: sed indifferenter accipies, unice spectans voluntatem divinam, quæ ad sanctissimos fines suos variis utitur instrumentis.

Ad infirmitatem tuam adjuvandam: primum, in adversis subeundis resigna teipsum usque ad patientiam: ac licet pati non ames nec gaudeas, perferenda tamen tolera, sine cordis acerbitate, sine oris murmuratione.

Omnibus, quæ sunt in potestate tua, utere mediis, iisque tamdiu insiste, donec in tribulationibus ordinarie occurrentibus divinæ voluntati resignatus ac patiens esse consueveris.

Primum gradum adeptus, conforma te meæ voluntati in omni afflictione tua: eam volens, quia ego volo; ab ea liberari nolens, quamdiu ego nolo te liberari.

Ad hoc autem attingendum multum orare debes, ut intellectus desuper illuminetur, ac voluntas juvante gratia se mihi per rationes supernaturales solide conformet, ita ut fide et amore persuasum habeas, nihil esse divina voluntate melius.

Secundum assecutus gradum, ad summum nitere. Totis conare viribus ita te divinæ voluntati unire, ut ei in adversis patiendis conformis, imo uniformis esse gaudeas.

Tunc autem, fili, hæc voluntatum unio inter nos erit, cum cor tuum iisdem ac meum sensis erga crucem animatum, uniformitate cum divino beneplacito lætum erit, quemadmodum meum.

Magna res, vera perfectio, solida sanctitas, hæc voluntatum unio. Purus amor solus hanc sanctam parit unionem, quæ existere non potest, quin hominem attollat, nobilitet, beatificet.

6. Fili, si amas me, etiam meam voluntatem amabis. Sufficit amanti, amati desiderium cognoscere, ut illud corde gaudenti exequatur.

Eia, charissime, toto cordis affectu amplectere divinum beneplacitum, sicque proba, te verum esse Cordis mei discipulum, non tui sed mei amatorem.

Ita age, ita vive, ut in te reperiam hominem secundum Cor meum, qui faciat omnes voluntates meas, cum in prosperis tum in adversis.

7. *V. D.* Optime et dulcissime Jesu, cujus unica vitæ regula fuit divina voluntas, ecce per gratiam tuam statuo, usque conari hanc tutissimam simul et rectissimam sequi regulam.

Quantumvis igitur natura repugnet, volo tamen pati quidquid volueris mihi accidere, per quamcumque creaturam visibilem aut invisibilem. Nihil nisi bonum venire potest ab infinite bono Corde, quo me magis meliusque amas, quam ego meipsum amo aut amare possum.

Et scio, Domine, nihil mihi fore patiendum, quod prius non transierit per ipsum Cor tuum atque ita dulcescat.

Quodsi vitiosa inclinatio rebellet, tentetque ad se trahere voluntatem tuam, ostende, quæso, potentiam tuam: insolentem hostem in servitutem redige, ne porro insurgat.

O amantissime Jesu, ignis consumens quod vitiosum est, non lædens quod bonum est: flamma suaviter ardens, et desolans feliciter, desolare in me omnem malam et inordinatam voluntatem: accende et fove voluntatem bonam ac rectam, quæ se reputet beatam, cum divinum beneplacitum tuum per omnia, etiam adversa, sequitur.

Imit. Chr. Lib. II. c. 2. et Lib. III. c. 17.

CAPUT SEXTUM.

Quod Sacrosanctum Cor Jesu nos in afflictionibus ad orationem recurrere doceat.

1. *V. J.* Fili, cum jam pervenissem in hortum Olivarum, terra late silente, ecce occurrerunt instabantque, hinc omnia peccata mundi, illinc Passionis tormenta terrifica: ac simul Cor meum tanta premebant vi, ut licet omnium debilium esset fortitudo, cœperit pavere, tædere, tristari, mæstum esse.

Cum vero cernerem, tantis doloribus amore tanto susceptis, tantaque misericordia ad salutem hominum omnium oblatis, non paucos salvari recusaturos, atque per voluntariam obstinationem ad graviorem ruinam suam abusuros, mihique tandem nihil nisi maximum crimen ingratitudinis reddituros esse: tum, fili mi, Cor meum angore deficiens, coëgit me exclamare: Tristis est anima mea usque ad mortem.

Verumtamen avulsus a Discipulis et progressus pusillum, positis genibus orabam.

Interea doloribus, ex conflictu inter superiorem Cordis partem et inferiorem, crescentibus eo, ut sudor factus sit sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram, procideremque in faciem meam, factus in agonia, orabam prolixius.

Cum autem agonia ex illa interiori pugna duraret, ego perseverabam orare: Pater, si vis, transfer calicem istum a me; verumtamen non mea voluntas sed tua fiat. Etiam, Pater mi, fiat voluntas tua!

Tunc, fili, de cœlo missus, apparuit Angelus, non ad tollendum Passionis calicem, quem penitus ebibere me volebat Pater cœlestis, sed ad me confortandum, ut, proposito mihi gaudio sine Passione, voluntarie sustinerem crucem, confusione contempta.

Recogita, fili mi, quam dolorosum certamen illa nocte sustinuerit Cor meum: certamen, cui simile non est aliud: certamen, a cujus exitu pendebat salus mundi.

Certavit Cor meum, nitens, luctans, resistens usque ad sanguinem, et vicit: vicit autem in oratione.

2. En, fili, en tibi fons multiformis consolationis, Cor meum agonizans et orans, amore confligens, amore triumphans.

Ecce enim, quousque perpessionum difficultatem senserim, quousque amaritudinem gustaverim. Et hæc ad instruendum, et levandum, et animandum te, fili mi.

Ne igitur animo cadas, ne etiam mireris, cum ad patiendum experiris repugnantiam. Si enim Cor meum, sanctum licet ac perfectum, dolores usque adeo sensit, quid mirum, si illos sentiat et cor tuum?

At numquam experieris, numquam senties, quantum sensit Cor meum. Si omnia tibi per totam vitam patienda sustineres corde simul, non nisi guttula foret calicis mei, quem in horto Cor meum exhausit.

Quamcumque tamen reluctationem in te reperias, sequere exemplum meum: reluctanti naturæ ne cedas, sed contraito.

Ad hunc finem in omni difficultate, in omni angustia, sine mora ad orationem propera.

3. Si, dum tribularis, ad orationem recurris, tibi semper lucro erit tribulatio. Per orationem aut ab illa meritorie liberaberis, aut ad illam meritorie tolerandam juvaberis.

Veni itaque, fili, et positis genibus vel corde saltem funditus demisso, ora sicut ego: ora, ut, si divina voluntas ferat, transeat a te calix afflictionis tuæ; verumtamen non tua, sed divina fiat voluntas.

Ora, ut, si non possit transire calix iste, obtineas gratiam, qua te resignes, qua te conformes ad bibendum illum.

Macte animo, fili, nulla umquam occasione ha-

bebis afflictiones, ad quas te resignandum oportebit te tantum certare, quantum ego certavi. Nullum umquam tibi erit certamen, quod coget te sudare sanguinem.

Quidquid difficultatis senseris, etiam tu nitere, luctare, pugna tecum, ut sensum superes. Iterum iterumque certans, ora et prolixius ora, donec cor tuum divinæ voluntati conforme reddideris paratumque, invita etiam natura, me per omnia divinitus disposita sequi.

4. Magnum tibi malum est, fili, te solere tardius ad orationem recurrere, prius humanam industriam tentare, permittere etiam perpetuum salutis tuæ inimicum et inordinatam naturæ inclinationem nimio imperio in corde tuo potiri.

Noli auscultare diaboli aut passionis cujuscumque suggestionibus. Falsis quippe rationibus te decipere, te lædere quærunt. Verum omni ratiocinatione, omni commercio cum illis interdicto, veni quam primum ad Cor meum: hic consilium, hic auxilium, hic solamen.

Etiamsi Angelus e cœlo visibiliter mittendus foret, non linqueris sine juvamine consolatorio, si, ut oportet, oraveris.

Quodsi, invitis piis conatibus tuis, repugnantiam in te sentire pergas, ne idcirco te desoleris. Dummodo voluntas tua divinæ voluntati se resignet, ista repugnantia sensa quidem sed non volita, non tantum tibi non nocebit, sed contra, si reniteris, etiam plurimum proderit.

Heroici discipuli Cordis mei est, orare et conari totis viribus, ut seipsum penitus superet, cum in iis rebus, a quibus natura inordinata abhorret, tum in iis, ad quas illa propendet.

5. Cum oras in afflictione, fili, ita facere debes orationem, ut resignatus esse velis, sive liberationem obtineas, sive, hujus loco, quid aliud, tibi melius, quia conforme divinæ voluntati, impetres; sive gustes dulcedinem, sive amaritudinem experiaris.

Non enim illa oratio optima, in qua maximæ sentiuntur consolationes: nam dulce non semper est utile, nec amarum semper nocivum. Imo vero in statu hominis præsenti, dulcia nocere, prodesse amara consueverunt.

Ea optima oratio, ex qua cum majori humilitate ac majori charitate egrederis, ita dispositus, ut, ad exequendum divinum beneplacitum quodcumque, efficaciter velis omnibus naturæ placentibus contraire, et amplecti naturæ displicentia omnia.

Quam miserandum spectaculum Deo, et Angelis, et hominibus, videre quosdam, qui quotidie diu multumque orant, et inde abeunt, nihil aliud reportantes, quam vel culpas negligentiæ et abusus gratiæ, vel delicatiorem superbiam et amorem proprium, ad officia sua non melius dispositi, non valentes proximi supportare defectus, proprias inclinationes frangere nolentes!

Tu, fili mi, ora melius, quemadmodum exemplo meo doceris. Ora et naturam supera: ora et teipsum divino beneplacito resigna et conforma.

Non diu opus erit arduis istis conatibus. Adhuc modicum, et non jam ad tribulationes te præparabis, neque jam in illis te animabis: sed lætos ac gloriosos concines triumphos cum Sanctis, qui omnes venerunt de tribulatione magna, et nunc remunerati, in perpetuum gaudiorum excessum rapiuntur, et exultant in æternum.

6. *V. D.* Gratias tibi, piissime Jesu, verum tribulatorum solatium, gratias tibi; quia me tam gratuito tamque suaviter consolaris in repugnantiis, quas ad patiendum sentire soleo, et quia tantis expensis tuis mihi fontem remediorum in omni afflictione aperuisti.

Ecce enim ex illis, quæ pati tam misericorditer dignatus es, maxima cum consolatione video, reluctationem naturæ nocere non posse bonæ voluntati, quæ sola a te respicitur, et cui soli a te pax in terra datur.

O Domine! mortalium consolatio, et lætitia Angelorum, qui afflictus ad orationem confugisti: concede mihi, precor, ut imitans exemplum tuum, in omni tribulatione statim curram ad orationis remedium, ut naturæ repugnantias sacrificem, ac divinæ voluntati me resignem et conformem.

Cor tuum, optime Jesu, omnium miserorum est refugium, apertum et tutum: aspice, quæso, infirmitatem meam: excita me, move me, ut in omni difficultate, in omni eventu ad illud refugiam, ibi auxilium inveniam, inde animum et vires reportem.

O dulcis Jesu, amor meus et omne bonum meum, oro et obsecro te, hanc mihi largire gratiam, ut semper et ubique in divina voluntate quiescam tecum, ac ita perseverem tecum in æternum.

Imit. Chr. Lib. III. c. 16.

CAPUT SEPTIMUM.

Quomodo Sacrosanctum Cor Jesu nos in tribulationibus opem creaturarum adhibere doceat.

1. *V. J.* Fili, cum surrexissem ab oratione, sequens Patris mei coelestis beneplacitum, veni ad Discipulos meos tum ut te exemplo docerem, tum etiam ut in extrema affectione levamen aliquod per illos obtinerem.

Sed heu! ipsos inveni gravatos tristitia, et somno sopitos, ita ut experrecti, nedum me possent levare quidquam, sed ignorarent, quid dicerent, magisque indigerent ipsi accipere solatium, quam dare valerent.

Amaritudo amarissima Cordi meo, fili, videre illos ipsos, quos magis quam paterna cura institueram, quos tanto foveram amore, quos toties confortaram, nunc in Passione mea adeo indifferentes, adeo negligentes, ut ne una quidem hora vigilare mecum possent.

Ubi nunc illa promissa nuper ab ipsis facta, se fore mihi ad mortem usque fideles? ubi fides data? ubi constantia tam solemniter asserta? Omnes fugerunt: sed transierunt per Cor meum: et oh! quam graviter illud vulnerarunt!

Attamen cum patiens, ad ipsos non adirem nisi ex voluntate Patris, ita dolores, qui recursum ad ipsos sequebantur. Corde resignato amplexus sum juxta idem Patris beneplacitum.

2. Non est igitur prohibitum, fili, in rebus adversis ad creaturas recurrere, dum debito recurratur modo.

Recurres autem modo debito, si creaturas tantum convenias, ut media, facilius perfectiusque te divinæ voluntati conformandi et uniendi.

Perfectiorum Cordis mei discipulorum est, pati, atque suum pati, quantum licet, omnes celare mortales, mihique soli cordium suorum afflictiones aperire et intime communicare.

Tu autem, fili mi, si nondum tantæ perfectionis apicem attingere vales, ito, oratione prius facta, ito ad pium interioremque hominem, non quidem ut ab eo consolationem sensibilem accipias, verum ut leveris et adjuveris, ad melius veniendum ad Cor meum, veræ consolationis fontem, mihique potius quam cuilibet consolationi adhærendum.

Profecto, si recte sapis, hæc tibi semper maxima consolatio esse debet, adhærere mihi. Unitus enim mihi, etiamsi omni alio solamine careas, super Cor meum dulciter quiesces. Et quid hoc dulcius? et quid securius?

3. Quotiescumque in tribulationibus tuis consilio aut directione indiges, vel periculo hallucinationis exponeris, noli tibi soli fidere, ne erres proprio sensu, neve specie boni decipiaris.

In istis enim præcipue rebus ducere hominem per hominem consuevi, cum ut ordo divinæ Providentiæ meæ clarius eluceat, tum ut homines se invicem magis diligant, experientes sibi solos non sufficere, sed indigere alterum alterius auxilio.

Qui autem in istiusmodi circumstantiis sapientiores sibi sunt, quam ut ab aliis se dirigi sinant, periculosum exitum habere solent.

Aliquando vero non consilii tantum ad securitatem, sed præcepti est ad obligationem, recursum ad media creata habere.

Sapientissime simul et optime constitutum est et ordinatum, ut juvetur homo reliquis creaturis, quæ ad ejus verum bonum factæ sunt: modo scilicet ut illis ad virtutis exercitium abstineat, modo ut illis exerceatur ad salutem aut perfectionem, modo ut illis tamquam mediis utatur.

Mirabilis divina Providentia in omnibus operibus suis. Omnia serviunt ei: si diligis me, fili, servient et tibi.

4. Cum autem oportuerit creaturis tamquam mediis uti, usus hic diligenter curandus, exitus vero ita expectandus, ut quocumque modo res evenerit, divinæ voluntati resignatus sis.

Adhibita enim, quæ sufficiat, diligentia, exitus, quisquis fuerit, tibi signum erit divini beneplaciti.

Nonnumquam inspiro consilia, in quorum executionem fortiter ac constanter incumbere volo homines, quorum tamen nolo successum. Quo in casu duplex obtinent lucrum; hinc meritum laboris ad prosperam executionem, illinc meritum resignationis in exitu adverso.

Si rerum tuarum aliqua finem infelicem per culpam tuam sortita sit; dole culpam, pœnam autem infortunii patienter accepta et suffer volenter. Etenim culpa quidem contra meam voluntatem, pœna vero culpæ secundum voluntatem meam est: ideoque culpa dolenda et detestanda, pœna autem amplectenda est et amanter subeunda.

Quodsi quid adversi eveniat culpa aliena, etiam in hac tribulatione resigna teipsum, nec patientiam nec pacem cordis amittas.

Si enim permitto rei alicujus successum, aliorum culpa, tibi impediri, hoc ipso volo, te non habere prosperum exitum. Et quemadmodum cul-

pam permittens, eam odi, et simul negotii tui adversum exitum volo: sic tu, ex simili cordis dispositione, culpam illam abominare, exitum autem adversum amplexare.

5. Fili mi, si cor tuum bene dispositum esset, in omni rerum eventu mihi resignatus fores, et sic ex unoquoque novam margaritam ad cœlestem coronam tuam ornandam colligeres.

Magna sane et supernaturali discretione opus est, ad rectum creaturarum usum: quamvis enim bona intentione illas adhibere quis incipiat, facile implicari et delinquere potest.

Orandum itaque, et gratiæ lumen ac juvamen implorandum, ut liber maneas, nec deficias creatorum mediorum neglectu, neque in illorum usu excedas.

6. *V. D.* O Jesu, primum et ultimum refugium cordis afflicti! quid consolationis dare possunt omnes creaturæ simul, si deest unctio dulcedinis Cordis tui?

Quoties enim, per aliquam inordinatam inclinationem aut rationem quamcumque voluntati tuæ contrariam, creaturas adivi afflictus, vel quæsivi consolationem ab illis, profundius afflictus et desolatus redii.

Hoc autem ex Cordis tui bonitate factum est ita, ut fortunate premerer ac compellerer quodammodo redire ad te, dulcedo infinita, et afflictum cor meum effundere tibi, qui semper prope es tribulatis corde, et qui solus potens es veram dare cordis consolationem.

Gratias tibi, optime Jesu, propter magnam illam Cordis tui benignitatem, qua tam misericorditer et tam salutariter egisti mecum.

O Domine, illuminatio mea et salus mea! intellectum meum irradia, ut in creaturarum præsentia te unice respiciam: affectum purifica, ut in illarum usu te semper amem: concede, ut ab omnibus liber, in te solo quiescam.

Dirige me Spiritu tuo, Domine Jesu, et fac me sic uti rebus creatis, ut tibi placeam, sic transire per mala temporalia, ut obtineam bona æterna.

Imit. Chr. Lib. I. c. 10. *et Lib. III. c.* 26.

CAPUT OCTAVUM.

Quomodo, ad exemplum Sacrosancti Cordis Jesu, oppositiones insectationesque hominum pati debeamus.

1. *V. J.* Charissime, venerat nunc hora, qua Filius hominis in manus peccatorum traderetur.

Ecce Judas Iscariotes, unus ex duodecim Apostolis, et cum illo turba multa cum laternis et instrumentis, cum fustibus et gladiis.

Et ille antecedebat dux persecutorum: accedens autem corde simulato: Ave, Rabbi, inquit: statimque me osculatus est, et ita me illis prodidit.

Ego autem sciens omnia, quæ ventura erant, miserrima sorte infelicis Discipuli et turbæ vehementius, quam proprio dolore meo cordicitus afficiebar.

Ergo tentare extrema cœpi, nihilque intentatum relinquere, ad ipsorum corda emollienda et lucranda.

Injuria penitus absorpta, amico vultu, Corde

amiciori Apostolum istum dulciter compellans: Amice, aio, ad quid venisti?

Cor tantæ bonitati insensibile, ut ad se reverteretur, suaviter simul et fortiter urgens, eique criminis, mihi noti, enormitatem cogitandam suggerens: Juda, inquam, Juda, osculo Filium hominis tradis?

Cum non attenderet salutarem hanc vocem meam, at contra obduraret cor suum, tum demum recurrebam ad omnipotentiam, ita tamen ut libero ejus arbitrio non nocerem.

Ecce nunc miraculo, solo vocis sonitu, quasi fulminis ictu, perfidum Discipulum totamque ejus turbam humi prostravi, mittens simul ad cor ejus gratiam potentem. Motum est cor illud ferreum, sed motioni noluit obsequi: gratiam sensit, sed ei consentire noluit.

2. Fili, si meditando capere aliquatenus possis, quanto amore Cor meum illos, a quibus hæc talia recipiebam, prosecutum esset omni tempore, ac novis semper beneficiis cumulasset, videbis ineffabiles fuisse dolores, qui tamquam torrentes Cor meum inundabant et obruebant.

Cum simile quid accidit tibi patiendum, ne cadas animo, fili: sed exemplum, quod tibi dedi ad instructionem tuam ac solatium, animet te et consoletur.

Amen dico tibi, fili, in mundo pressuram habebis: sed confidito et nolito timere, quia ego tecum.

Memento sermonis mei: Non est servus major domino suo.

Si me persecuti sunt, quid mirum, si et te persequantur?

Si odit te mundus, recordare, quomodo me priorem odio habuerit.

3. Hoc scito, fili, quamdiu Cordis mei discipulus fueris, ita ut mundum abhorreas et placita ejus, inimicum istum malignum adversaturum esse tibi.

Tuam agendi rationem hypocrisim, singularitatem, aliudve clamabit vitium.

Modo se miserere tui finget: modo te palam ludibrio habebit.

Quando solitudinem petis, melancholiæ aut tetricitatis te accusabit: si in publico compares, virtutes in te nigrare laborabit, defectus autem vel supra modum exaggerabit, vel ad perniciem tuam illis adulabitur.

Si, pro charitatis tuæ zelo, saluti mundi allaboras, plerumque insensibilem reperies indifferentiam, vel ingratitudinis acerbitatem recipies.

Hæc et similia erga te facient mundi sectatores, non aperti solum, sed etiam occulti; non ii tantum, qui virtutem palam persequuntur, verum et illi, qui pietatem vereri specie quidem videntur, re autem vix aliter quam ipsi mundani judicant.

Ecce, fili, talia prædixi tibi, ut cum facta fuerint, reminiscaris sermonis mei, utque exemplo meo animatus, in bono proposito firmiter stare, affligentibus te compati, pro ipsis orare, zelare etiam salutem ipsorum valeas.

Profecto miseri isti omni commiseratione digni, sibi potius quam tibi nocent.

4. Fili, hoc in vita tua expectare debes, frequenter experiri, homines tibi adversari, et illos ipsos, qui pro te erant, mire mutatos, esse contra te.

Caveto igitur ab hominibus, ne illis innitaris faventibus, neve adversantibus illis turberis.

Si libero ac puro corde te erga omnes gesseris, multo facilius utiliusque, ipsis te tribulantibus, mihi te resignabis, pacemque custodies, et meritum lucraberis.

Vade, fili mi, et habita ubi volueris inter mortales: ubique reperies qui patientiam tuam exerceant.

Licet non nisi inter devotos versareris; licet etiam Viveres inter personas a mundo segregatas, mihique corpore et anima consecratas, nec ibi securus esses ab adversariis.

Si inter duodecim Apostolos meos fuit, qui persequeretur me, noli mirari, si inter illos, qui piam vitam profitentur aut statum religiosum, reperiantur, qui te insectentur.

5. Imo, fili, imo, omnes, qui volunt internam vitam pie vivere, persecutionem patientur. Interiori namque et pio Cordis mei discipulo numquam deest persecutio.

Et sane persecutio est multiplex, quemadmodum multiplex martyrium.

Est enim inimicorum persecutio, atque amicorum: hostium visibilium est persecutio, est et invisibilium: persecutio malorum est, et bonorum.

Ita martyrium est fidei, est et charitatis: est martyrium corporis, est etiam animæ: magnum denique cordis est martyrium.

Fili, si perfectus Cordis mei discipulus fieri velis, aliquo modo martyrem esse te oportet.

Quatenus enim hujusmodi discipulus, Sanctorum socius es. Vide igitur turbam magnam, quam dinumerare nemo potest, stantem ante divinæ Majestatis thronum cum palmis, martyrii symbolis, in manibus eorum.

Licet enim non omnes Sancti fuderint sanguinem, omnes tamen passi sunt, ut pervenirent ad palmam alicujus martyrii.

6. Sed adverte, fili, neminem vere martyrem voluntate propria sibi eligere suum martyrium, at illud subire, quod divinitus aut inspiratum aut præsentatum est.

Istud ergo tuum crede martyrium, quod in statu, in officio, in circumstantiis, in quibus te divina Providentia locavit, oblatum ab ea tibi habes.

Ut occasionem martyrii nanciscaris, non opus est ad infideles barbarasque gentes te conferre, aut Ecclesiæ persecutorem expectare palam furentem.

Insectatur te mundus; homo te affligit: unus te prodit; subsannat aut irridet alter: hic te humiliat; ille tibi adversatur: natura corrupta, aut inordinata inclinatio tibi reluctatur: aliquid aliud tibi causa doloris est: en, fili, en persecutor tuus.

Invita oblocutione hominum et oppositione, invitis illorum dicteriis et vexationibus, generose ac fortiter religionis præcepta servas et regulas, colis virtutem, pietatem exerces: en fidei tuæ martyrium.

Oras pro persecutoribus tuis: proximos, etiam male erga te dispositos, vel repugnante natura diligis et adjuvas: salutem eorum zelas, preces, laboresque et dolores pro illis offers: en tibi martyrium charitatis.

Morbus te cruciat: ex capite, pectore, membrisve doles: labor durus te conficit: en corporis tibi martyrium.

Interiores pateris angores: torquentes tentationes experiris; aut ea, quibus amor divinus utitur ad animam absolute purificandam aut perficiendam: en tibi animæ, en tibi cordis martyrium.

Sed memento, fili, eorum, qui usum rationis adepti sunt, non valere martyrium invitum, nec qualicumque causa vel ratione toleratum, sed libenter, aut resignanter, aut certe patienter amore divino esse subeundum. Non sufficit ergo pati, sed voluntarie amore mei pati te oportet. Mortuum est enim aut inane martyrium, quod divino amore non animetur.

Ecce, fili, multiplex tibi offertur corona, quam millia mortalium ex omni conditione ac statu ambierunt, quam tot pueri et puellæ reportarunt exultantes: nonne et tu illam affectare et obtinere vales et vis?

Aspice cœlum: gloriam Sanctorum contemplare et beatitudinem: illos fratres esse tuos et sorores memento: animum erige, coronam tibi compara et palmam, ut inter ipsos admitti possis.

7. *V. D.* O mihi dulcissime Jesu, Princeps et Coronator Martyrum, mortalium Consolator! miser ego frequenter experior homines mihi adversantes, idque sæpe graviter sentio.

Si tamen sincerus esse velim, confiteri cogor, non esse quod querar: ego enim hominum infimus et omnium maxime ingratus, secutus sum Judam et turbam ejus adversum te, Domine Deus meus.

Hinc vere dignus sum, fateor, qui ab omni creatura abhorrear. Hinc usquequaque indignus, qui a te diligar aut inter sanctos Cordis tui discipulos admittar.

Verumtamen cum Cor habeas usque adeo bonum, ut etiam Judam admittere desideraris, et omnia tentaris ad lucrandum ipsum; quomodo diffidere vel timere possim! quanta econtra mihi

spes esse debet ac fiducia, fore, ut me quantumcumque miserum non repellas ad te venientem, sed misericorditer accipias et adjuves!

Fretus itaque Cordis tui bonitate et gratia, statuo præteritam infidelitatem meam amore constanti compensare, subire pro amore tui martyrium mihi gratiose oblatum, sic denique me sanctificare ad æternum Cordis tui gaudium et gloriam.

Imit. Chr. Lib. III. c. 19.

CAPUT NONUM.

Quomodo ferenda sit, ad Sacrosancti Cordis Jesu exemplum, personarum vel maxime utilium aut etiam necessariarum desertio.

1. *V. J.* Fili, cum accessissent turbæ, et in me manus injecissent, ecce Discipuli fugerunt omnes, ac me solum inter hostes reliquerunt.

Hi sunt, fili, quos elegeram; quos omni cura, sollicitudine, Cordis amore educaram; quos dixeram amicos et filiolos; quibus omnia, quæ audiveram a Patre meo, nota feceram.

Hi sunt illi ipsi, qui paulo ante similiter omnes protestati erant, etiamsi oportuisset se mori mecum, se me non esse negaturos.

Nunc autem, cum esset potestas tenebrarum, et tempus probationis, obliti mei, Salvatoris et Patris sui, omnes filii desertores facti sunt.

Considera, filii, quam graviter Cor meum vulneraverit hæc Discipulorum meorum derelictio.

Attende etiam et meditare, quibus Cordis sensis tantam afflictionem toleraverim.

2. Hæc Cordis mei sensa si bene indueris,

pacate et meritorie pro me ferre poteris, a quibuscumque mortalibus derelinqui.

Evenit non raro, ut sinatur homo etiam inter tribulationes deseri a personis valde sibi utilibus aut necessariis, quo se mihi perfectius assimilet, magisque elevetur sanctitate, et ostendat gloriosius potentiam amoris mei, quo homo infirmus ita fortificetur, ut solus inter irruentes rerum adversarum ventos tempestatesque sævientes stet usque firmus.

Hoc sæpe juvat, ut homo se integre expediat a creaturis, et seipsum etiam penitus relinquat.

Quando enim, ex una parte, videt se a mortalibus desertum, facile cor suum ab illis amovet, ut det mihi, qui desero neminem: quando autem, ex parte altera, percipit se imparem difficultatibus ingruentibus, quasi sponte ad me venit, seque et sua omnia in paternum sinum meum jactat.

Profecto heroicum est ac divina approbatione dignum, mortalem ab omnibus derelictum, hac ipsa derelictione æque contentum esse, purius amare derelinquentes, affectibus hominum libenter amore mei carere, inter omnia accidentia in me solo quiescere. Id utique manifestum est indicium humilis cordis, quod se totum amori mei tradidit.

5. Dum quis alienos possidet affectus, etiamsi satis bene intendat, multum inordinati aut certe mere humani irrepere sæpe patitur.

Ego vero zelotes cordis amator, qui nolo cor hominis nisi de me vel propter me occupari, ita res disponere consuevi, ut quandoque deseratur aut negligatur a mortalibus, iisque ipsis, qui videbantur secum debere utramque fortunam usque ad mortem experiri.

Diu multumque debet homo certare secum, ad perfecte ordinandum desiderium, ut ametur ab aliis.

V. D. At, Domine mi, numquid malum est ab aliis amari cupere sine mala intentione, vel etiam quærere?

V. J. Aliud est, fili, id cupere aut quærere propter te, aliud id optare vel etiam quæritare propter me.

Si alienos affectus quæris, ut illis ipse fruaris seu in illis quiescas: si illos appetis ob personarum speciem, ut inclinationi tuæ indulgeas: denique si illos quomodocumque desideras ita, ut in te, in naturæ gratificatione, finias directe vel indirecte: propter teipsum cupis amari.

Si vero amorem aliorum obtinere desideras aut conaris, ut commodis meis studeas, ut salutem tuteris æternam, ut perfectionem animarum promoveas, ut regnum amoris mei extendas, ut corda lucreris mihi: ecce amari quæris propter me.

Porro, fili, si propter te, directo modo vel indirecto, expetis amari; id etiamsi non mala intentione facis, inordinatum est, cum, non tu, sed ego sim finis tuus: ideoque defectivum est, ac, quod magis timendum, non solum ad peccatum ducere, sed illo etiam involvere consuevit.

Si vero amari desideras propter me, ordinatus est amor tuus, purus est, amor mei est; quo Sancti amarunt, et amari quæsierunt, quo multa effecerunt bona, quo et tu, fili, utere similiter.

4. Vix est in mundo quidquam, cui sensibilius adhæreat cor humanum, quam amicitiæ, quæ discrimine plena, multum aut prodesse aut obesse solet.

Pretiosa, sed difficilis inventu, servatu diffici-

lior res, genuina et pura amicitia, quæ facit, ut unus alterum amore mei sincere diligat; alter alterius quærat verum bonum ut suum; sine adulatione, sine respectu humano, alter alterius defectus corrigere, ad virtutem sanctitatemque animare et adjuvare curet; in adversis ut in prosperis, in morte imo et post mortem ut in vita sit usque fidelis.

Fili, si quem amas, sed ita amas, ut inde fias inquietus, vel ad mentem aut cor de illo frequentius, opportune et importune, occupandum movearis; ut cum illo sæpius aut diutius conversari desideres; ut ad externas ejus qualitates attendas, illisque foveas aut ducas affectus tuos; ut illi coram testari admirationem aut blandiri audeas; ut ejus defectus nomine specioso cohonestes vel excuses; ut ægro corde feras alios ab illo amari; ut inconsolabilis quodammodo vel nimium infelix esse tibi videaris, si ab illo prorsus separari debeas: amor tuus, amicitia tua, non genuina nec pura est, etiamsi id non advertas, etiamsi non suspiceris. Sin contra nihil rerum istarum experiris, bonum habes signum in favorem amoris amicitiæque tuæ.

Fili, si genuinum et purum habes amicum, rarum thesaurum, debito erga ipsum gere te modo, et ita cum ipso age, ut sive fidelis ipse sive infidelis fuerit, egisse te numquam pœniteat.

Licet autem amicitia in amore mei fundata per se sit bona, sic tamen oportet te cor expeditum servare, ut me solum, si ita ipse disposuerim, loco omnium habere velis amicum tibi sufficientem.

Cor tuum numquam erit penitus quietum, nec ad intimam unionem mecum dispositum, quidquid

alioquin feceris, nisi omnem naturæ affectionem transcendens, solo amore mei ames atque in uno mei amore quiescas.

Itaque, fili, affectus tuos in me fige, Cordi meo constringe tuum, ut non cadat nec agitetur, si homines se subtrahant.

5. Quid sunt homines nisi flexibiles atque fragiles arundines, quibus secure inniti non possis, si nolis exponi periculo vacillandi aut cadendi?

Licet mortales a te non discederent, tu ipse discedere ab illis brevi deberes, cum mors omnes ac singulos separet.

Quando relinqueris ab hominibus, nusquam certius majusque invenies solatium, quam apud me, similiter tractatum ob amorem tui.

Ne exacerberis, fili, nec queraris, quasi ita tractari non meritus sis, ab isto saltem aut illo.

Ah, fili mi! si non vis pati nisi ab illis, a quibus placuerit tibi, quod virtutis tibi principium? Et si non vis pati nisi quod meritus es, quid magni? aut quid digni Cordis mei discipulo?

6. Si qui a te quomodocumque deficiant, illis per tuam benevolentiam, mansuetudinemque, et beneficentiam ostende, quid valeat pura charitas, qua illorum bono potius quam inclinationi tuæ, omni repugnantis naturæ sensu neglecto, studeas, etiam cum illi se reddiderint indignos.

Verum est, fili, sic contraire naturæ, arduum esse: humilis autem Cordis mei discipulus, amore mei animatus, non difficultatem naturæ, sed amoris objectum attendit: dumque alius, frigidus aut tepidus, hæret, ipse fervens difficultatem jam transvolavit.

Cor tuum fili, inflamma amoris igne, quo æstuat

Cor meum: illo igne ferve: illo amore ama: quod si feceris, ecce difficultates ante te fugient et evanescent.

7. *V. D.* Beatus ergo, qui amore tui accensus et raptus, sequitur te, Jesu, amor amoris, divina cordis attractio! Ipse enim currit alacriter per difficultates; et mox surgens supra humana et propria, corde dilatato alisque divini amoris expansis fertur tecum in altum, secure tibi unitus.

O optime et dulcissime Jesu, dona mihi, precor et obsecro, amorem hunc ferventem, efficacem, quo amem te propter te, et nihil nisi propter te: ac facile feram, si ab hominibus me derelinqui permiseris.

Tu tantummodo mecum esto semper: tu mihi solus sufficies. Licet omnes, relicto me, fugerint, non turbabitur cor meum, si tu mecum es.

Unum hoc rogo te, et rogare non cessabo, ut me derelinquentes fugientesque, non derelinquant, non fugiant te: sed contra tibi fortius adhæreant, te perfectius diligant.

Imit. Chr. Lib. II. c. 9.

CAPUT DECIMUM.

Quomodo Sacrosanctum Cor Jesu captivi imitari possimus.

1. *V. J.* Fili, milites et Judæorum ministri a prostratione surgentes, in me irruerunt, et me comprehensum ligaverunt.

Ecce, fili, ecce Agnus Dei in manibus carnificum, ligatus ad immolationem! ligatus autem, quia voluit; voluit autem, quia amabat.

Amoris enim vincula multo arctius stringebant Cor meum, quam manus colligabant inimicorum catenæ.

Et nisi prohibuisset Cor amore captum, manus omnipotentes et catenas et inimicos ipsos destruere valuissent.

Ast omnia fert amor: nullam humiliationem reputat nimiam, nullam perpessionem considerat excessum: quidquid vult, capit tenetque, ipse semper liber.

O si cognosceres, fili, quanta sit beatitudo, amoris divini esse captivus, profecto ne momento quidem tui juris esse velles, etiamsi posses, sed corpus et animam, teipsum totum et omnia tua traderes ultro, ut ab illo stringereris ac tenereris.

2. Qui sub divino amore vivit, nec persecutionem, nec vincula, nec carceres, nec mortem ipsam pro me subeundam, grave quid aut infortunatum esse putat: verum potius lucrum ingens, et objectum sancta ambitione dignum, illa pati amore mei, arbitratur.

Quare, putas, aliqui cum ad fidem servandam vincula aut incommoda pati debent, non stant in veritate, sed ad fictionem hominum abeunt inciduntque in judicium damnationis? Nonne, quia puro mei amore non aguntur, ita ut velint perdere animam suam in hoc mundo, ut in futuro salvent eam?

Hinc fit, ut, cum nolint esse concaptivi mei, fiant captivi diaboli: cumque velint salvare animam suam in tempore, eam perdant in æternitate.

Fili, si quando tibi contingat, ut pro virtute subire debeas vincula aut carceres, noli timere eos, qui possunt occidere corpus, sed ultra non

habent quod faciant: satius illum time, qui potest corpus et animam perdere in æternum.

3. Hæc est gratia, hæc felicitas, si propter me sustines tristitias, patiens injuste. Sic communicantem passionibus meis gaudere te oportet, ut in revelatione gloriæ meæ gaudeas exultans.

Nemo autem patiatur ut homicida, aut fur, aut maledicus, aut facinorosus: si vero ut discipulus meus, non erubescat, glorificet autem me in isto nomine, fortiter ac perseveranter sustinendo, pieque et humiliter sibi gratulando, inter illos se esse, qui digni habiti sunt pro me pati, sicque fieri Sancti.

Quorum alii distenti sunt; alii vero ludibria et verbera, insuper et vincula et carceres experti sunt: alii lapidati sunt; alii torti et secti sunt: alii in occisione gladii mortui sunt: alii denique circumierunt in melotis, alienisve indumentis celati, egentes, angustiati, afflicti; in solitudinibus errantes, in montibus, in speluncis, in cavernis terræ.

His autem, quibus dignus non erat mundus, dedi, quia patientes mecum perseveraverunt et vicerunt, jam sedere in throno mecum, sicut et ego patiens perseveravi et vici, ac cum Patre in throno sedeo.

Si ipsorum tribulationibus associaris propter me, quam beatus es, fili! quoniam quod est æterni honoris et gloriæ, quod est veræ virtutis et sanctitatis, quod denique Spiritus est Cordis mei, super te requiescit.

4. Sed non omnibus præbetur occasio pro virtute patiendi vincula vel tormenta. Omnes tamen, qui ad perfectam Cordis mei imitationem nituntur,

pro virtute captivi fieri quodammodo possunt atque debent.

Quis est enim, qui non valeat sui corporis sensus in captivitatem redigere, non solum ne agant malum neu vanitati indulgeant, sed etiam ut manere cohibiti, et ad virtutes exercendas laborare teneantur?

At pauci omnes sensus suos intra limites rationis custodiunt: pauciores illos juxta fidei principia mortificant.

Examina, fili, quomodo tu corporis sensus tractare soleas. Inspice, an illos non patiaris esse liberiores. Vide demum, quid, respectu illorum, ad perfectionem desideretur.

5. Facultates autem animæ, nonne et eas captivare quodammodo potes? Imaginationem quidem vagabundam, præteriti tam tenacem, adeo curiosam futuri, constringes, tibique satis subjectam esse gradatim coges, si eam aufugientem statim revocas; si eam domi rebus utilibus constanter occupas; si assidue reprimis subitos ejus impetus atque ineptias, donec tranquilla manere assueverit.

Intellectum vero totum, ut oportet, tene subjectum in obsequium fidei, ne forte scrutator Majestatis opprimaris a gloria, neve fugitivus a veritate, erroris servus fias.

Quin imo tuas submitte opiniones, easque, nisi prohibeat alia virtus, in charitatis favorem aliorum subde judiciis. Sic agendo tanto plus lucraberis, quanto sentire tuum verosimilius videtur, quantoque proinde difficilius est subditu.

Interius et exterius esse incustoditum et effusum, a cordis defectu procedit, quod vel inimicis, vel passionibus, vel etiam sibi mancipium est.

Præcipua igitur cura tua esse debet, ut cor tuum ab omnium rerum inferiorum servitute habeas expeditum. Tunc enim poteris illud in toto vigore cum omnibus affectibus ejus tradere puræ, supernæ charitati, et fieri in vinculis amoris divini concaptivus meus.

6. Admirabilis charitas in operationibus suis. Si charitati servis, ecce omnia tibi vertentur in bona.

Ama me, Deum ac Salvatorem tuum, fili, et amando disces me perfectius amare: amor amando magis quam speculando addiscitur et perficitur.

Si cor tuum mei amori integre subjectum est, facile simul et diligenter cavebis a falsa ista libertate cogitandi, loquendique, et agendi pro lubitu.

Insana hæc licentia, non vera libertas, quid est nisi tegmen passionum, ruina virtutis, vitii regnum, calamitas familiarum, cœnobiorum exitium, pestis totius societatis?

Quo autem malum hoc indies latius diffunditur inter mundanos, speciosius serpit inter pios, subtilius etiam inter religiosos penetrat, eo majori cura attendere debes, ne et cor tuum inficiat, illudque vel sub specie boni ab humilis amoris servitio abducat in libertatem carnis, quæ ducit ad inferni servitutem.

Tui juris esse non potes, etiamsi maxime cupias aut nitaris. Amare enim, adeoque te alicui objecto tradere vel invitus teneris. Nulli autem rei creatæ, sine gravissima injustitia erga me et ingratitudine horrenda, sine multiplici malo tibi, dedere te potes.

Itaque, fili, volenter esto meus: ultro trade te amori mei, cujus ut esses, ipse pro te captivus esse volui.

Quam felix eris, si interius exteriusque iisdem constrictus fueris amoris vinculis, quæ Angelos et Sanctos mihi colligant in cœlo!

7. *V. D.* O Jesu amantissime! quousque me dilexisti, qui pro me captivus fieri dignatus es, captivus doloris in manibus inimicorum, ut me captares tibique faceres captivum amoris tui!

Domine Deus, Salvator meus! cum memini vinculorum tuorum, omnem libertatem mundanam ex corde fastidio, cupiens esse in vinculis concaptivus tuus.

Si desunt mihi vincula inimicorum, ecce trado me vinculis amoris, ut omnes corporis sensus et animæ facultates captæ et subditæ, ita constringantur tibi, ut a te numquam separer.

Præsta, quæso, Domine Jesu, ut hæc non sint vota sterilia, verum efficacia proposita, quæ per gratiam tuam exequar, ad consolationem Cordis tui, et ad animæ meæ sanctificationem, pro qua tanta passus es.

Imit. Chr. Lib. III. c. 32. *et* 52.

CAPUT UNDECIMUM.

Quomodo, ad exemplum Sacrosancti Cordis Jesu, falsas accusationes ferre oporteat.

1. *V. J.* Fili, amodo videbis Filium hominis, licet supremum Judicem vivorum ac mortuorum, ante peccatores, mortis æternæ reos, sisti, accusari, condemnari.

Ecce enim me ligatum duxerunt ad summum Sacerdotem, ubi cæteri sacerdotes, et Scribæ, et Pharisæi convenerant.

Principes autem sacerdotum et omne concilium quærebant falsum testimonium contra me, ut traderent me morti.

Et multi in medium procedentes, testimonia falsa adversum me dicebant.

Exurgens vero summus Sacerdos: Non respondes, inquit, mihi, non respond esad ea, quæ tibi objiciuntur ab his?

Fili, quid, putas, istorum falsis accusationibus et ipsi pontificis exhortationi ad propriam defensionem meam, reposui? Quid dicit Scriptura? „Jesus autem tacebat," ait.

Sic est, fili, ego tacebam lingua, quasi homo non habens in ore suo redargutiones; Corde vero loquebar Patri meo cœlesti, meipsum ejus beneplacito conformans, et orans eum, ut misereretur miserrimorum illorum hominum, effunderetque in ipsorum corda abundantiam gratiæ Spiritus Sancti, ad infelices animas salvandum.

2. Ego, fili, sciens, acerbissimum esse, falsis accusationibus impeti; atque difficillimum, easdem perfecte tolerare; volui Cor meum iniquis calumniis summo gradu impingi et obrui, ut, cum ipse falso accusareris, aliquod invenires solatium in Corde meo, similiter afflicto, et securam accipere ab exemplo ejus directionem.

Profecto vix quidquam est humano cordi tam amarum, quam falsis criminationibus diffamari. Inde nonnulli usque adeo in ratione sua perturbantur, ut, sensu dominante, si licite possent eligere, mori mallent quam ita diffamati vivere.

Tu, fili, cave, ne mente turbari aut obnubilari te sinas: sed melius rem inspice corde pacato: age ut dignus Cordis mei discipulus.

Ad hoc attende, quod neque malitia te falsis diffamantium, neque error falsa credentium possit vel te facere alterum, quam es, vel tollere virtutem magnanimitatis tuæ, se supra falsa dicta et credita levantis.

Si autem rem intueris lumine fidei, videbis sublimem ejus excellentiam, honorem cœlestem, sempiternam mercedem, humiliationis tuæ magnitudini respondentem.

Et licet innocens fueris a culpis tibi objectis, quia tamen multis in rebus divinam Majestatem offendisti, volenter amplectenda tibi occasio, in tempore satisfaciendi pro iis, quæ alioqui maneant tibi expianda in æternitate.

Ac quamquam per alia media te a delictis purificare et ad introitum cœli præparare malis, hæc nihilominus, tibi a divina Providentia oblata, sume potius, tamquam certiora, tamquam securiora.

Quantumcumque gravia fuerint naturæ sensui, tolera, fili mi; tolera amore mei; tolera mecum.

Quodsi cor tuum præ dolore pene deficiat, veni, fili, ad Cor meum, acerbiora pro te expertum: hic cor tuum obfirma, protestans, te velle invita natura resignatum esse amore mei.

3. Nolo prorsus, fili, ut proximum quantumlibet injuriantem oderis. Etsi vero dedi mandatum etiam inimicos diligendi, tacendi tamen aut justificationem a falsis criminationibus omittendi, præceptum non dedi: consilium autem do, nisi silentium foret peccatum.

Qui ergo falso accusatus, loquitur recto corde et modo ad defensionem suam, non peccat: qui autem non loquitur, melius facit.

Maxima sane perfectio est, falsas accusationes

ferre silenter; pati, ut homines de te credant quidquid voluerint, teque totum soli mihi committere, et resignanter permanere mecum.

Ecce in hoc triumphat gratia, hoc Angelos in admirationem rapit; hoc consociat Sanctis; hoc dat gloriam in altissimis Deo; hoc probat vere humilem amatorem mei, germanumque Cordis mei discipulum.

Hoc est eximium vitæ interioris secretum, e Corde meo depromptum, quod multi audiunt, quod multi etiam mirantur; pauci vero sapiunt, pauci sequuntur.

4. Id autem perfecte ceperunt sapidumque experti sunt Sancti, qui amore mei ferventes ac studio me imitandi animati, falsa testimonia cujuscumque generis sustinuerunt corde gaudentes.

Et cum se justificare famamque suam recuperare potuissent verbo, mihi suam defensionem committentes, maluerunt tacere mecum, et tamquam purgamenta hujus mundi et peripsemata videri, ne invenirentur dissimiles mei, dubiumve amorem mihi exhiberent.

Verissimum est, fili, id nec facile esse secundum humanum sensum, nec solam rationem naturalem ad id incitamenta præbere sufficientia: sed sensus et ratio transcendenda per fidem et amorem, qui abundantes potentissimasque causas ac stimulos offert et urget.

Scito, si non volueris agere, nisi ex sensu aut ratione naturali, te non solum numquam perfectum, sed nec umquam salvum fore.

Ex fide vivito, fili; agito ex amore mei. Quodsi natura repugnaverit, mortificationem metuens aut humiliationem, id ipsum sit tibi novum incitamentum ad tacendum, ut inordinatam naturam vincas.

5. Procul dubio accedet salutis et perfectionis tuæ inimicus, qui usque circumvagatur, quærens quem decipiat, et multa, et gravia, et speciosa tibi suggeret: sed ne auscultes quidem suggestiones ejus, imo vero attentionem ab illo averte, vel contempto illi dic: Vade, Satana; melius est enim sequi divinum Salvatorem, præeuntem et ostendentem tutam viam ac securam, quam a societate Jesu discedere, aliamque indagare viam incertam atque periculosam.

Forsitan et te quis interrogabit: Non respondes quidquam ad ea, quæ tibi objiciuntur ab his? Nec huic interrogationi responde, fili mi, sed imitare me et tace similiter.

Si instetur: Nonne vides, despectum nomen tuum, ædificationem proximi scandalizati, honorem virtutis læsæ, ipsam denique gloriam Dei exigere, ut justificationem tuam suscipias? Noli credere, fili; non enim ita res se habet.

Profecto si usquam, certe in circumstantiis, in quibus ego tacebam, illa exigere videbantur, ut ad defensionem loquerer; non tamen exigebant: si enim exegissent, locutus fuissem.

6. Sine igitur, fili, ac totam rem commenda mihi, ut ipse pro sapientia et bonitate Cordis mei efficiam, quod mihi et tibi melius fuerit.

Tu interea sustine mecum silenter et patienter. Ego nosco accusantem et accusatum, judicantem et judicatum, humiliantem et humiliatum: et ipse retribuam tempore opportuno, et utrique dabo secundum actus suos.

Ut melius perseveres, frequenter memento, quanto doloris sensu majores humiliationes ego expertus sim, quam forti animo, quam generoso

Corde illas tolerarim amore tui: meque adeo amantem redamare, minores humiliationes amore mei subire utique non detrectabis.

Noli metuere confusionem: eam corde magno amplectere; non te deprimet, non te lædet; ecce contra te exaltabit, te mihi similem efficiet, te merito adornabit et sanctitate, te consolationis dulcissima unctione replebit.

7. *V. D.* O amantissime et dulcissime Jesu! miserere mei et adjuva me. Ecce enim quia adhuc tepidus sum in amore, et imperfectus in humilitate, semper invenio paratum cor meum ad indignandum, et os meum promptum ad me excusandum, quotiescumque mihi aliquid imputatur, quod non placet.

Et quæ pejora sunt, nec sine pudore confiteri possum, sæpe me sentio propensum ad quærendum excusationes in delictis veris; et quantumvis justæ sint accusationes, moveor ad justificandum vel certe extenuandum defectus objectos.

Hinc patet, Domine Deus meus, quantum adhuc in me dominetur mundus, cum optem magis probari hominibus, quam tibi assimilari: imo et quanta adhuc perversitas in me lateat, cum cupiam innocens haberi, dum me cognosco nocentem.

Hei mihi! quando ero tandem humilis? quando incipiam tandem corde generoso amare? Oro et obsecro, Domine, ne parcas superbiæ meæ quantumlibet secretæ: stimula me ferventi amore, quo tibi cooperans pestem illam exterminem.

O mihi optime Jesu! volo equidem te imitari, et tecum tolerare silenter ac resignanter judicia falsa et opprobria: sed ad hæc mihi debili opus est valida gratia.

Robora me igitur potentissima gratia tua; ut amore tui maneam tecum, tacens et patiens usque ad finem, quem ipse constituere volueris.

Imit. Chr. Lib. III. c. 36. et 45.

CAPUT DUODECIMUM.

Quod Sacrosanctum Cor Jesu nos doceat, quomodo injurias personales pati debeamus.

1. *V. J.* Fili, cum accusantium me non esset conveniens testimonium, summus sacerdos iterum me compellans, ut inveniret prætextum me condemnandi, ait: Tu es Christus, Filius Dei benedicti? Adjuro te per Deum vivum, ut dicas nobis, si tu es Christus, Filius Dei.

Quoniam cœlestia, et terrestria, et inferna, perhibuerant testimonia Divinitatis meæ evidentia et superabundantia, opus non erat responso tentanti pontifici: ad ostendendam tamen reverentiam Deo vivo et benedicto, Patri meo, debitam; ad salvificantem veritatem, etiam periculo vitæ, attestandam; ad movendum miserorum istorum corda, si forte gratiæ obtemperare vellent, respondens, Ego sum, inquam. Verumtamen dico vobis: Amodo videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei, et venientem in nubibus cœli.

Nonne, fili, si clara et sancte terrifica hæc verba attendissent, ex judicibus subito mutati in supplicatores, sese ad pedes meos prostrassent, veniam implorantes et misericordiam?

Infelix autem pontifex cum concilio et oblatam gratiam et salutares prænmonitiones sprevit. Impius enim, cum in profundum venerit, contemnet.

2. Tunc ergo princeps sacerdotum scidit vestimenta sua, exclamans: Blasphemavit. Ecce nunc audistis blasphemiam. Quid vobis videtur? At illi conclamarunt, me reum esse mortis.

Post iniquam et crudelem hanc injuriam, qua totum horrebat cœlum, ecce atrociora et acerbiora me manebant. Cum enim jam serum esset, pontifex ac socii ejus ad quietem recedentes, liquerunt me inter manus infimæ turbæ, per totam noctem reliquam exagitandum.

Quidquid feceris, fili, quantumvis intente meditatus fueris, capere non poteris Cordis mei dolores per noctem illam tristissimam.

Tunc, fili mi, expuerunt in faciem meam, in quam Angeli desiderant prospicere: et illi, qui me tenebant, illudere mihi et insultare certabant.

Et ut liberius agerent, vultum meum velarunt: quo facto effreni, alii colaphis me cædebant, alii palmas in faciem meam dabant, contumeliose dicentes: Prophetiza nobis, Christe, quis est, qui te percussit? Alii denique alia multa dicebant blasphema, et indigna faciebant.

En ergo, en Filium Dei, quasi vermem et non hominem: opprobrium hominum et abjectionem plebis.

3. Interea, fili mi, ego eram sicut agnus coram tondente se, non aperiens os meum, nec ullum vindictæ, aut iræ, aut impatientiæ dans signum.

Sed premens Corde dolores intensos, vultu gestuque mansuetudinem invictam præ me ferebam, ut tanto exemplo et illi inimici perculsi, converterentur, et tu, fili, incitatus, imitari me ex amore non recusares.

Etenim si ego, Filius Dei vivi et benedicti,

tam crudelia, tam incomprehensibilia toleravi amore tui, num nimium est, ut tu mei amore toleres aliquod verbum injuriosum, aut nomen ignominiosum; aut contumeliosum aliquem actum?

Si propter me similia, parva ad ea, quæ ego propter te passus sum, tu pati non velis, num credas, te amorem erga me habere verum, amorem aut me aut discipulo Cordis mei dignum?

Interroga Sanctos. Etiam minimi inter illos tibi respondebunt factis, tum ipsis tum mihi gloriosis. Profecto illa generosa corda erubuissent, amoremque suum vel nullum vel falsum æstimassent, et speciali Cordis mei affectione indignos se arbitrati fuissent, si oblatas a me humiliationes amanter non subiissent.

Ne dicas, te tantas humiliationes subire non posse, quippe qui non sis Sanctus. Etenim, si vis, potes cum gratia tibi non defutura. Si ergo non subis, facto ostendis, non quidem te non posse, sed te vere non velle. Si Sanctus non es, cooperare gratiæ, et humiliationes volenter subi, et ecce fies Sanctus.

4. Fili, sive velis sive nolis, dum inter mortales vivis, tutus ab ullo genere humiliationum esse non potes: ideoque cor debes habere semper paratum, ut cum aliqua venerit, statim ad me refugias et implores auxilium.

Imo eveniet, idque ad bonum tuum, fili, ut homines non solum tibi adversentur, aut te negligant, sed etiam te coram lacessant vel contumeliis afficiant. Tunc vero si non cito per orationem ad me veneris, perturbationi et periculo magno te reperies expositum.

Qui adhuc tirones sunt in vita interiori, atque

in cordis mortificatione parum profecti, facile commoventur sæviente contumelia et perturbantur; quia natura nondum edomita, occasione data, insurgit et humiliationis metum vehementem, vividumque sensum mundani honoris excitat.

Verumtamen omnis honor mundanus indecora est inanitas: non enim in veritate fundatur, sed a labiis volubilibus hominum, pro lubitu adulantium vel malignantium, pendet.

Contumeliæ autem humiliationem ex virtute sustinere, vera gloria; quoniam hominem mihi assimilat, et diadema meretur æternum.

5. Defensio honoris optima, est heroica cordis generositas. Nonne etiam apud homines, ad nomen bonum tuendum aut recuperandum, plus valet mansuetudo aut clementia, quam ira aut vindicta? Hæc enim parvum animum arguit, palamque ostendit cor passionibus subjectum: illa vero animum magnum, et cor nobile probat, et etiam inimicorum vel invitorum tacitam admirationem extorquet.

Unde quidam et paganus dixit: „Animum vincere.... adversarium non modo extollere, sed etiam ampliare.... Hæc qui faciat, non ego eum cum summis viris comparo, sed simillimum Deo judico.“

Hæc tamen volo, te, fili, non nisi secundaria habere, sed ascendere superius ad rationes supernaturales, ne arduorum conatuum graviumque perpessionum nullum referas fructum pro æternitate.

Multi sunt, quibus vanitas mundana magis sapit, quam exemplum meum, quique malunt mancipari cupiditatibus suis, quam mihi similari.

Et eo aliqui passionibus abripi se patiuntur, ut calumnia affecti, potius inferant mortem animæ

suæ, et pœnis inferni se exponant, quam ut velint afficientem dimittere inultum, vel injuriam generose condonare momentaneam.

Væ hominibus divina fide donatis ac pejus viventibus, quam pagani sola etiam ratione ducti, vivunt.

Miseri tandem videbunt, quam insipienter, quam perverse egerint, qui, oblata occasione placandi Deum, peccata expiandi, merita lucrandi, Deum econtra ad iracundiam provocant, peccata cumulant, subeunda aggravant supplicia.

6. Quanto quis fuerit animosior ad seipsum vincendum, quantoque plures ac difficiliores victorias de se reportaverit; tanto in se fortior evadit, et tanto faciliores ac fructuosiores reddit victorias futuras.

Itaque, fili, animum erige: supera teipsum, ut ad me ascendas, ut me sequaris. Ex hoc de virtute tua, de amoris tui sinceritate judica: ex hoc discerne, utrum verus Cordis mei sis discipulus.

Hoc bene notes velim: nam si ad sequendam voluntatem divinam repugnanti naturæ non contraeas; etiamsi miracula patres, etiamsi quotidie voles n ecstasim, scito, omnem pietatem tuam non nisi illusionem esse.

Generosus esto, et sequere me, Ducem, et Protectorem, et Consolatorem tuum: et noli curare, quid faciat tibi homo, aut quid sentiat reluctans natura.

Si cor tuum non te reprehendit, fiduciam habe, fili mi, cum humili et miti corde sustine illatas injurias; signum enim habes præsentis et habitantis in te gratiæ meæ. Nam pictura ignis non urit; fictio amoris non ita patitur.

7. *V. D.* O Jesu, Deus supremæ Majestatis! vere incomprehensibilis est excessus humiliationum tuarum: incomprehensibilis excessus amoris tui.

Omne genu flectitur tibi cœlestium, et terrestrium, et infernorum: et ecce insultibus perditorum mortalium obrueris, saturaris opprobriis!

O vere mitis et humilis Corde Jesu, qui, velut agnus in medio luporum, crudeliter dilaceratus, illos ipsos miraculo tuæ mansuetudinis movere, convertere, salvare desideras.

Væ cordi meo, si post hæc se humiliare detrectet, aut injuriam quamcumque cupiat ulcisci. Si enim tanto exemplo tantoque amori Dei sui, propter se adeo humiliati, cedere nolit, quid tandem maneat nisi rigor justitiæ?

At precor, Domine Deus, juste Judex et Retributor, ne intres in judicium mecum, sed clementer mihi ignoscas quidquid umquam per iram aut vindictam deliqui.

Ecce nunc coram te, dulcissime Jesu, in perpetuum depono et sacrifico, invitis naturæ sensibus, omne desiderium iracundæ retributionis, vindictæ, rei denique cujuscumque charitati contrariæ.

Per omnia quæ tibi chara sunt, oro te, Domine, ut benigne suscipias hoc sacrificium, quod unio Cordis tui doloribus sicque tibi offero: et supplico, ut omnes mihi injuriantes uno divini amoris vinculo unias et colliges tibi in æternum.

Imit. Chr. Lib. III. c. 24. *et* 46.

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

Quomodo Sacrosanctum Cor Jesu eo usque imitari nos oporteat, ut stulti haberi cum ipso et propter ipsum sincero corde velimus.

1. *V. J.* Mane facto, fili, ecce omnes principes sacerdotum et seniores populi ad concilium redierunt: et mox surgens omnis multitudo, me vinctum trahentes per plateas, duxerunt ad Pilatum, hominem ethnicum, Judææ præsidem.

Foris stantes ac vociferantes, præsidem evocarunt, eique cœperunt me accusare multis variisque criminibus fictis.

Pilatus autem, ut cognovit me esse de Herodis potestate, ad hunc, regem Galilææ, me remisit.

Herodes, alter ethnicus, viso me, lætatus est: audierat enim multa de me, et sperabat fore, ut signum aliquod videret, et ita desideriis suis indulgeretur.

Ast sensuali impuroque homini, qualis quæ Dei sunt non capit, quamquam et ipse me interrogabat multis, et Judæi constanter me accusabant, nihil respondebam, sed silens eloquentem modestiam exhibebam et sanctitatem, ut perciperet se tacite et convenienter admoneri, utque exemplo meo ad conversionem moveretur.

Carnalis autem homo his omnibus abutens, cum non intelligeret, quare non defenderem meipsum, quare suum favorem non quærerem, meam agendi rationem stupiditati attribuit et fatuitati.

Itaque me sprevit Herodes cum exercitu suo: induitque me veste alba, tamquam stolidum, et sic illusit mihi et insultavit.

Atque in eodem habitu me ad Pilatum remittens, me velut stultum exposuit urbi et orbi.

2. *V. D.* Domine Deus! tene stultum haberi! Parce, Domine, parce dignitati divinæ personæ tuæ. Cur sacrilegos non destruis fulmine, ne vilitas hominum divinam Majestatem ita profanet?

V. J. O fili! neque tuum cor neque Cor meum novisti. Tantum enim remedium requirebat cordis tui superbia.

Nam si, etiam posteaquam vidisti Filium Dei propter te tractatum ut insipientem et fatuum, audeas adhuc superbire; quid non faceres sine tanto exemplo meo? Nonne amor proprius subtilitate sua omne præceptum eluderet, et ad culmen superbiæ niteretur?

Igitur ex magnitudine remedii disce morbi gravitatem: et hinc abyssum miseriæ cordis tui, et illinc abyssum amoris Cordis mei metire.

Abyssus abyssum invocabat: amor Cordis mei audiit et usque ad abyssum me humiliari voluit, ut te abysso eriperem.

Licet autem dolorem naturæ humanæ sentirem ineffabilem, libenti tamen animo pro te hanc humiliationis abyssum subii, putans fore, ut tanto amoris testimonio aliquando totum lucrarer cor tuum, eodem inflammarem amore, iisdem sensis tandem animarem.

3. Profundum mysterium, fili, ut Deus ipse inter homines appareret stultus! mysterium, quod solus amor per excessum operatus est, et de quo solus amor rationem dare potest.

Cor enim meum amore captum, amore proripiebatur per humiliationem, per ignominiam, per opprobrium, per ipsam insaniæ apparentiam, ama-

rissime sentiens confusionis dolorem et simul confusionem volenter amplectens.

Si quis diligit me, servabit sermonem meum: Non est discipulus super magistrum: perfectus autem omnis erit, si sit sicut magister ejus.

Tu ergo, fili, si vere me diligis, non recusabis sustinere mecum nomen malesani aut stulti, quandocumque te simili nomine insigniri permisero.

Per te hujusmodi dare causam non licet quidem: pati autem, ut alii præsumant occasionem; vel optare, ut, sine offensa Dei, detur occasio, qua ineptus aut insensatus habearis propter me, vere heroica virtus est et maxima perfectio.

4. Præparatus esto, fili, ut velis hominibus quodammodo stultus videri; quia ecce, in quocumque statu vixeris, quasi talis quandoque habeberis, si perfectus Cordis mei discipulus esse volueris.

Etenim vita, non nomine sed re, interior et devota sectatoribus mundanorum placitorum non nisi stultitia quædam videtur.

Quid namque nisi stultum videtur illis, commoda mundi præsentia, spe futurorum bonorum, contemnere; paupertatem, affectumve a rebus terrestribus expeditum amare; voluntatem ac judicium aliis, etiam virtute et scientia inferioribus, subjicere; sensus corporis indesinenter mortificare; nullam injuriæ satisfactionem sine necessitate quærere; inimicos sincero corde diligere; humiliationes amare, easque lucra reputare?

Eia, fili mi, confortare, et corde magno et animo volenti sustine mecum omnia.

Ecce enim quod facis, me sic bene disponente, aliquando non succedet, et ineptiæ tuæ imputabi-

tur: alii autem eadem in re prosperum habebunt successum, qui quo major fuerit, eo tu videberis ineptior.

Accusatus, reprehensus, irrisus, tacebis mecum: et idcirco quasi stolidus reputaberis ab iis, qui nesciunt supereminentem sapientiam Cordis mei.

Quando negligis opportunitates quærendi commoda tua, ut mea promoveas, multis videberis sensu communi carere.

Intentus ad tibi penitus moriendum, ut mihi soli vivas, præ indiscretione, imo et falsa pietate insipere a nonnullis censeberis.

Hæc et hujusmodi alia fient tibi, fili, non solum ab illis, qui se mundi amatores exhibent, verum et nonnumquam ab iis, qui vitam probam aut etiam religiosum statum profitentur, sed qui interiorem Spiritum meum non habentes, amant quidem illas virtutes meas, quibus sibi et aliis placeant, afflictiones vero, confusiones, humiliationes meas non gustant.

Ab his, fili, quibus humiliationum mearum excessus scandalum est in actu, gravius quandoque habeberis ac senties amarius.

5. Ne despondeas animum, nec corde dejicieris, fili mi, si a quibuscumque mortalibus ita tractaris: erigere contra et exulta: ad minus tolera patienter, si gaudenter nondum vales.

Nonne præstat insipientem mecum haberi, quam ab hominibus solis reputari sapientem?

Amen, amen, quicumque voluerit quasi stultus haberi in hoc mundo propter me, centuplum vicissim accipiet bonum in hac vita, et gloriam immarcessibilem in vita æterna.

Hæc Sancti experti sunt, et plura et meliora

repererunt, quam intellexerant vel expectare ausi fuerant. Experire et tu, fili, ac similia reperies.

6. Ista est altissima sapientia, quam mundus et sectatores ejus non capiunt nec capere possunt: humiles autem et mites Cordis mei discipuli comprehendunt et gustant.

Si hanc Cordis mei doctrinam amas, si agis ex spiritu ejus; euge, fili, euge; gaude et lætare; quia proxime assimilatus es mihi.

Utique, fili, res est gravissima: sed amore allevia, et, ad te animandum, etiam cogita celerem finem ac præmium æternum in cœlis, ubi brevi eris mecum, et ubi tanto majori honore splendebis coram Angelis ac Sanctis, quanto graviori humiliationum pondere coram hominibus depressus fueris.

Hæc locutus sum, fili Cordis mei, ut, cum evenerint, ad me recurras, ut in me pacem habeas et consolationem: ut mecum perseveres.

7. *V. D.* Confiteor tibi, Jesu, Pater optime; qui hæc abscondisti a sapientibus et prudentibus hujus mundi, et revelasti parvulis et humilibus Cordis tui discipulis. Ita, Pater; quoniam sic fuit placitum ante te.

Ea, quantum possum, corde amplector, cupiens, super omnia scire et amare te, Jesu dulcissime, et te amore mei quasi stultum habitum.

Tardius eheu! tardius cognovi sublime hoc mysterium: tardius amplexus sum supernam hanc sapientiam, quæ docuit ac formavit Sanctos.

Da gratiam, piissime Jesu, ut, quod opto, mei oblitus ac memor tui, proripiar amore post te, amore te sequar etiam usque ad apparendum tecum, si id permittere tibi placuerit, ineptum, stolidum, fatuum.

O Jesu, dulcedo infinita! tecum dulcescunt omnia: tibi assimilari, summa felicitas in terra, et cœli pignus securissimum.

Imit. Chr. Lib. I. c. 17. *et Lib. III. c* 41. *et* 44.

CAPUT DECIMUM QUARTUM.

Quomodo, ad exemplum Sacrosancti Cordis Jesu, oporteat nos velle omnibus postponi.

1. *V. J.* Reductus ad prætorium, fili, steti ante præsidem, qui sciebat me per invidiam a sacerdotibus et Pharisæis traditum esse.

Cum non dubitaret Pilatus, quin essem innocens, volebat me liberare, si facere posset ita, ut Judæis non displiceret. Quamobrem excogitavit medium, quod ignobilem animi sui debilitatem ostendit, et me summa replevit ignominia.

Per diem enim festum consueverat præses populo dimittere unum ex vinctis, quem voluissent. Tunc autem habebat vinctum insignem, qui vocabatur Barabbas.

Porro Barabbas erat latro, qui, propter seditionem factam in civitate, et propter homicidium, missus erat in carcerem.

Pilatus ergo, putans, huic homini me, benefactorem omnium, amatorem pacis, vitæ restitutorem, ab omnibus prælatum iri, congregatis principibus sacerdotum, et magistratibus, et plebi: Est consuetudo, inquit, ut unum dimittam vobis in Pascha: quem vultis ergo vobis de duobus dimitti, Barabbam an Jesum?

Pontificibus autem concitantibus, universa turba simul exclamat: Non hunc, sed Barabbam.

Considera, fili, quomodo id perculerit Cor meum; quantum affecerit; quousque dilaceraverit.

Et contemplare me pone Barabbam in conspectu omnium stantem: et attende, quomodo a summis et ab infimis tracter, ut hominum ultimus.

Hanc indignam rejectionem, licet Cor meum doloris sensu conficeret, volenter tamen passus sum, cum ut a reproborum æterna rejectione, quantum in me erat, miserum Barabbam, et te, fili mi, totumque mundum liberarem; tum ut tibi darem exemplum consolatione plenum.

2. Ne igitur ægre feras, sed patienter ac resignate tolera mecum, si aliis postponaris.

Quid mirum, si tu, qui pulvis es et nihil per teipsum, te post alios poni sinas propter me, cum propter te ego, omnium Dominus et Deus, post infimum mortalium abjici me pertulerim?

Ex quo peccasti vel venialiter contra divinam Majestatem, vere meruisti, non solum hominibus verum entibus etiam irrationalibus, læsæ aut offensæ Majestatis divinæ insontibus, postponi.

Itaque, fili, cum permitto, ut post alios abjiciaris, ibi contentus esto, tamquam in loco tibi congruo.

Quodsi tibi videaris infra æquum depositus, ne, amabo, gradus æqui subtiliter numeres aut metiaris: sed considera exemplum meum, ac corde adhuc inferius descende, sciens, te, quanto propior mihi fueris in humiliationibus, tanto quoque propiorem mihi fore in gloria.

Et quomodo, fili, posses verus Cordis mei esse discipulus, si tu primus esse velis, ubi ego sum ultimus? Num discipulus præcedat magistrum? Nonne sequi magistrum, id est esse discipulum?

Ergo sequere me, et esto libenter novissimus mecum. Ecce quot sunt in mundo, qui infimum occupare locum coguntur: et quia invite, ideo sine consolatione, sine merito! Tu, fili, bono corde permane mecum, et nullam pœnitendi causam habebis.

3. Beatus, fili, si ultro vis amore mei omnibus postponi. Id enim si pati ita volueris, ecce te sanctificabis per ea, quæ tibi procul dubio evenient.

Etenim alii exaltabuntur aliquando, et quasi lucernæ super candelabrum ponentur: tu negligeris, aut sub modio absconderis.

Alii quod rogaverint, facile obtinebunt, idque mereri judicabuntur: quod tu petes, velut irrationabile videbitur, vel petito indignus reputaberis.

Quod alii dixerint, accommodum vel etiam decretorium habebitur: quod tu dixeris, importunum apparebit aut absurdum.

Alii pro libitu conquerentur, ac multi compatientur illis: tu laborans doloribus aut difficultatibus, si pro necessitate loqui audes, imaginatione laborare putaberis.

Aliorum defectus honesto nomine decorabuntur: tuæ virtutes autumabuntur debilis mentis effectus.

Aliis indulgebunt: te autem compriment, obtendentes, te id non mereri tantum, sed et eo indigere.

Talia fili, non pauca, quibus post alios ponaris, tibi occurrent: et occurrentibus illis natura graviter afficietur. Sed animum obfirma, et invita natura persiste mecum, malens esse novissimus mecum, quam sine me esse primus.

Non modo suffer libenter te aliis postponi, sed et ipse, ubicumque fueris et licite potueris, ultimum sume tibi locum: ibi, fili mi, ibi me invenies, ibi me tecum habebis.

Quod si feceris, qui exaltat humiles, aliquando dicet tibi: Amice, ascende superius. Et tunc erit tibi gloria coram Angelis et Sanctis.

4. Si dignitas status tui aut officii te supra alios extulerit, humilitas cordis tui te infra eosdem amore mei convenienter supponat. Sic enim me, cui data est omnis potestas, bene imitari, tibique multum mereri, et aliis prodesse magis poteris.

Nec istam agendi rationem necessariæ auctoritati tuæ obesse quidquam credideris. Licet enim suam auctoritatem tueri Superiorem decet et oportet, nulla ratione melius id facere potest, quam illa humili charitate, quæ non exteriorem hominem solum tenet submissum, verum et ipsum cor captivat, et servat, impletque amore, fiducia, optima quaque dispositione.

Noli majora quæque et speciosiora tibi reservare facienda, subditis autem relinquere minora et abjectiora: at contra, quantum licet, hæc tibi serva, illa vero linque subditis. Ita sequeris exemplum meum, benevolentiamque subditorum obtinebis, et animum stimulabis.

Hoc procedendi modo, per subditos plura facies ac melius, quam facere potes per te solum: et dum aliis præsides, quasi socius, imo minister illorum videberis esse mecum.

5. Elige, quantum tibi relictum est, subesse potius quam præesse: quin etiam ubicumque locatus fueris, evita verba quæcumque et signa, quæ

ostentent excellentiam, vel ingenium, vel alia dona aut bona, non vane jactanda.

Nec alienis te immittas negotiis, ac si corrigere illa aut ducere velles; neque promptum te exhibeas, nisi postulet virtus, ad dandum consilia, quasi peritus esses.

Patere libenter, ut alii te antecedant scientiis, aliisque rebus, et ipsis etiam virtutibus externis: tu fac diligenter quod potes, et reliquum in divino beneplacito quiesce, ac gloriare in humiliationibus tuis mecum.

Tum demum ad veram sanctitatem venisse te scito, cum amore mei gaudes, te, actu aut affectu efficaci, esse mecum in loco ultimo.

Quodsi eo usque tam perfecte non possis pervenire modo; age, fili, precare et conare; et venies postea.

6. *V. D.* O Domine Deus, Salvator meus! quam divina est vita tua! quam sublimis doctrina exempli Cordis tui! Ecquis eam bene capere possit, nisi quem tu intus erudieris unctione Spiritus tui?

Eheu! Domine Jesu, ego usque adhuc sine intellectu fui: usque modo enim ego ad superiorem aspiravi locum, quamquam videbam te esse in infimo.

Me miserum! quantum erravi! te enim in humiliationibus reliqui solum, et cæcus ac solus altiora quærens, longe a te recessi, longe a Corde tuo me alienavi.

Vanus et perversus, inter homines eminere et aliquod nomen gerere molitus sum, reddente mihi testimonium conscientia, me ob peccata, quibus te, o Jesu! non Barabbæ tantum sed et dæmoni

postposui per malitiæ et ingratitudinis excessum, dignum esse sub omnium pedibus abjici, et coram cœlo et terra omni confusione repleri.

Indignus sum, Domine Jesu, tecum esse vel in ultimo loco. Sed quoniam, pro infinita Cordis tui bonitate, me tam misericorditer revocasti, confido fore, ut me apud te benigne excipias.

Aperuisti oculos meos, ut viderem errorem meum, et movisti cor meum, ut diligerem societatem tuam, etiam in humiliationibus: da, quæso, gratiam, da animum, ut in his amore tui libenter maneam tecum.

Imit. Chr. Lib. III. c. 22.

CAPUT DECIMUM QUINTUM.

Quomodo nos Sacrosanctum Cor Jesu flagellati, imitari per voluntarias mortificationes oporteat.

1. *V. J.* Ecce, fili, Pilatus contra expectationem suam videns, me Barabbæ a Judæis esse postpositum, tantam illorum invidiam stupuit; at me nihilominus justum esse credens, adhuc volebat me dimittere, sed simul gratificari populo cupiebat.

Quærens duobus servire magistris; hinc nimirum placere hominibus, illinc conscientiæ satisfacere, aliud tentavit ad me eripiendum medium, iniquitate et crudelitate plenum.

Statuit enim me ad talem reducere conditionem, ut homines, si adhuc humana corda haberent, me videre non possent, quin ad commiserationem moverentur.

Nullam, inquit, causam inveni in homine isto: corripiam ergo illum et dimittam. Statimque per ministros me apprehendit, ut me flagellis laniaret.

Ecce cito milites me columnæ alligarant: jamque densis ictibus ac totidem vulneribus corpus meum lacerant: alii aliis succedentes augere verbera et vulnera certant.

En sanguis fluit undique; omnia circum purpurat; tingit ipsos flagellantes. At hi in rabiem acti, vehementius incumbunt, carnem flagris avellunt et dispergunt.

Eradamus, vociferantur, eradamus eum de terra viventium, et nomen ejus non memoretur amplius!

Lamentabili hoc spectaculo cœlum commovebatur: Angeli affecti, obstupescebant Cordis mei nimium erga homines amorem.

2. Tu, fili, pie et attente meditare stupenda hæc tormenta mea, et disce, quam gravia, quam horrifica sint peccata carnis, quæ tantam exegerint satisfactionem. Nonne hæc vulnera clamant ad omnes, ut ex compassione saltem desinant voluptati carnis indulgere, ac novos addere dolores?

Disce, et quantus sit Cordis mei amor, quo innocens sponte subierim pœnas nocentium. Imo, fili, amor, ardens desiderium salvandi omnes effecit, ut toto Corde dederim immaculatum corpus meum percutientibus, ac libenter tolerarim horrida flagellationis supplicia.

Disce demum, quomodo tibi tractandum sit istud corpus tuum, quod in peccatis conceptum, in passionibus accretum, ad malum propendet.

Vide, quid Sancti didicerint: adverte, qua ratione mortificarint membra sua, quo modo sensus omnes afflixerint.

Quam multi inter illos, qui numquam perdiderunt primam gratiam, et tamen asperum usque gesserunt bellum adversus carnem suam, domueruntque fragile corpus, et in subjectionem perfectam omnimoda mortificatione coegerunt!

Erant quippe illorum corda Cordi meo similia, ideoque similes fructus in corpore producebant. Nec illi omnino se felices reputassent, nisi in hoc etiam se mihi quodammodo conformassent.

3. Itaque, fili, etsi justus sis, carnem tuam mortifica, cum ut non insurgat et te perdat, tum maxime ut te mihi assimiles sicque te sanctifices.

Multi sunt amatores sui, homines sensuales, licet tales haberi nolint, quibus non sapit carnis mortificatio, ac quibus semper in promptu est aliquis prætextus se a mortificatione eximendi.

Insipientes et delusæ animæ! Amen, amen, nisi pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis. Si quis autem, quamvis videatur Sanctus vel etiam Angelus, contrarium dixerit, anathema sit.

Mementote, quid dicat Spiritus: „Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis.“

Prudentia carnis mors est: prudentia autem spiritus vita, et pax insuper ac gaudium.

Itaque si secundum carnem vixeritis, moriemini; si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis, atque pace fruemini et gaudio cordis.

4. Fili, anima teipsum spiritu amoris, quo Cor meum acerbæ flagellationi se submisit, et mortificationem invenies facilem, et fructus ejus suaves experieris et salutares.

Non est tempus nec locus, ubi mortificationem alicui sensuum afferre subinde non possis.

Nonne et debes, ubicumque fueris, magis esse studiosus ad mortificandum corpus tuum, ut me imiteris et cœlum obtineas, quam peccatores, ad ita carni suæ gratificandum, ut flagellationem meam renovent, ac sibi mereantur infernum?

Age, fili, nec time quidquam. Voluntaria mortificatio via vitæ, et libertatis, et tranquillitatis, et virtutis, et sanctitatis.

Beati, qui per hanc viam ambulant: horum felicitas non nisi expertis nota.

5. Qui se non mortificat in rebus indifferentibus ac licitis, vix et ne vix quidem in necessariis et illicitis se mortificabit.

Si vis discere teipsum mortificare in magnis; mortifica teipsum constanter in parvis.

Modo curiositas oculorum, modo ardor audiendi nova, modo desiderium inutilia loquendi, modo cupido odorandi grata, modo inclinatio ad experiendum sensui blandientia; nunc aviditas manducandi aut bibendi sine ratione sufficienti, nunc animus agendi unde alii incommodentur: hæc et id genus alia frequentis, imo continuæ quodammodo mortificationis materia esse possunt.

Hæc, fili, tibi erunt innocentiæ fidæ custodiæ: hæc divini amoris nutrimenta erunt: hæc conservabunt in corde tuo fervorem: hæc erunt sacrificia perpetua super altare interioris sanctuarii oblata, quæ sacrificiis Cordis mei unita, indesinenter ascendent ante thronum Altissimi in odorem suavitatis.

Hæc parva et quotidie frequentia inserviunt ac conveniunt omnibus, junioribus et senioribus; infirmis et robustis; incipientibus, proficientibus, perfectis: nec quisquam se ab illis eximere sine teporis nota potest.

In his nemini valetudinis periculum: ad hæc nulla permissionis necessitas: hæc universis secura et salutaria.

6. Magnas autem assumere mortificationes non possunt omnes æqualiter: omnes enim non habent eamdem indigentiam, nec easdem corporis vires, nec denique eamdem vocationem.

Quare consultum est, circumstantias singulas moderatori spirituali convenienter aperire, cum ipso mortificationis mensuram prudenter decernere, illo inconsulto nihil extraordinarii suscipere, ne specie boni bonum verum amittas, neve ad majus bonum te reddas ineptum.

Ex mortificationibus illæ præferendæ sunt, quæ natura sua magis apta videntur ad sensus spiritui et gratiæ subjiciendos, disponuntque te melius ad incommoda fortiter ferenda, secundum exemplum meum.

Sed ante cæteras omnes amplexandæ sunt eæ, quæ a me, ab Ecclesia, a Superioribus præscribuntur. Hæ sanctius, securiusque exercentur, quam quæ propria electione assumuntur: hæ fructus producunt plures ac pretiosiores, cum mortificationi accedat obedientiæ virtus et meritum.

Fili, si grato animo memineris, quomodo ego vulneratus sim propter te, et attritus ob iniquitates tuas, studebis cum Apostolo stigmata mea portare in corpore tuo, et ita vivere, ut vita mea in tua manifestetur.

7. *V. D.* O Jesu meus et Deus meus! vere tu vir dolorum es; ecce enim te flagellatum contemplor, et video te non habentem speciem neque decorem, quasi leprosum et percussum, ita ut non sit aspectus in te!

Unde, eheu! unde nisi peccatis meis ad istud redactus es extremum? Ego vilis homunculus peccavi crudeliter, quod tu, supreme Deus, tot et tantis plagis, tot et tantis vulneribus expies!

O quale Cor tu habes, Domine Jesu! quantus amoris tui excessus, ut ista tu pro me pertuleris? O amantissime, o dulcissime Jesu! quam potens hic ratio confidendi in te, quantumcumque ego miser fuerim! quam urgens incitamentum te toto corde redamandi!

Quam portentosum autem, quam horribile foret, si, cum tibi gratum amorem in æternum rependere debeo, peccando tibi tormenta tua renovarem!

Præstat millies hic ante te mori, quam tale quid facere. Imo, Domine, amore tui malo hic expirare, quam in te peccare.

Quod ut vitem efficaciter, largire gratiam, ut corpus teneam constanter subjectum, ac sensus omni occasione mortificem.

Da mihi, obsecro, ferventem tui amorem: et ecce mortificatio erit mihi vita, qua tibi vivam, te imiter, te continue colam, tibi quotidie sacrificem, nunc hostiam laudis aut gratitudinis, nunc victimam alicujus sensus aut inclinationis, nunc holocaustum totius cordis mei.

Imit. Chr. Lib. III. c. 25. et 26.

CAPUT DECIMUM SEXTUM.

Quomodo, ex Sacrosancti Cordis Jesu exemplo, discere corporales sufferre ægritudines ac dolores debeamus.

1. *V. J.* Fili, post flagellationem, toto corpore meo manante sanguine, ecce milites me duxe-

runt in atrium prætorii, et illuc cohortem universam congregaverunt.

Et plectentes coronam de spinis, dire illam posuerunt super caput meum, et in dextera mea arundinem.

Et veniebant singuli, et ante me genu flectentes, mihi illudebant: surgentes autem, acceperunt arundinem eaque percutiebant caput meum, et ita spinarum acumina usque impellentes, totum caput undique perterebrarunt.

Nunc, fili, dolores mei ad excessum venerant ineffabilem; et usque ad ultimum suspirium, manente corona, duraturi erant, continue aggravescentes.

Ecce trahebam membra perfracta, artusque contusos, et sensus omnes ægros ac præ nimio dolore vix sui compotes.

A planta pedis usque ad verticem capitis non erat in me sanitas, seu intus seu foris.

2. Fili, numquam hos Passionis meæ cruciatus perfectius intelliges, quam cum ipse pateris similes: cum experiris corpus doloribus tortum, animamque afflictionibus confectam.

Quando homo fortuna, aut fama, aliisve rebus externis privatur, id grave quidem est et acerbum naturæ: at longe gravius multoque acerbius est, ægrotationum corporalium pœnis discruciari.

Etenim in externis rebus istis, potest homo, per magnanimitatem, juvante gratia, se levare usque ad tribulationis causam et effectum vel obliviscendum vel non curandum: in ægritudinibus autem corporalibus non potest non sentire quod sentit, et, quidquid faciat, semper et ubique se ægrum habet secum.

Verumtamen, si ægritudo est pœna major, majora quoque bona procurat bene patienti.

Quamobrem, fili, maxima tua cura sit, eam corde bene disposito tolerare, et, quantum vales, in ea Cordis mei dispositiones imitari.

3. Primum quidem, cum aliquem senseris morbum, tamquam visitationem amoris Cordis mei accipe, dicens corde saltem: Benedictus Dominus, quia visitavit puerum suum! Et quamvis sentias, te id non nisi gravate facere, ne omittas: hoc enim et facilius superabis reluctantem naturam, et plus mereberis.

Tum, divinæ voluntati resigna teipsum, quo melius potes modo: et hanc sanctam resignationem quam frequentissime renova, pro certo habens, te maximum inde firmamen recepturum esse et solatium.

Deinde, dolores tuos meis doloribus uni, idque repetitis sæpe actibus, ad varios fines, quos necessitas tua, vel utilitas, vel etiam pietas postulaverit.

Hac unione divina, quæ abundat unctione gratiæ, lenientur afflictiones tuæ, levioresque tibi fient et dulciores.

Denique, fili, ad juvandum te ad perseverantiam, et ad animam tuam in pace possidendam, constanter averte, quantum potes, attentionem cogitationemque etiam a causis dolorum tuorum, imo et ab ipsis doloribus tuis: attende vero ad exemplum meum, invictamque Sanctorum patientiam, et cogita, quam immensam, quam suavem in cœlo obtenturus sis mercedem, nisi per voluntariam impatientiam perdas.

4. Interea, fili, quoniam multa indiges gratia, et ex te solo nihil salutare facere potes, insta

orationi pro viribus tuis: præsertim brevibus fervidisque precibus, sic aut aliter ad me aspirans: Ecce, Domine, quem amasti usque ad mortem, infirmatur.... Domine, da patientiam.... Da resignationem.... Da unionem tecum usque in finem.

Quodsi infirmitas ingravescat, optime feceris quod discipulo Cordis mei dignissimum est, si mihi actu offeras corpus tuum, hostiam viventem, et acceptes tibi mortem, eo tempore eoque modo subeundam, quo mihi placuerit.

Scito, fili, te quandoque fore, quidquid etiam in contrarium feceris, ad animi dejectionem valde propensum. Aegrotantis ac languentis naturæ effectum esse memineris, quo turbari te non oportet neque licet. Tantummodo cura, ut illi non cedas vel indulgeas ultro. Cedendo enim aut indulgendo, et augeres dolores tuos frustra, et ipsum cor tuum redderes male dispositum.

Si quando dolores angoresve tui eo usque te deducerent, ut vix ipsis animæ facultatibus reflexim uti posses, simpliciter permane quietus inter manus meas: ne violenter aut anxie coneris affectus elicere vel actus, sed contentus esto mihi manere tranquille resignatus.

Beatus ille, qui in ægritudine salutiferæ voluntati divinæ perseveranter adhæret! Quamdiu enim unitus est divino beneplacito, super Cor meum quiescit, et tuta sunt omnia.

Fili, ne despondeas animum neque te desoleris ob dolorum tuorum magnitudinem aut diuturnitatem: memento, multos Sanctos longam vitam in doloribus maximis traxisse, atque his se sanctificasse resignatos: et considera, pœnam tuam, quantumvis magna fuerit et diuturna, quasi nihil

esse ad immensum et sempiternum gaudium, quo patientia mox remuneranda est in cœlo.

Recordare meorum tormentorum excessum, ac martyrium meum vitæ coætaneum: et reminiscere, me hæc amore tui voluntarie pertulisse. His multum juvaberis ad afflictiones tuas amore mei constanter tolerandas.

5. Ne voluntarie morosus fueris aut impatiens erga illos, qui tui curam agunt. Infirmitas tua sæpe efficiet, ut incuriosi vel negligentes tibi videantur.

Quoties opus aut usus fuerit, cum humilitate et charitate exponere licite potes, quid necessarium vel utile tibi credideris. Ita interim dispositum te conserva, ut sive annuatur desiderio tuo, sive renuatur, resignatus ac pacatus maneas.

Quidquid, a parte te curantium, acciderit tibi patiendum, tamquam portionem ægritudinis non minimam, accipe et tolera patienter. Id enim propter circumstantiarum acerbitatem magnum habet meritum.

6. Cave, fili, re carni, prætextu infirmitatis, indulgeas. In hoc errant non pauci, qui ex infirmitatibus, non solum non meliores, sed contra pejores fiunt, amatores corporis facti et passionum servi.

Da corpori quod corpori debetur: sed neque in bona, neque in mala valetudine, neque in vita, neque in morte subministra nutrimentum inordinatis carnis inclinationibus, quæ ut in sanitate, sic in morbo periculosæ, adeoque mortificandæ sunt.

Spiritu mortificationis difficilibus submitte te remediis, insipidisque aut amaris medicamentis. Tanto pretiosior hæc mortificatio, puriorisque amoris erga me testificatio, quanto magis molesta et ab inclinatione naturæ magis aliena est.

7. Tempore, quo ægrotas, fili, noli te occupare desideriis obeundi munus aut officium tuum, laborandi pro te vel pro aliis, pietatis opera perficiendi, alia denique agendi bona, quæ cum infirmitate tua sunt insociabilia.

Talia ad nihil inserviunt, nisi ad te inutiliter affligendum, ad te male turbandum, ad mihi displicendum.

Illa jam a te non requiro, fili; quod nunc a te requiro, hoc est, ut bono corde patiaris, divinæ voluntati meæ resignatus.

Fac modo quod a te volo; et cætera omnia relinque Providentiæ meæ, quæ sine te rite ordinare universa noscit ac potest.

8. Vide, fili, vide ne ægrotus proprium ductum sequi velis. Isto enim præsertim tempore cæcus cæcum te in aliquod duceres præcipitium.

Religiose obtempera Superioribus, teque a me per illos dirigi sine. Honora medicum propter necessitatem, et illi in simplicitate cordis obedi.

In infirmitate ne despicias teipsum per negligentiam aut incuriam: sed rationabiliter utere mediis, orans Deum, a quo est omnis medela, ut, si bonum tibi fuerit, per illa te sanare dignetur.

His factis, quantumcumque gravis fuerit morbus, crede, eam tibi esse rem vere bonam, cum sit divina voluntas.

Age, fili, esto volenter martyr dolorum amore mei, qui per omnes dolorum excessus factus sum caput omnium Martyrum.

Patientiam habe, o fili Cordis mei, patientiam habe: ecce adhuc modicum aliquantulum, et dolor tibi vertetur in gaudium, et ego ipse, qui amore tui spinis coronatus fui, te gloria et honore coronabo.

9. *V. D.* Benedictus, Domine, quia visitasti puerum tuum, ut me in tempore misericorditer præpares ad æternitatem!

Deus meus, cœlestis hominum Curator! ecce in manus tuas committo corpus et animam meam. Tu scis, quid melius sit mihi: fac de me quidquid pro Cordis tui bonitate volueris.

Multum patior, Domine Jesu; tu noscis. Adjuva me gratia tua; amore tuo conforta me. Si pœnam durare vis, auge, precor, auge gratiam, auge patientiam.

Quidquid patior, tuæ perpessioni multo magis dolorosæ unio, et oro, ut totum vertas ad tuum honorem et ad salutem meam.

Concede mihi favorem hunc magnum, quem te, per benignissimum Cor tuum, rogo suppliciter, ut me tibi inseparabiliter unitum teneas, et ita perducas ad miseriæ terminum, ad beatitudinem æternam.

Imit. Chr. Lib. III. c. 18.

CAPUT DECIMUM SEPTIMUM.

Quomodo, ad exemplum Sacrosancti Cordis Jesu, mortem accipere debeamus.

1. *V. J.* Fili, Pilatus me portantem coronam spineam et purpureum vestimentum eduxit foras, et ostendens me universo populo: Ecce, inquit, ecce homo!

Judæi autem me videntes, non tantum non mitigati sunt, sed contra vehementius sitierunt reliquum sanguinem meum; et conclamarunt, omnes simul vociferantes: Crucifige, crucifige eum!

Pilatus denuo frustratus, ac magis quam ante timens, ait: Non invenio in eo causam. At illi magis insistebant, eique minabantur: Si hunc dimittis, inquiunt, non es amicus Cæsaris.

Videns se non posse libertatem dare mihi, quin populi, ac Cæsaris forte, perderet favorem, Pilatus conscientiam sibi formavit falsam, sicque in illusionem fatalem lapsus est. Lavans enim manus suas coram populo: Innocens ego sum, inquit, a sanguine Justi hujus: vos videritis. At illi exclamabant: Sanguis ejus super nos et super filios nostros!

Tunc Pilatus adjudicavit fieri petitionem eorum, et me, quem iterum iterumque invenerat et declaraverat innocentem, tradidit voluntati illorum, ut crucifigerer.

2. Oh! quis, fili mi, quis enarret, quid tum senserit Cor meum? Ecce de cœlo descenderam, ad consolandum et salvandum mundum: sudaveram et alseram, sitim toleraveram et famem, vitam impenderam, usque laborando et usque patiendo, omnia denique sacrificaveram, ad reddendos omnes beatos: et pro his omnibus mene tandem ab illis ipsis recipere mortem, atque mortem crucis!

Quantus dolor Cordi meo ingruit ex tanta ingratitudine ac tanta iniquitate hominum? Quantus dolor ex obstinatione cordium illorum, qui, spreta felicitate oblata, se ultro devovebant infortunio! Quantus dolor ex afflictione piissimæ Matris dilectorumque Discipulorum, a quibus, non acerbe tantum, sed etiam ignominiose me avulsum iri videbam!

Attamen resignato Corde sententiam mortis amplexus sum, non considerans infandam condemnantium malitiam, sed intuens Patris mei cœlestis beneplacitum.

Pater enim ex summa eorum malitia, quam illi per abusum liberi arbitrii committebant, et quam ipse reprobabat, pro infinita sapientia sua eruere voluit bonum summum, Redemptionem mundi.

Itaque, invito humanæ naturæ dolentis sensu, cum supernaturali quodam gaudio me subjeci morti, qua salvandus esset mundus, cœlum aperiendum, divina Majestas placanda et bonoranda, ipsum denique Cor meum redamandum et superexaltandum in perpetuam æternitatem.

His Cordis mei dispositionibus stude, fili: hæc sensa indue: iisdem, quantum potes, affectibus accipe mortem tibi subeundam.

3. Sciens omnes homines naturaliter horrere mortem, eamque veluti rerum omnium in terra maxime terribilem formidare ob præterita, et præsentia, et futura, non tulit Cor meum, ut illos relinqueret destitutos exemplo, quo se bene instruerent ac suaviter consolarentur.

Ne igitur sis attonitus, fili, neque turbatus, si, cum re aut expectatione mors appropinquat, vehementem senseris naturæ horrorem atque repugnantiam. In hoc nihil mali: totum naturale, quod, si volueris, ad bonum tuum inserviet.

Tantummodo ne sensibus naturæ indulgeas, ne forte te male dispositum reddant, neu divinæ voluntati, cui naturalia et creata omnia submissa esse debent, te non sinant esse resignatum.

Suffer patienter omnem repugnantiam naturalem, eaque utere tamquam occasione magnas exercendi virtutes, et colligendi merita multa.

4. Fili, ne permittas, ut imaginatio peregre discurrat, nec rationem naturalem sequaris ad ordinationes divinæ Providentiæ investigandum, nec

denique voluntati tuæ, quantumvis bona vel sancta videatur, te inclines, ne in periculosam cadas illusionem.

Verum imaginatione cohibita, et rationem et voluntatem tuam mihi submitte: ita non parum mereberis, ac simul tranquillus eris et securus.

Si ob res aut personas, quas per mortem relicturus es, dolorem experiris vel anxietatem, ne patiaris cor tuum perturbari. Etenim perturbatio tua nec illis nec tibi prodesset quidquam, plurimum contra obesset.

Factis pro illis, quæ pro illis facere debes aut potes, omnes committe mihi, qui novi quæcumque te circumstant, et qui tuorum curam pro Cordis mei amore agam multo melius, quam agere tu potes.

Memor esto exempli mei, fili; recogita, quomodo ego mihi charos reliquerim, eosque divino commiserim beneplacito. Hoc te occupa, hoc te consolare.

5. Ne te contristes, fili mi, eo quod hac vita jam excedere debeas. Quid est enim vita terrestris, nisi continuata ærumna? Quid est morari in hoc mundo, nisi manere in exilio? Quid est denique versari inter homines, nisi peregrinari a me et ab Angelis meis?

Si rem bene intueris, vocante me, tibi melior est mors, quam vita amara. Est enim mors mundi malorum finis, discessus hinc ad me, initium bonorum, quæ nec vicissitudinem habent nec terminum.

V. D. Sed, Domine Jesu! si scirem, me post mortem inter Sanctos fore tecum, profecto non contristarer, at gauderem utique: verum hoc trepido, hoc angor, quod ignoro, quid futurum sit,

utrum amore an odio dignus judicer: utra proinde me maneat æternitas, felix an infelix.

V. J. Quid times aut quid angeris frustra, fili mi? Scito, hominem, a quantumvis perversa etiam via vitæ sincere volentem salvari et ad hoc cooperari, numquam abjectum iri a me, qui volo omnes homines salvos fieri.

Tene pro certo, facienti quæ potest me suppleturum esse reliqua. Fac igitur pacate quod in te est, et cæterum conjice te super Cor meum: hic, fili, hic numquam peribis.

Esto itaque tranquillus, ac prout potes, teipsum ad transitum ex tempore in æternitatem præpara.

6. Ac primum quidem, offer teipsum Deo corde submisso, et ora, ut mortem tuam in unione mortis meæ accipiat, tamquam sacrificium ad expiandum omnia delicta tua, ad satisfaciendum pro cunctis tuis debitis, ad cultum divinæ Majestati præstandum, denique ad tuum erga illam amorem testificandum.

Tum, toto corde ignosce prorsus omnibus inimicis, proximis universis, qui te in quacumque re læserunt vel offenderunt.

Deinde, qua potes diligentia sancta suscipe Sacramenta, quibus Ecclesia sollicitudine materna te munire satagit, ut in ultimo certamine victoriam obtinere, et triumphans in cœlum ire valeas.

Denique, resigna te totum in manus meas, volens mori, non quando nec quomodo tu volueris, verum quando et quomodo ego maluero. Tu nescis tempus ac circumstantias tibi meliores: ego autem scio, fili, atque in his, si ipse voluntarie non posueris obstaculum, te ad me vocabo.

Itaque resigna te mihi penitus per absolutam tui ipsius in manus meas deditionem: tibique persuasum habe, nihil tandem melius facere te posse, quam divino beneplaciti integre te unire, ejusdemque beneplaciti te sacrificare perfectum holocaustum. Quod si feceris, salvus eris.

7. Quam beatus, fili, qui ita se ad mortem disponit dispositumque conservat! Illi sane mors tuta et beata: illi mors nullum malum, sed contra bonum magnum et multiplex affert.

Ecce enim Pater tuus, qui est in cœlis; Mater tua, cœlorum regina; Socii tui, sancti Angeli; Fratres tui, Electi omnes; patria tua vera et permanens; bona, et gloria, et beatitudo tua: hæc omnia sunt in altera vita, et non nisi in altera vita illis plene frui potes.

Porro, fili, mors est unica porta, qua ab hac in alteram vitam intrare vales. Nonne ergo felix hora, cum ipse tibi aperuero januam ad tanta bona?

Nunc autem, donec tempus erit, ut aperiam tibi, age, patere generose; sustine perseveranter: ego tecum in labore, in tribulatione; et nisi me actu voluntario rejeceris, manebo tecum, usque dum te introducam in regnum meum, in Sanctorum consortium et Angelorum.

8. *V. D.* O suavissime Jesu! quantam consolationem mihi ex mellifluo Corde tuo infundis! Si tam dulcis est secretæ communicationis tuæ unctio, quid erit ipsa possessio tui in regno tuæ gloriæ!

Imo, Domine, introduc me in regnum tuum: cupio dissolvi et esse tecum.

Educ de custodia animam meam, ut transeam e carcere hujus miseræ vitæ ad patriæ cœlestis

libertatem, a cunctis calamitatibus ad beatitudinem æternam.

O Jesu, Deus meus et Pater meus, cujus filius ego tabesco in terra aliena, si, ut a Corde tuo infinite bono spero, te fruiturus sum in secula, quare parvum vitæ meæ reliquum æternitate non absorbeatur? quare amodo non sim tecum, ad te perfecte amandum, ad misericordias tuas in æternum cantandum, ad bonitatem et amorem Cordis tui, sine fine, sine modo laudandum et exaltandum?

Quamdiu hic maneo, in periculo versor amittendi te simul et me: quamdiu hoc corpus mortale gero, nec defectus omnes vitare, nec te, quantum desidero, amare valeo.

O Domine Jesu! dum hæc considero, propter te tædet animam meam vitæ meæ. Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu: fiat voluntas tua, sicut in cœlo, et in terra. Amore tui etiam periculum illud, amara illa subire ex voluntate tua, quam ex propria voluntate illis exire, malo.

Tu tantummodo mane mecum: ac serva me tibi resignatum, tibi unitum per reliquam hanc vitam usque in vitam æternam.

O vita præsens! O visibilia omnia! quid estis, e limine æternitatis spectata! hinc apparetis ut estis, lucidi inanesque vapores.

O æternitas! res ineffabilis! magna de te concipio: at majora in te: infinita in te sunt, quæ oculus non vidit, nec auris audivit, nec cor humanum concepit.

O sempiternum habitaculum omnium, qui rationalem acceperunt vitam! mox ero in te: mox videbo mirabilia tua: quolibet momento, veniente Sponso, quem diligit anima mea, aperiri mihi potest:

simul autem ac aperietur, ecce innixus Cordi Dilecti ingredior cum illo. Ita, Domine Jesu, amor meus in æternum!

Imit. Chr. Lib. III. c. 4.

CAPUT DECIMUM OCTAVUM.

Qua cordis dispositione, ad exemplum Sacrosancti Cordis Jesu, erga crucem affici debeamus.

1. *V. J.* Fili, sententia mortis in me prolata, omnia ad ejusdem executionem maxima festinatione parabantur. Ecce jam stabat crux expectans.

Vinctus igitur, cruore perfusus, plagis laniatus et vulneribus, ductus sum ad crucem: quam cum viderem, Cor meum æstuans: Salve, anhelabat, salve, o bona crux, semper amata, sine intermissione desiderata, tandem mihi præparata! O crux sancta! per te vincam, per te triumphabo, per te regnabo.

Tum crucem amplexans et Cordi ardenter apprimens, lacrymis irrigabam et sanguine: deinde humeris meis illam imposui, mundo spectante, contemplante cœlo.

Stipatus Judæorum et Gentilium millibus, in sancta Civitate, luce meridiana, propria tunica indutus, procedebam bajulans mihi crucem.

Ecce, fili, ecce vado erecturus in monte crucem, regni mei vexillum, adversus mundi principem: atque in vexillo picturus sanguine proprio tesseram meorum indelebilem: „Amorem Jesu sacrificantis se hominum amore,“ contra mundanorum tesseram: „Amorem mundi voluptatum, opum, honorum.“

In hac tessera mea, in hoc signo vinces, fili mi: inimici autem in sua tessera, et signo errantes cadent.

2. Sub vexillum crucis confluent ex omni natione, et populo, et tribu terræ, sibique invicem et mihi unientur.

Sub hoc vexillo discipuli mei me cognoscent Ducem, meique amore animati sequentur alacriter.

Sub hoc vexillo mei omnes certabunt; de inferno, de mundo, de seipsis triumphabunt, ipsum denique rapient regnum cœlorum.

Venite ergo, venite omnes, et quod me facere videritis, hoc facite: quisque tollat crucem suam et sequatur me, oculos in me semper intendens, animo magno procedens et corde dilatato, nusquam declinans sive ad dextram sive ad sinistram.

Omnes vos, qui me comitati fueritis, participes eritis victoriæ certæ et æterni præmii: quanto autem quisque me propius fuerit secutus, majorique amoris fortitudine se gesserit, tanto demum propior erit mihi in gloria, et major in regno meo sempiterno.

Nemo tesseram obliviscatur: nemo deserat vexillum: sed unusquisque paratus sit, pro tessera sub vexillo aut vincere aut mori, certus omnino, se ita dispositum, sive vivat sive moriatur, meum fore comitem, proindeque indubitabilis victoriæ meæ socium.

3. Ego, fili, numquam deserui crucem: sed cruci adhæsi, in cruce perseveravi, in cruce expiravi, vincens ac triumphans.

Felix anima, quæ Cordis mei sensis animata, crucem amanter amplectitur fideliterque tenet. Illam crux apud me servat; non dejicit, sed erigit;

non impedit, sed expedit ad sanctitatis culmen, ad finalem triumphum.

Itaque, fili, sub cruce permanere mecum, sub cruce vivere, sub cruce mori debes, si vis mihi assimilari, et aliquando triumphare mecum.

Neminem audias, non carnem, non sanguinem, non spiritum quemlibet, discessum a cruce tibi suadentem.

Ubi, fili mi, ubi melius quam sub cruce? Est enim crux ad regnum æternum dux: crux Apostolorum sapientia, trophæum Martyrum, Confessorum gloria, securitas Virginum, senectutis sanctificatio, custodia juventutis, mundanorum censura, speculum religiosorum, omnium denique miserorum refugium et solamen.

Si fugeris a cruce, quo ibis, fili? Ecce incides in hostium castra; ubi non una crux tibi erit, sed multiplex cruciatus undique tibi occurret, teque invadet, ac conficiet.

Ibi non meum vexillum, amorem Cordis mei spirans animumque injiciens et generositatem, te incitabit aut consolabitur; sed tyrannorum vincula sub nomine specioso te trahent per vias duras, non ad bona sed ad infortunia, non ad gaudia sed ad supplicia, non ad gloriam sed ad ignominiam.

Hic vero sub cruce, fili, mecum es Ductore, Custode, Coronatore tuo: hic inter bonos omnes fortesque et generosos versaris: hic communicas cum Electis et Sanctis, qui te præcesserunt, quique sub cruce et viventes dimicarunt, et morientes triumpharunt: hic denique unam societatem, unum constituis agmen cum ipsis Angelis, qui lateri tuo agglomerati, te protegunt, una tecum pugnant, idem regnum meum extendere nituntur.

Insipienter igitur et funeste ageres, si de cruce deserenda cogitares, vel uspiam tibi melius esse posse, quam sub cruce, imaginareris.

4. Verumtamen iniqui mundi princeps et emissarii ejus, cum sint inimici, noli mirari, si sæpe te fictis commodis sollicitent, rationibusque apparentibus inducere te conentur, ut, cruce deserta, ad ipsos transeas.

Fili, ne aspicias quidem falsa eorum commoda, neque argutiis eorum dolosis auscultes: sed leva oculos et cor tuum ad me, vexillum præferentem, et attestare, te velle sequi me in casum omnem, in mortem ipsam.

Sic fiet, ut hostium aggressiones et doli majorem ab ipsis aversionem, et adhæsionem mihi firmiorem semper in corde tuo excitent.

5. At tibi non sufficit, fili, a cruce non fugere: amplecti crucem, tollere oportet.

Hoc attende, hoc nota sedulo: ecce enim defectus omnes, quos committis, nonne ex eo oriuntur, quod crucem tibi præsentatam amplecti et tollere recusas aut dubitas?

Cum charitatem lædis, quæ vera est causa, nisi quia crucem præsentem, humiliationem aliquam, aut proprii sensus naturalisve inclinationis abnegationem subire detrectas?

Quare sanctam paupertatem offendis? nonne quia crucem non excipis; quia difficultati rogandi permissionem aut te repulsæ exponendi submittere teipsum non vis?

Quare contra modestiam delinquis? nonne ideo, quia mortificationem ferre tibi negligis; quia crucem hanc non amplecteris?

Quare obedientiæ dees? nonne quia crucem

non amas; quia sacrificium voluntatis judiciique tui integrum facere omittis?

Imo, fili, imo, in quamcumque virtutem peccas aut offendis, hanc, si bene inspexeris, videbis esse causam, quia crucem corde volenti non amplecteris, non tibi sumis.

Hujusmodi tamen crux parva, fili, et levis: hanc si amanter non excipis, quomodo majorem excipies et graviorem?

Vide, fili, ne in illusionem lapsus, pejor fias; ut illi, qui ingentem aliquam crucem sibi fingunt eamque aliquando portare statuunt, interea vero unamquamque præsentem crucem, etiam minus difficilem, studiose declinant, positique inter crucem et culpam, hanc potius quam illam amplecti assuescunt.

6. Quid metuis? cur times crucem? Erigere, fili: illam excipe, et excipiet te, miroque et multiplici modo te munerabit: ecce enim ab inquietudine, a turbatione conscientiæ, a cordis angore, quibus alii, crucem culpæ postponentes, cruciari solent, te præservabit, pacem tibi custodiet, ornabit te virtutibus, denique unctione sua te consolabitur.

Age itaque, fili mi, et etiamsi difficultatem experiaris, ne animo deficias. Ecce ego, Filius Dei innocens, gravissimam crucem ante te porto amore tui: tu amore mei portare crucem tuam post me ne dedigneris. Amor, qui mihi dulcem fecit crucem meam amaram, etiam tibi tuam reddet dulcem.

Ora frequenter, ut merearis super omnia hujus vitæ bona diligere cum gratia sanctificante crucem, pereuntibus quidem stultitiam, iis vero, qui salvi fiunt, divinam sapientiam: inimicis supplicium, dis-

cipulis autem Cordis mei consolatorium pignus æternæ beatitudinis.

Eia ergo, fili mi: veni, sequere me: illuc iter quo ostendam: si manseris mecum, ego disponam tibi, sicut disposuit mihi Pater meus, regnum.

7. *V. D.* Vivit Dominus: et vivit Dominus meus Rex, quoniam in quocumque loco fueris, Domine mi, sive in morte sive in vita, ibi erit servus tuus.

Vexillum tuum intuens, et tessera animatus, per omnia sequar te Ducem: si difficultas occurrat, tesseræ memor repetam: Amore Jesu sacrificantis se mei amore, hanc difficultatem, invito naturæ sensu, superabo, sub vexillo manebo.

Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum; si exurgat adversum me prælium, in te ego sperabo.

Venite, Socii, ecce Jesus Rex erit super nos: et egredietur ante nos, et pugnabit bella nostra.

Exeamus, improperium ejus portantes: curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in Auctorem fidei et Consummatorem Jesum, qui, proposito sibi gaudio, sustinuit crucem.

Eamus et moriamur cum illo: si commortui erimus, et convivemus: si sustinebimus, et conregnabimus.

Imit. Chr. Lib. III. c. 56.

CAPUT DECIMUM NONUM.

Quod Jesus crucifixus, orando pro tortoribus suis, immensam Cordis sui bonitatem erga peccatores demonstret atque peccatores graviter peccando ipsum denuo crucifigant.

1. *V. J.* Fili, ecce tandem venimus in Golgatha, Calvariæ montem. Sine mora crucem ponunt, et urgent et præcipitant omnia.

Nec interea me torquere cessabant. Quin dederunt mihi vinum myrrhatum cum felle mistum. Tanta erat illorum crudelitas!

Cum autem parati jam essent, clamore edito, horribiliter me cruci affigebant, clavos impellentes violentis iteratisque ictibus, quos vallis infra reboabat ad cœlum, quorumque singuli Cor Matris meæ præsentis transverberabant.

Ita, fili, foderunt manus meas et pedes meos: dinumeraverunt omnia ossa mea, quæ per actam corporis distensionem cerni poterant.

Tum videres crucem sæve attolli, et me cœlum inter et terram pendere, sanguine ex omni vulnere fluente, hinc lavante terram, illinc ad cœlum pro salute hominum clamante.

Ad augendum autem tormenta mea, extulerunt in patibula duos latrones, unum a dextris, et alterum a sinistris, ita ut ego inter ipsos medius essem.

Ecce autem simul ac elevarer crucifixus, tenebræ factæ sunt super universam terram. Sol et luna pariter lugentes, sua absconderunt lumina, mundumque luctu lugubri involverunt.

Stabat populus spectans. Prætereuntes autem blasphemabant me, moventes capita sua. Circumfusi vero deridebant me: similiter et principes sacerdotum cum scribis et senioribus me subsannabant. Illudebant autem mihi et milites, addentes contumeliam, acetum mihi offerentes. Omnes denique me saturabant opprobriis.

Inter hæc autem omnia quid ego, fili? quid Cor meum? Pater! exclamabam, Cor pandens, Pater! dimitte illis; non enim sciunt quid faciunt: nesciunt, quanta sit enormitas criminis, quod perpetrant.

2. Flebant Angeli hoc spectaculo: tota horrebat natura, stupefacta tanta iniquitate hominum, ac tanta Cordis mei bonitate.

Tu solus, nefande peccator, manes immotus orbe tremefacto: tu, cœlo pavente et terra, Passionis meæ renovas dolores.

Ecce enim de novo peccando, novam mortis meæ causam ponis: iterum committis id, propter quod crucifixus fui, propter quod et mortuus sum.

Quin imo cum gratia mea et tua experientia melius me noveris, atque majorem gratitudinem amoremque teneriorem mihi rependere tenearis; si me iterum tradis, peccando, majus peccatum habes, quam crucifigentes me: super dolorem vulnerum meorum addis: Cor meum, non mortuum, sed vivum perforas: crudelitate tua, quantum in te est, me interficis Auctorem vitæ tuæ, ac sortis tuæ æternæ Judicem.

3. O miserrime! nihil horum cor tuum commovet? Sed pejor Juda proditore, vilibus passionibus dicis: Quid vultis mihi dare, et ego eum vobis tradam?

Sed inter passionem sollicitantem, et me prohibentem positus, cum Judæis clamas: Non hunc, sed Barabbam!

Sed et reclamante conscientia: Quid ergo faciam de Jesu? facto vociferaris: Crucifigatur! crucifigatur!

Sed, o crimen! cum Pilato, volens gratificari cupiditatibus, tradis me ad illudendum, ad flagellandum, ad crucifigendum!

Hæccine, homo, hæccine reddis mihi, qui creavi te, qui redemi te, qui præservavi te? Huccine omnia beneficia mea, tot et tanta, evaserunt, ut pro his omnibus me rursum ostentui habeas et crucifigas!

4. O si reflecteres, quam horridum malum facias, cum ita peccas, quomodo facere præsumeres? quomodo auderes?

Vis scire, quantum malum sit grave peccatum? considera, quomodo ad satisfaciendum pro illo ego, Unigenitus Dei Filius, dederim, non mundum, non cœlum, non homines, non Angelos, sed meipsum, cœli et terræ, hominumque et Angelorum Dominum, qui inter tormenta incomprehensibilia sanguinem fudi et vitam ipsam.

Adhuc clarius scire vis? recogita fide vivida, quomodo illud omnia Passionis meæ tormenta tibi irrita reddat, eaque ad majus condemnationis tuæ judicium iteret crudeliter.

Profecto nusquam malitia peccati cernitur evidentius, quam in Passione mea: nec umquam peccati enormitas tam clare cognita fuisset, nisi ego propter illud mortuus essem in cruce.

Fleto, peccator, fleto super te et super sortes tuas venturas; si enim in me, viridi ligno, hæc

faciunt peccata aliena; in te, arido, quid facient tua propria, tot et tanta?

Si Angelis superbientibus parcitum non fuit, sed juste retributum; quanto magis putas deteriora mereri supplicia hominem, qui Filium Dei conculcaverit crucifixum?

Noli decipi, noli esse præfidentior, quia statim non puniris; modo enim sustineo: in tempore locum do misericordiæ, cum ad dandum locum justitiæ habeam æternitatem.

Si id vis, mensuram peccatorum in te tolerandorum implere vales. Non tollam liberum tuum arbitrium. Nolo obsequium a mortalibus necessitate extortum.

Ecce tibi e thesauro Cordis mei amplam effudi gratiam: si vis efficaciter cooperari, incomparabilem tibi reddam mercedem: si contra non ita vis, tu videris, tu feres secutura.

Sed en, adhuc Salvator tuus sum, adhuc Pater tuus, paratus ad te inter brachia mea recipiendum: postmodum vero justum me reperies Judicem et Retributorem.

Miserere animæ tuæ, dum tempus habes; et noli te reddere in perpetuum infelicem, abutendo Passione mea, qua felicitatem sempiternam tibi comparare potes.

5. Veni, o veni ad crucem: hic benignitas Salvatoris tui apparet: hic magnitudo paterni affectus mei elucet: hic vulnera mea non tantum ad dolorem et pœnitentiam movent, sed et veniam offerunt et gratiam: hic vox sanguinis mei clamore valido pro te intercedit: hic denique Cor meum æstuat desiderio salutis tuæ æternæ.

Contemplare, intuere me, Filium Dei, cruci-

fixum et morientem propter peccatum: et illud toto corde detestaberis, et reverteris ad fervens servitium meum, sicut turba eorum, qui simul in Calvario aderant, et viderant hoc spectaculum, percutientes pectora sua revertebantur.

Si ad iterum peccandum tenteris, ad crucem refugias, meque in illa aspiciens, dicas tibi ipsi: Ecce Filius Dei moritur crucifixus, ad salvandum me: egone ad me damnandum, denuo crucifigam eum? quod si facerem, num essent in inferno tormenta sufficientia ad tantam iniquitatem condigne puniendam?

In omni certamine cum diabolo, nullibi melius quam sub cruce prælium conserere poteris: hic enim dominio spoliatus est et robore: hic de illo facile triumphabis.

6. Et tu, fili mi, intellexisti quæ dixerim? comprehendisti, quam horribilia in me faciat peccator, quicumque graviter peccat? Num tu hæc immotus videre potes? nonne tu omni modo conari vis, ut hæc impedias?

Vide, quantum sit impedire peccatum, cum sic prohibeas, quominus ego iterum opprobriis obruar, iterum dilacerer flagellis, iterum crucifigar, affective per peccatorem.

Unde si vel unum tantum impedieris peccatum, majus quid ac melius in se feceris, quam si patriam a ruina præservasses.

Potesne me amare, et non curare, ut a me tantum malum avertas? Quodsi amor te non incendat, compassio saltem te moveat, ad præcavendum, ne tot tantisque injuriis rursus subjiciar.

Tu te Cordis mei discipulum profiteris: a te itaque peto, a te intimo Corde volo, ut per teipsum

et per quoscumque alios, quos inducere potueris, semper et ubique peccata, quantum vales, præpedire, ac crudelem peccatorum ingratitudinem fidelitate amoris tui mihi compensare coneris.

7. *V. D.* Sed et ego, Domine Jesu, peccator sum. Non sum dignus, tibi confiteor, Cordis tui vocari discipulus.

Ego enim etiam innumeris te affeci malis: ego etiam Cor tuum saturavi doloribus amariśsimis: nonne etiam, — o propitius esto mihi peccatori! nonne etiam te multoties crucifixi?

Gratias tibi æternas pro illa infinita erga me Cordis tui bonitate, qua me tam patienter tolerasti, et tam misericorditer convertisti!

Optime et dulcissime Jesu! oro te supplex, mihi largire gratiam ad compensandum injurias magnas, quibus te affeci, et ad te per reliquam vitam meam amandum tanto ferventius ac tenerius, quanto erga me melior fuisti et dulcior,

Imit. Chr. Lib. III. c. 6

CAPUT VIGESIMUM.

Quod Jesus ex Corde condonans latroni eique paradisum promittens, nos doceat, quomodo anxietas de salute æterna sit patienda.

1. *V. J.* Ecce, fili, dum tota natura obscurata, super me lugebat, unus eorum, qui pendebant, latronum, etiam blasphemare me cœpit: alter autem salutari percitus timore, increpabat eum: Neque tu, inquit, times Deum, quod in eadem damnatione es? Et nos quidem juste; nam digna factis recipimus: Hic vero nihil mali gessit.

Motus enim exemplo divinæ patientiæ meæ, charitatis heroicæ, qua pro ipsis tortoribus meis oraveram, invictæ Cordis mansuetudinis, resignationis perfectæ, inter Passionis tormenta, atque superno lumine et auxilio adjutus, in me fidem, et spem, et amorem concepit et elicuit.

Corde contritus, se affectu ad me convertit, et: Domine, exclamat, Domine, memento mei, cum veneris in regnum tuum.

Videns ipsum gratiæ, exterius quidem operanti per spectaculum præsens, interius autem e Corde meo influenti, cooperantem, eum pondere malorum præteritorum pene obrutum, deque futura animæ salute turbatum, consolari festinabam.

Confestim ex latrone feci Sanctum; ex professore iniquitatis, Cordis mei discipulum; ex Disma peccatore, socium participemque regni mei. Tanta est Cordis mei bonitas.

Amen, inquam illi, amen, hodie mecum eris in paradiso. Credidit ipse, pergensque errata sua dolere, et amare bonitatem meam, perseverabat in cruce quietus, expectans beatam spem, et amoris unionem mecum in regno meo.

En, fili, quomodo te gerere debeas in turbulentis de salute tua sollicitudinibus, quæ te aliquando angant.

2. *V. D.* Ne, quæso, indigneris, Domine, si loquar. Ecce tu mihi non dixisti: Mecum eris in paradiso. Quod si diceres, crederem utique, nec amplius de salute æterna turbarer. Nunc autem nescio, quid tandem mihi futurum sit, atque ideo angitur cor meum.

V. J. Quod si dicerem, fili, id sumere non posses, nisi salvo libero arbitrio tuo. Ego enim

semper idem sum, atque ab initio constitui hominem, et reliqui illum in manu consilii sui: adjeci mandata mea: si volueris mandata servare, conservabunt te.

Salva autem recteque adhibita hac libertate tua, tibi etiam dico: Mecum eris in paradiso. Te enim et omnes fieri salvos volo.

Verum est, quædam esse vasa in honorem, quædam in contumeliam: sed malitia humana, non divina Providentia, vasa in contumeliam facit. Si quis enim, vas in contumeliam existens, se emundaverit, erit vas in honorem sanctificatum.

3. *V. D.* Ergo, Domine, salus est a libera voluntate hominis.

V. J. Erras, fili mi: etenim homo ad hoc, ut salutem operetur, imo ad hoc, ut salutem operari incipiat, superna indiget gratia, sine qua illam nec efficere, neque etiam suscipere potest.

Porro ego gratuito omnibus hominibus hanc do gratiam prævenientem et adjuvantem, qua adhibita quisque potest se salvare, qua neglecta se perdere.

Ergo salus a me, primum; deinde, a libera cooperatione hominis: perditio vero, primum, ab homine, deinde, a neglectu gratiæ meæ.

V. D. Sed ista possibilitas, Domine, abutendi libero arbitrio; metus etiam, ne illo aliquando abutar, cor meum turbat maxime.

V. J. At, fili mi, hæc est virtus, hæc est gloria hominis, ut possit transgredi, et non transgrediatur; facere malum, et non faciat. Hoc est in terra servitium me dignum, mihi honorificum; tibi nobilissimum, atque meritorium.

Illa vero ipsa sollicitudo, ne quando libertate

tua abutaris, si intra justos contineatur limites, multorum bonorum tibi procurabit cumulum.

Nihil quippe magis est aptum, ad te custodiendum in humilitate, sine qua ceteræ virtutes omnes casui ruinæque proximæ sunt, quam ut percipias, imo et sentias quodammodo, te, etiamsi ad tertium cœlum sanctitate elevatus esses, adhuc reprobum fieri posse.

Inde etiam nascitur amor mei sollicitior, quo cuncta pericula devitare cautius, et firmius adhærere mihi studeas.

Perfectius quoque te a rebus hujus vitæ abstrahere disces, cum intellexeris, integram securitatem in ea reperiri non posse.

Denique ferventius anhelabis ad vitam immortalem, ubi a periculo, atque etiam a periculi metu tutus et securus eris.

4. Expedit, fili, ut præ rebus omnibus de æterna salute tua sollicitus sis: cavere tamen debes, ne in pusillanimitatem cadas.

Sunt qui videntes, se in perditionis possibilitate versari, ac trepidantes formidine, ne bona sua multo labore acquisita aliquando amittant miseramque æternitatem sortiantur, usque adeo corde dejiciuntur, ut nec vires nec animos habeant ad mihi alacriter serviendum, sed vitam trahant et me et se indignam.

Unde fit, ut ex possibilitate efficiant quandoque veritatem, periculum possibile in verum periculum vertentes.

Esto sapientior, fili mi: vide, ne id, quod ad tuum bonum est, ad exitium tuum pervertaris: ne per nimium metum ruinæ, ipsi ruinæ te exponas.

Serva fideliter istam voluntatem bonam faciendi semper quod moraliter potes: et anxietatem, si quam experiaris molestam, patienter suffer, tamquam partem pretiosam ac salutarem, quam interius habes in Cordis mei doloribus.

In hujusmodi afflictione patienda, hinc conare, ut ei numquam indulgeas, sed tamen permaneas divinæ voluntati resignatus: illinc sedulo cura, ne quid consuetorum operum aut exercitiorum, quæ conducant ad salutem et perfectionem, omittas.

5. Quascumque pœnas interiores senseris, ne te perturbes, tenens pro certo, turbationem homini bonæ voluntatis facienti quod potest, venire non posse, nisi ab æternæ salutis inimico, qui non valens hujusmodi hominem in peccatum aut ruinam inducere, tamen turbando, angendo, subtilitates speciosas, sub prætextu majoris securitatis, suggerendo, conatur perducere, quo aperte tentando perducere non potuit.

Hos laqueos cave diligenter, fili, nec ulla ratione te ex centro pacis tuæ disturbari sinas.

Ita ad operandam salutem tuam incumbe, quasi successus ab operibus tuis penderet; et ita ad me per orationem recurre, ac si solus ego dare possem, non solum obtinere successum, sed et ipsa opera ponere; atque ita demum fide mihi, ut credas me auditurum orationem tuam, et opera tua beato successu coronaturum esse.

6. Sed ecce, fili, frustra turbatur hic omnis homo: etenim nolo ego perire quemquam. Quid autem efficere potest, ut quis pereat, nisi peccatum? a peccato ergo serva te mundum, et in æternum non peribis.

Quid igitur anxietate circa prædestinationem

torqueris? Ecce si vis prædestinari, fuge malum et fac bonum perseveranter, et prædestinatus eris.

Beatus ille, qui vanis subtilitatibus omissis, operando, non speculando, satagit electionem suam facere certam!

7. *V. D.* O dulcissime et amantissime Jesu! vere tu Deus consolationis es. Gratias tibi pro beneficio hoc magno, quo cor meum depressum levas et recreas.

Ecce in cruce pendes doloribus confectus, et tui oblivisceris, ut memineris mei, atque non patiendo tantum sed et consolando salutem meam tutaris. Quomodo igitur sortes meas æternas non committam tibi quietus?

Per gratiam tuam, quam orare specialem non cessabo, facere volo quidquid potuero; curam autem reliquam conjicio super tenerrimum Cor istud tuum, apud quod nec latro in morte periit.

Memento mei, Domine, in regno tuo: memento mei in exilio meo: memento mei specialiter, cum videris me in periculo perdendi animam meam; memento mei in vita et in morte, ut postmodum tecum sim in paradiso.

Imit. Chr. Lib. III. c. 39.

CAPUT VIGESIMUM PRIMUM.

Quantam Cordis teneritudinem nobis ostenderit Jesus, cum Matrem suam nobis in Matrem dedit.

1. *V. J.* Ecce, fili, stabat juxta crucem Maria Virgo, Mater mea, quam neque cordis afflictio, neque contumelia turbæ, neque tortorum crudelitas, neque periculum mortis a me separare poterant.

Corde enim parata erat vel ipsa coram me mori, vel morienti mihi adesse.

Stabat ibi et Discipulus, qui vitæ innocentia mihi charissimus, in ultima cœna recubuit super pectus meum, et amore Cordis mei se inebriavit.

Cum vero vidissem Matrem Virginem et Virginem Discipulum, quos diligebat Cor meum, Matrem intuens: Mulier, inquam, ecce filius tuus. Deinde Discipulo, uni figurate pro omnibus: Ecce Mater tua. Et ex illa hora accepit eam Discipulus in Matrem.

2. En itaque, fili, tempore, quo mortales me crucifixum novis indesinenter et gravioribus afficiebant doloribus, ubi malitia cordis hominum abundavit, superabundavit amor Cordis mei.

Jam moriturus et in regnum meum abiturus, nolui Discipulos relinquere sine parente orphanos: verum amore statui illis dare matrem, matrem omnium optimam, ipsam Matrem meam.

Quin etiam ob eminentem dignitatem Matris meæ, perfectumque meum erga illam amorem oportebat, ut omnem sollicitudinem, curam omnem de illa exhiberem; utque honori et amori illi debitis providerem.

Ita quippe decebat, ut semper et ubique Ego et illa simul cogniti, simul etiam amaremur.

Et profecto ab origine mundi, homini lapso et sub serpentis infernalis crudelitate gementi Deus ipse promittens me Salvatorem, simul Matrem meam promisit.

Hæc divina promissio omni consolatione plena, in totam primi hominis posteritatem transmissa, religiosa pietate foveri usque continuavit. Licet autem inter gentes fuerit obscurata, apud populum

Dei servata est semper integra: atque renovata identidem per Prophetas, et explicata tanto clarius, quanto propius instabat plenitudo temporis, quo Deus mitteret Filium suum, nasciturum ex Maria Virgine.

Itaque, fili, quos Deus ab æterno in consiliis misericordiæ suæ conjunxerat, quos simul promiserat, illos simul expectabant, simul desiderabant homines. Quoties enim ad Patrem meum in cœlum suspirabant: Rorate, cœli, desuper; et nubes pluant Justum! toties ad futuram Matrem meam in terra suspirabant: Aperiatur terra, et germinet Salvatorem!

3. Cum tandem in mundum adveni Salvator, ecce cum Virgine Matre visus sum. Ex quo Cor creatum habui, hoc Cor Cordi Matris inseparabiliter unitum fuit.

Semper ego Virginem modo ipsa digno honoravi et amavi ut Matrem: et ipsa semper me, non solum ut Filium honoravit et amavit, verum etiam ut Deum coluit ac dilexit.

Non est creatura in terra aut in cœlo, quæ me tantum honoravit et amavit, tantum coluit et dilexit, quantum Virgo Mater mea. Hæc una, hæc sola obsequio et amore Sanctos Angelosque omnes simul sumptos superavit incomparabiliter et excelluit.

Nec est uspiam cor, quod Cordi meo adeo unitum, adeo gratum fuit, ut Cor Matris Virginis.

Et ego talem Matrem non honorarem, non amarem? et semper et ubique honoratam et amatam non vellem? Sic notum Cor meum?

4. Amen, amen dico, ubicumque prædicatum fuerit Evangelium in toto mundo, dicetur: Hæc

fecisse Matrem meam mihi, et illi me fuisse subditum. Imo et usque ad consummationem seculi, ubicumque ego cultus ac dilectus fuero ut Salvator, ibi ut Mater honorabitur atque amabitur Maria.

Sed et ubicumque locorum religio mea fuerit, fidelium mentes reformabit, et feminæ conditionem nobilitabit.

Unde enim, putas, tanta apud vere fideles æstimatio innocentiæ, et tanta erga feminam æquitas, nisi a purissima, et augustissima Virgine Maria?

Feminam barbaries inculta servam miseriæ fecit: culta infidelitas idolum passionum: error religiosus deceptionis instrumentum: sola religio Catholica vere liberam fecit, ac recte honoravit, liberamque et honorabilem conservat, illi Virginem Deiparam usque proponens.

5. Ecce igitur, fili mi, ecce Mater tua, quæ te sub cruce adoptavit sufferens mecum. Huic honorem exhibebis Matri tuæ omnibus diebus vitæ tuæ, memor, quæ et quanta mecum passa sit propter te.

Agnosce magnitudinem doni, quod in danda tali Matre tibi dedit Cor meum moriens. Quid, fili, quid melius tibi dari poterat? Ecce enim nihil in mundo Cordi meo charius, nihil tibi dulcius, quam Mater hæc optima.

Affectu enim singulari, et compassione, et amore, et sollicitudine abundat Cor ejus maternum: nec potest oblivisci filios, quos in tantis doloribus a me expirante accepit fovendos.

Cor ejus formatum ad Cor meum, patet omnibus sub nomine dulcissimo Cordis Matris, ita ut omnes accurrentes, facilem semper inveniant accessum, ab illa benigne excipiantur, ad Cor meum per illam introducantur.

Per Mariam Virginem ad homines ego veni: ad me homines debent venire per illam ipsam.

Quascumque ergo volueris a me obtinere gratias, commenda Mariæ, ut Mater mea, et tua Mater Cor meum pro te appellet, monstretque se esse Matrem.

Exaudietur utique pro reverentia: non enim fas est, ut avertam faciem a Matre mea, aut ei quidquam recusem. Jura namque materna, quæ habuit et exercuit in terris, non amisit in cœlis, ubi mecum regnat Angelorum ac Sanctorum omnium regina.

Per Virginem Mariam si quis ad me accesserit, non repelletur, verum usque in Cor meum admittetur, et experientia discet, quæ sit altitudo, et profunditas, et latitudo potestatis, quam Mater mea habet in Cor meum.

6. Quemadmodum ego Deum natura habeo Patrem, et Mariam, Matrem; sic tu, fili, adoptione si vis Deum habere Patrem, Matrem debes habere Mariam.

Quodsi volueris Mariam experiri Matrem, monstra te esse filium, et noli contristare Cor ejus, affligendo per peccatum Cor meum. Maledictus enim, qui exasperat matrem suam.

Duplex autem maledictio, duplex væ illis, qui honorem et amorem Matri meæ debitum destruere vel diminuere conantur: sicut enim laudes, ita et vituperia, tributa Matri, refunduntur in me, Filium.

Ideoque inimici ejus ignobiles erunt: imo quicumque in eam peccaverit, lædet ipsam animam suam. Qui vero elucidant eam, debite honorando et amando, vitam æternam habebunt.

Ne Mariam Sanctis et Angelis mere æqualem,

vel etiam inter illos primam esse reputes: ipsa enim constituit ordinem super ceteras creaturas omnes; ita ut Sanctos cœlestesque Spiritus universos longe transcendens, neminem nisi me cum Patre et Spiritu Sancto supra se videat.

Itaque cultu speciali ac peculiari affectu prosequenda est. Illam, fili, honora et ama, quantum vales: excedere non potes, quamdiu illam, non ut Numen, honore et amore prosequeris.

Ante omnia vero a Maria disce Cor meum perfecte imitari. Ipsa enim conservabat omnia verba, et omnia exempla mea, ponderans ea in Corde suo: atque ita assecuta est doctrinam Cordis mei, cujus vitam virtutesque et sensa manifestavit, in se perfecte expressa.

7. Beatus eris, fili, si Matrem meam Virginem sic colueris. Per illam, viam ad sanctitatem, interiorem vitam experieris facilem ac dulcem: per illam, reperies misericordiam, et gratiam, et consolationem, et omnia tibi necessaria aut utilia: per illam denique, eris mecum et perseverabis.

Ad illam ergo omni occasione, tempore quolibet, recurre. Quid timeas? tu enim filius, et Mater ipsa. Quid dubites? ecce enim nemo ipsam adit frustra: accipiunt omnes: Per ipsam, mundus salutem, captivi redemptionem, peccatores spem, justi gloriam, Angeli lætitiam.

8. *V. D.* O Jesu! o Deus Salvator meus! tu Matrem tuam mihi donas in Matrem! Quis umquam tale quid audivit? Tu solus, Domine, e thesauro Cordis tui depromere tale donum et nobis peccatoribus largiri poteras.

Gratias tibi, amantissime Jesu, gratias æternas pro tanto dono, mihi indignissimo tam benigne præstito.

Ecce tua Mater, Mater mea! Parce, dulcissime Jesu, si repetam: Ecce Mater tua, mea Mater! Hoc in corde jubilum, hoc in ore mel, hoc in aure melos.

O me vere beatum, qui constitutus sum filius Reginæ cœli et terræ, Matris Dei, Salvatoris, Judicis mei.

Per hanc talem Matrem ad te, Jesu mi, confugiam: per maternum ejus amorem ad Cor tuum accedam; per immaculatum Cor ejus tuum Cor introibo usque ad unionem tecum intimam.

Cum autem ad judicium accedendum fuerit, ecce, o suavissima consolatio! Advocatam habeo apud Judicem, Matrem Judicis et meam, quæ Mater interpellet apud Filium pro filio, et cui Matri Judex dedit omnia posse in Cor suum.

Tantam ergo Matrem te, o dulcis Virgo Maria, honorare usque magis, honoremque tuum modis omnibus amplificare semper, quamdiu fuero, et conabor et gaudebo.

Quamdiu hoc cor meum amandi capax fuerit, te, o Mater Jesu, o Mater mea! amabit; imo et ardebit eodem amoris igne omnia inflammare corda, ut omnes te propter Jesum amare, Jesum autem propter seipsum diligere incipiamus in terris, et ita in cœlis beari mereamur, et amare et diligere pergamus in læta et intermina secula.

Imit. Chr. Lib. II. c. 8.

CAPUT VIGESIMUM SECUNDUM.

Quod Jesus, in cruce derelictus, doceat, quomodo nos gerere debeamus, cum tentationibus expositi linquimur.

1. *V. J.* Fili, cum in cruce portarem iniquitates hominum, pro quibus amore meipsum dederam sponsorem et vadem, Pater sic dilexit homines, ut me tradiderit.

Itaque diabolus, qui, tentatione in deserto consummata, recessit a me usque ad tempus, nunc in Passione mea reversus, violentius me aggressus est, et pressit obstinatius.

Præter malitiam propriam, usus est perversitate malorum, quos excitavit tum ad me omni cruciatu ac morte ignominiosissima afficiendum, tum etiam ad horrida peccata coram me committenda.

Exultabat dæmon cum suis, quasi triumpharet, ac semper urgens nequissimos impetus suos: Deus dereliquit eum, inclamabat, persequimini eum, et comprehendite eum.

Ego autem propter homines conterendus in infirmitate, potestati inimicorum exterius in corpus furentium, interius Cor dilacerantium, relictus eram sine ullo sensibili solatio quocumque.

In tantis tormentis derelictus, ecce ad Patrem, quem amabam infinite, et a quo infinite amabar, oculos levo lacrymantes ac pene extinctos, simul et Cor ad extremas angustias redactum effundo: Deus meus! Deus meus! ut quid dereliquisti me?

En, fili, expressio afflictionis incomprehensibilis Cordis mei, tamquam in abyssum dolorum lapsi, et quasi diluvio tribulationum demersi.

2. Attamen beneplacito Patris cœlestis me amore resignabam: totum me offerebam sacrificium ipsi, qui me aliquando consolaturus erat secundum magnitudinem dolorum meorum.

Cumque dolor sit amoris mensura, excessum hunc dolorosissimorum angorum toleravi et expressi, ut colligerent homines, quousque ipsos dilexerim.

Sed cum ceterorum, tum tui particulariter memor eram, fili mi: imo propter te, hostium furorem derelictionemque sensibilem submisso Corde et contento sustinui.

Noveram enim, te, juxta divinam Providentiam, a dæmonis aggressibus immunem esse non posse; neque mihi latebat, fili, quanta tibi afflictio sit ista momentosa cum hoste nequissimo luctatio: ideoque tibi meum dedi exemplum, unde et instructionem et consolationem haurias copiosam.

Cognosco, fili, gemitus tuos frequentes ac profundos, cum desiderans in pace perfecta mihi vivere, liber ab omni impedimento, te in medio hostium furibundorum versari sentis.

At considera, fili, me, Unigenitum Dei Filium, Sanctum Sanctorum, ex gratuito amore expositum inimicorum rabiei, atque in ea derelictum fuisse: et non miraberis nec gravaberis, si tu, homo multimodis peccator, permitteris, etiam cum diu jam in servitio meo fuisti, insultibus tentatoris ad tuum bonum exponi, et in eis sensibili consolatione privari.

Enimvero in hoc apparet divina erga te benignitas, si neque tollit bellum, sine quo non vincuntur hostes, pax non firmatur; neque removet occasionem prælii, sine quo non habetur triumphus, non obtinetur corona.

Veri amoris Cordis mei effectus est, si tibi relinquit unde propriæ fragilitatis expositæ conscius fias, sicque in humilitate custodiaris, et impulsus necessitate tua, ad me continue tendas aut aspires.

Quam multi per tentationes perseverarunt et salvi facti sunt, qui, si tentationibus caruissent, paulatim tepidi, et superbi, et tandem reprobi evasissent!

Num novisti vel unum inter omnes, qui se sanctificaverunt, a tentationibus fuisse immunem? Nonne maximi Sancti tentationes maximas habere consueverunt?

Hæc enim est via, qua major quam ordinaria cordis puritas obtinetur: qua virtus acquiritur perfectior: qua denique anima melius ad unionem divinam disponitur.

3. Verum in hoc errant multi, quod tentationem putant esse peccatum. Quo quidem errore quid periculosius esse solet? Hinc enim erronea conscientia, perturbatio, pusillanimitas, ignavia, defectus virium et animorum ad generose resistendum ac triumphandum.

Crede mihi, fili; etiamsi tentatio cujuscumque generis per totam duraret vitam, non posset te ullius peccati reum facere, dummodo illa tibi displiceat.

Abjice ergo perniciosum errorem istum; abjice et nimium timorem, ne tenteris. Timor iste ex errore natus, amore proprio nutritus, occasio fit, unde magis tenteris et periculosius; quoniam, non tam ex divina dispensatione, quam ex proprio defectu tentaris.

Hæc est miseria hominum, ut in alterutrum tendant extremum. Alii enim, quia nimis metuun

tentationes; alii, quia eas satis non cavent, magnum adeunt periculum. Tu, fili, medius ito, si tutus esse velis.

4. *V. D.* Sed nonne, Domine, peccata summe timenda sunt et fugienda? Cur ergo non quam maxime timerem ac fugerem peccatorum pericula et occasiones?

V. J. Utique, fili, summopere timenda et fugienda sunt peccata. Sed cave fallaciam: confusionem evita: distingue recte. Etenim unum est tentatio, aliud est peccatum: unum est periculum tentationis, aliud periculum peccati: denique unum est occasio ex parte diaboli ad peccatum tentantis, aliud occasio ex parte hominis peccato se proximum facientis.

Porro occasionem ex parte hominis, cum periculum sit peccati proximum ac proinde peccatum, vitare sedulo debes: occasionem vero ex parte diaboli, cum tantum sit periculum tentationis nec proinde peccatum, fugere non teneris.

Noli id mirum arbitrari, si diabolus te tentet: iste enim nihil aliud faciendum habet, quam ut circumeat et tentet. Pro sua autem insolentia adoritur omnes, variis tentandi utitur modis; rejectus non erubescit reverti, victus non desistit iterum aggredi.

Quamobrem ne perturbari te patiaris, si tenteris. Hæc enim est malitia diaboli, non tua perversitas.

Frustra profecto et fatue ageres, si ob tentationes pacem cordis amitteres. Sic namque pacem tuam poneres in potestate dæmonis, qui te illa frui procul dubio numquam sineret.

Fili, ego novi tuam infirmitatem: novi malitiam dæmonis: sed et novi gratiæ meæ potentiam: novi

quid ex te, et quid ex gratia adversus dæmonem possis. Atque ego, cui ita subjectus est dæmon, ut me invito ne infima animalia quidem aggredi valeat: ego, cui salus tua constitit tanti, non permittam, ut tenteris supra id, quod potes, sed contra efficiam, ut cum tentatione facias proventum.

5. *V. D.* Gratias tibi, Præceptor bone, dulcis Jesu, quod ita mihi ostendisti, quomodo me habere debeam erga tentationes, antequam veniunt aut irruunt: dignare, quæso, me etiam docere, quomodo me geram, cum jam adsunt et sollicitant.

V. J. Attende, fili, diabolum tribus viis posse te aggredi vel ad cor tuum appropinquare: via externa sensuum, interna via intellectus, denique imaginationis via, quodammodo media.

Quacumque autem istarum tenteris via, statim ac perceperis tentationem, cave, ne agiteris aut turberis: sed per attentionem ad me tibi præsentem nitere te servare pacatæ mentis compotem.

Si per sensus venit tentatio, illos ne sinas ad tentationis objectum periculosum sine ratione sufficienti exponi: verum quiete simul et fortiter abstrahe, ne, si fieri potest, amplius percipias malum quod obgeritur.

Si te per intellectum invadit, ne committas, ut vel mente quidquam cum hoste tractes: at quantumvis speciosæ rationes, aut quantumvis evidentes veritates apparere possint suggestiones ejus; simul atque eas virtuti alicui contrarias esse videris, submitte te mihi sine ulla ratiocinatione, et ecce victor eris.

Si tentatio ingeritur per imaginationem ex objectis olim sensibus perceptis, aut jam a dæmone compositis, attende diligenter, ne permittas, ut

imaginatio sistat quasi aspiciens phantasmata: sed confestim et efficaciter imaginationem averte: illique, si vacat, repræsenta objecta ex fide cognita, ut mortem aut judicium, infernum aut purgatorium, cœlum vel potius Filium Dei in cruce pendentem, teque intuentem, et tibi Cor suum tamquam asylum offerentem.

Hoc autem adverte, fili mi, hoc nota, in quacumque tentatione satis esse, simpliciter attentionem alio divertere, cum hoc sit etiam modo positivo resistere.

Istis ita cautis, in qualibet tentatione, quantum potes, ad majorem profectum, conare suaviter ac firmiter unire te mihi per amoris, licet brevissimos, actus.

Multum tibi suadeo, fili, ut, dum in statu gratiæ vivere soles, in tentatione utaris actibus, non directe adversantibus malo suggesto, sed mihi amore unientibus. Sic enim melius servabis cordis pacem, malitiosam dæmonis intentionem tutius frustrabis, solidiorem reddes virtutem, perfectius et fortius mihi unieris.

Gratiæ tamen divinæ magis quam tuæ virtuti fidere semper debes. Quapropter orare frequenter, tempore pacis æque ac belli, oportet, ut gratia te certantem sustineat, te animet, te victoria donet.

Ita si victoriæ gloriam tribuis mihi, qui primus victor sum, quique gloriam meam alteri non dabo, tum, fili, ego te scuto meo circumdabo, et pro te pugnabo, tamquam bellator fortis atque invincibilis: et cadent a latere tuo mille, et decem millia ante te: nec ullus hostis prævalebit.

6. *V. D.* O Jesu amantissime! quam dulcia, quam grata e Corde tuo effundis mihi et elargi-

ris! Gratias æternas tibi agant mecum cœlum, et terra, et omnia, quæ in eis sunt!

Verumtamen unum adhuc, precor, ostende mihi et sufficit. Ecce enim accidit, ut cum ex certamine egressus sum, gravi angar timore, ne forte anima mea facta sit præda inimici.

O Domine, qui habes verba vitæ æternæ, obsecro, loquere mihi verbum, quo anima mea recreetur. Hoc novum erit Cordis tui beneficium, quod me tibi novo vicissim ac dulci debito gratitudinis et amoris obstringet.

V. J. Ecce, fili, si tentatio, dum tibi erat, tibi displicebat, signum habes certum, te illi non consensisse. Verum et in hoc distinguere debes partem cordis tui inferiorem a superiori, ad quam pertinet peccare vel non peccare.

Pars enim inferior cum superiore non semper concordat, sed frequenter, superiore invita, sibi tentatione quodammodo delectatur: imo quandoque efficit, ut superior vel nolens delectationem sentiat. Sed non nocet sensus ubi non est consensus.

Quodsi dubites, utrum tentationem senseris tantum, an etiam illi consenseris, differentiam inter sentire et consentire attende. Sentire quidem potes tentationem, dum eam libera voluntate advertente non amas: consentire vero tentationi non potes, quin animadvertens eam esse peccatum seu malum, libera voluntate ames.

At si etiam dubites, an necne tentationem sic amaveris, Sanctorum sequere regulam: Personam delicatæ vel timoratæ conscientiæ, quamdiu se consensisse certa non est, pro moraliter certo tenere posse, se non consensisse.

Profecto, fili, quicumque mihi adhærere solet, et sincero corde timet a me separari, si quando ad peccatum sollicitetur, ille ut scienter et volenter ei consentiat, magnam vim sibi inferre debet, tum ad resistendum salutari conscientiæ stimulo, quem attendere et sequi consuevit, tum ad voluntatem ab objecto constanter amato ad objectum odio constanter habitum pervertendam. Quæ sane nemo facere potest, quin malitiam clare advertat, eamque si amplectitur, sciens et volens amplectatur.

Econtra qui peccare consuevit ex mala aut ex laxa conscientia, cum tentatus dubitat an consenserit, se consensisse præsumere debet. Cum enim contractam principio aut usu consuetudinem, peccato consentaneam, habet; quando ad malum tentatur, iste ut resistat, magnam quoque debet inferre sibi vim, non solum ad actu obtemperandum monitioni conscientiæ, quam in hujusmodi re ne curare quidem solebat, verum etiam ad tentationem obfirmata voluntate repellendam. Hæc autem omnia non potest facere, quin manifeste percipiat pios conatus suos et insolitam victoriam.

7. Hinc vides, fili, quam beati sint mihi fideliter servientes, cum in tentationibus, quibus plena est vita humana, se tam suaviter consolari possint; ubi contra negligentes, ad confusionem correctionemque suam, internis angoribus ac cruciatibus torquentur.

Et hoc unum est ex bonorum millibus, quibus Cordis mei discipulos cumulo. Gaude, fili, gaude tanto bono: eoque utere et fruere ad Cordis mei gloriam, et ad animæ tuæ sanctificationem.

Hoc tamen post tentationem tibi cavendum, ne ita rem examinare velis, ut periculo te expo-

nas, tentationem aut circumstantias ejus particulatim revolvendo.

Quantum vero sinunt adjuncta, teipsum pacate humilia, rogans veniam, si quid forte superbiæ, si quid inordinati timoris, si quid diffidentiæ, si quid curiositatis, si quid negligentiæ admiseris. Post hæc, amore tuo mihi renovato, intrepide procede et alacriter.

8. Denique, fili, memor esto, viam tentationum multis patere erroribus, adeo ut nemo solus illac transire tuto possit. Quisquis ergo fueris, religiosus aut secularis, doctus vel indoctus, probato opus habes duce, quem dum obedienter sequeris, non permittam, ut obedientia te in ruinam ducat. Ego ipse de te curam habebo.

Eia, fili, animum erige: intrepidus esto. Flet ventus: sæviat tempestas: quid timidus sis? ecce ego præsens sum.

Hæc locutus sum, fili mi, ut in tentationibus levamen habeas et consolationem: non autem, ut non habeas tentationes, aut molestias earum non sentias. Has bene tolera; et tempore suo multiplicem ferent fructum.

Ne itaque deficias animo, sed divinæ voluntati resignatus esto. Age, fili, animose persevera, sciens, esse beatum illum, qui suffert tentationem; quoniam, cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ.

9. *V. D.* O quam bonus es, Jesu mi! quam bonus es! Ecce tu, o Sanctorum gaudium et Angelorum, derelictus es in cruce, et omni consolatione privatus; interea tamen me, licet undequaque indignum, non relinquis, non pateris esse sine solatio: ipse enim tu me mira suavitate levas et recreas.

Libenter remitto me tuæ curæ: totum me tuæ voluntati resigno: Cordis tui consilia de me exequere; purifica et sanctifica me via aut modo tibi placito. Tantummodo ab omni peccato præserva me.

In omni tentatione, in omni periculo præsens mihi esto efficaciter: protege me, adjuva me; ita denique me tibi unitum serva, ut numquam a te separer.

Imit. Chr. Lib. III. c. 35.

CAPUT VIGESIMUM TERTIUM.

Quod Jesus, in derelictione sua sitiens et non allevatus, ostendit, quomodo in desolatione noe gerere debeamus.

1. *V. J.* O vos omnes, qui transitis per viam, attendite et videte, si est dolor sicut dolor meus.

Ecce omnes persecutores tribulabant me apprehensum inter angustias: nec erat qui me consolaretur ex omnibus charis meis.

Vide, fili, caput spinis perforatum, faciem sanguine et fletu coopertam, omnia membra distracta, totum corpus laceratum, a planta pedum usque ad verticem capitis unum vulnus: Cor autem inenarrabilibus oppressum doloribus, confectum duritie hominum, ab ipso Patre amato et amantissimo derelictum.

Inter hos dolores, en novo tormento, vehementissima siti adeo torquebar, ut exclamarem: Sitio!

Multiplex sitis hæc, fili: ardens usque ad mortem sitis refrigerandi me undique exhaustum; ardentior sitis obtinendi salutem, amoremque, et gratitudinem hominum æternam; ardentissima denique sitis adimplendi Patris cœlestis beneplacitum.

Inimici vero audientes, non tantum me non allevarunt, sed contra in siti mea potaverunt me aceto.

Ad divinæ gloriæ reparationem, atque hominum salutem, Pater me in afflictione summa sine ullo levamine mori volebat.

Crevit usque Passio mea: at concrevit Cordis mei amor, quo me divino beneplacito uniens: Etiam, Pater, inquam Corde, etiam, quoniam sic placitum est ante te.

Atque ita ad perdurandum et tandem expirandum in extrema desolatione, meipsum penitus resignavi.

Hæc meditare, fili mi: hæc et recordare, tum præsertim, cum ipse desolationem experiris.

2. Quamdiu pietatis exercitia interius sapiunt gustumque spiritualem delectant, facile simul et jucundum est illis occupari: durum autem et ingratum, illa fideliter et accurate perficere, quando nihil nisi tædium afferunt aut fastidium.

Cum vero in illa consolatione interna cor humanum sensibili dulcedine frui, nec tam pure me propter me amare consueverit, hominem idcirco, quando ferre jam potest, omni gustu sensibili privare sæpe soleo.

Secretum est artificium amoris Cordis mei, ut vel invita discat anima, non consolationes meas, sed meipsum super omnia sensibilia quærere et diligere.

Si in desolatione mihi fidelis permanes, te puro amore mei, non tuorum præsentium commodorum intuitu, servire mihi evidenter probas.

Non est igitur quod in desolatione perturberis, fili mi, sed quod labores ad agendum generose, ad fortiter sustinendum.

3. Persiste firmiter in cœptis, et ad superandum tædium aut fastidium, quod te in desolatione afficit, ora solito magis, scrutare diligentius actus tuos tam interiores quam exteriores, attentius cordi tuo invigila, teipsum denique in rebus parvis frequentius aut perfectius mortifica.

Hoc constanti solidoque fervore languori efficaciter obsistes. Interea magis semper ac magis te resigna; et hanc tamquam maximam tuam consolationem tene, submisse et amanter amplecti divinam voluntatem.

Non semper volo te consolari sensibiliter, etiam cum fecisti quidquid potueris ad consolationem recipiendam, ne tibi noceat, neu etiam attribuas tibi quod meum est.

Hoc autem volo, ut te in omni humilitate conserves, et me quam castissime diligas. Ideo permitto, ut intime sentias, non esse in te acquirere vel retinere consolationem, sed meum esse donum.

Agnosce te ergo prorsus insufficientem veræ consolationi procurandæ, imo etiam minima accipienda indignum: illudque fatere, maximum esse favorem, qui omnem consolationem sensibilem longe transcendit, te a me inter filios meos haberi, atque Cordis mei amore foveri.

4. *V. D.* Utique, Domine Deus, maxima gratia, favor incomparabilis, tuum esse filium, dilectum Cordi tuo: sed desolatio mea non solum tædio me afficit, verum et istius favoris perceptione me quandoque privat.

Quamdiu gaudeo morali persuasione, me esse per gratiam sanctificantem, filium Cordi tuo charum; omni carere solatio cum humano tum divino,

licet grave sit naturæ et molestum, tolerabile tamen videtur, nec pacem cordis penitus aufert.

At, Domine Jesu, nonnumquam eo usque desolatio me invadit omnesque animæ facultates afficit, ut mihi videar, me a te esse separatum, nec possim mihi persuadere, me adhuc locum in Corde tuo habere.

O Salvator meus, qui scis omnia, nec opus habes, ut quis te edoceat, tu scis magnitudinem dolorum meorum ipsa morte graviorum. Omnem aliam afflictionem reputo consolationem, in comparatione cum hac desolatione, quam non audeo aspicere, et a qua tamen oculos mentis avertere aliquando non possum.

O Jesu, per excessum desolationis tuæ in cruce, peto et supplico, ut me levare vel instruere saltem non dedigneris. Fateor me horum neutrum mereri, et exemplum tuum mihi sufficere debere: sed nisi id ipse mihi applices, adeo miser sum, ut videns non videam, et audiens non intelligam.

5. *V. J.* Fili, unum est facere bonum, aliud cognoscere te facere bonum Primum constituit meritum tuum: secundum jucunditatem tibi parit. Iterum, fili, unum est in gratia mea esse, aliud scire te esse in gratia mea. Prius veram felicitatem tuam facit: posterius nihil felicitati tuæ nisi sensibilem oblectationem addit.

Porro illa notitia jucunda et oblectatoria, in qua nullum est meritum, pie privo quandoque animam, ut ad sanctitatem exerceatur fortiter, et in amore mei perficiatur. Hæc est summa puritas amoris, per amorem pro amore contendere, dum non sentis amorem, per quem et pro quo contendis.

Itaque, fili, ne labores, ut te convincas, in

gratia mea te esse. Frustra namque laborares ad tibi procurandum, quod modo, ob tuum bonum, te habere nolo.

Ego tuum verum bonum magis quæro et amo, quam sensibile oblectamentum tuum: atque hujus privationem novi tibi vere utilem, ut in rebus sensibilibus nullum inveniens fulcrum, ubi stes aut hæreas, extra sensibilia, in me uno, immutabili bono, quiescas.

Quapropter, fili, prout potueris, a gravaminibus, quæ sentis, averte te ad me: conjice te super Cor meum, attestans semper idem, te velle amore mei facere in rebus omnibus divinum Cordis mei beneplacitum.

Post hæc suaviter age quæ agenda habes, nec quidquam consuetorum bonorum operum propter desolationem omittas.

Quamdiu vero te urget desolatio, ne te molestis de illa reflexionibus occupes sub quocumque prætextu: quietus permane: ora, mihi teipsum usque resignans, usque tradens.

Hoc demum, hoc memento, te in ista desolatione, non solum in nulla creatura extra te, sed nec etiam in te, verum in me quærere debere ubi innitaris. Ideo quanto magis te relinquere, te a te avertere, Cor meum tenere, imo te in illo perdere aut oblivisci potueris, tanto melius habebis.

6. *V. D.* Sit Cordi tuo, Domine, benedictio, et laus, et gloria, eo quod bonitas ejus te movit ad docendum me viam vitæ in medio umbræ mortis.

Verumtamen, licet adeo indignus sim, ut me in pulvere ante pedes tuos prosternere non merear, patere, quæso, ut majorem adhuc tibi exponam desolationem, ineffabile tormentum, quo nonnumquam dolores inferni invadere me videntur.

Etenim videor aliquando mihi persuasum miro quodam modo habere, non tantum me tua gratia privatum, verum etiam me a te abjectum esse, adeoque infernum domum esse meam, quem evadere frustra coner.

Non auderem tantam miseriam manifestare, Domine Deus, nisi ipsa extrema miseria me impelleret ad tibi ostendendum barathrum, cujus fundum ignoro.

7. *V. J.* Sufficiunt ista, fili mi: satis enim liquet, quid experiaris.

Hoc ante omnia attende, fili, hoc ante omnia cave, ne perturberis, quantacumque fuerit desolatio tua.

Ecce quod tu pateris, passi sunt ipsi Sancti, qui mihi quam perfectissime assimilati, isto modo penitus sibi mortui sunt, et quasi novæ creaturæ mihi unice vixerunt.

Crede, et spera, et ama pure, fili mi: en nunc tempus est puras exercendi virtutes, actus eliciendi heroicos.

Ne cadas animo: id quod apparet mors, vita est abdita; id quod videtur nunc perditio, renovatio tandem invenietur.

Ex iis autem, quæ pateris, disce, fili, quantum sit Cordis mei beneficium, quo te præservo a vero æternæ reprobationis experimento, cum meram hujus perceptionem sentias omnes vitæ superare dolores.

Hinc vide, quanto jure tenearis, a malo sine mensura per me præservatus, me vicissim sine mensura diligere.

8. Sed animadverte, fili, dæmonem esse, qui tibi suggerit, ut hæsites circa veritatem meam,

qua asserui, me velle salutem mortalium omnium: dæmonem esse, qui te instigat, ut diffidas misericordiæ meæ, in qua qui confidunt, non confundentur, a qua qui petunt, accipiunt: dæmonem esse, qui te movet, ut non sentias de me in bonitate, cum tamen amore infinito ordinem omnia ad æternam beatitudinem tuam.

A spiritu diabolico veniunt quæ in se mala sunt, numquam a me, qui istis tento neminem.

Quidquid autem diabolus immiserit, id illi relinque, nec cum illo disputes, neque agas quidquam.

Tu simpliciter mane et permane divinæ voluntati quiete resignatus: et licet ob magnitudinem desolationis tibi videaris non esse prorsus conformatus divino beneplacito, ne te turbes, ne te inquietes; sed sine anxietate jacta te super Cor meum et repete: Deus, Salvator meus, fiat voluntas tua de me in tempore et in æternitate!

Impossibile est, fili mi, ut qui ita se divinæ voluntati committit, se perdat. Potius cœlum et terra transibunt, quam ut homo bonæ voluntatis, qui se sine exceptione committit divino beneplacito, unquam pereat.

Cæterum, macte animo, fili Cordis mei, patere generose martyrium istud, quo discipuli Cordis mei charissimi honorantur, ac quo palma immarcessibilis obtinetur et corona sempiterna.

9. *V. D.* O Jesu! o ultimum refugium meum! quid dicam ad hæc? Ecce consolatus et desolatus simul, quæ sentio, exprimere non valeo: sed tu vides cor meum.

Per supremam desolationem tuam, Domine Jesu, salva animam meam, pro qua tot et tanta passus es tormenta.

Quantum possum, me tibi totum committo: Cordis tui curæ me totum dedo: fiat voluntas tua de me in tempore et in æternitate.

Imit. Chr. Lib. III. c. 50. *et* 51.

CAPUT VIGESIMUM QUARTUM.

Quod Jesus omnia consummans in cruce, doceat nos etiam debere in cruce omnia consummare.

1. *V. J.* Ecce, fili, tandem opus consummavi, quod dedit mihi Pater ut facerem.

Egressus a summo cœlo ad currendum viam meam, en cursum consummavi.

Jam finio vitam, laboribus doloribusque et continuis sacrificiis constantem: at horum omnium pœnæ nunc consummantur, merita vero fructusque manent in æternum.

Ruina irreparabilis regni Satanæ consummata est, et ipse, princeps hujus mundi, dominio spoliatus et ejectus.

Stat regnum meum, quod proprio sanguine mihi acquisivi, quod ipso Cordis mei amore prospero, quod omnibus ad perennem stabilitatem securitatemque mediis firmavi, ita ut ei futurus non sit finis.

Quæ ab initio extiterunt figuræ mei, et quæ de me scripta sunt, finem habent: ecce tempus, ut consummetur prævaricatio, et finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas, et adducatur justitia sempiterna.

Nihil superest agendum, nihil superest patiendum: totum consummatum est. Nunc Corde contento moriar.

Hic siste, fili, et attende, ubi omnia consummaverim. Ecce in cruce perseverans. Inspice, et fac secundum exemplar, quod tibi monstratum est in monte.

2. Si jam didicisti sensa Cordis mei, eaque induisti, non cupies vivere, non cupies mori, nisi cruci affixus.

Non enim aliud iter, quam quo ego ivi, sub cœlo datum est hominibus, ut sancti aut salvi fiant[1]

O si adverteres, quanta bona tibi pro præsent et pro futura vita comparare possis, amanter in cruce manendo; profecto, ut ego, ita tu ultro descendere nolles.

Multo tutius, multo omni respectu melius est, in cruce perseverare amore mei, quam proprio motu tuo a cruce te liberare.

Si tribulationum pretium et præmium cognosceres, fili, hanc vitam ad patiendum arbitrareris nimis brevem, æternitatem vero satis longam ad mercedem fruendam.

3. Si vis in afflictionibus facile perseverare, ne de annis, neque de mensibus, neque etiam de diebus cogites, quibus durare poterunt: sed cogita solummodo de die præsenti, quasi ultimus esset, ac postea nihil amplius patiendum et merendum haberes.

Beati, qui in tribulationibus suis magis curant se mihi assimilare, quam se a tribulationibus liberare! Hi sunt, qui se in unione mecum per amorem purissimum consummant.

Exemplum intuere Sanctorum, qui, omni mere proprio posthabito, ita pure me quærebant, ita ardebant se mihi conformare, ut cuperent, alii quidem, aut pati aut mori; alii vero, non mori sed pati.

Neque satis habebant ea tolerare, quæ divina Providentia dispensabat, sed Spiritu meo moti, voluntarias etiam mortificationes laboresque assumebant, et fervore constanter urgebantur ad se in me amore consummandum.

4. Scrutare et experire omnia, fili, ad hanc veritatem tandem redire debebis, vitam spiritualem, vitam interiorem, reduci ad hoc, ut inclinationem et aversionem naturæ constanter amore mei sacrifices, ut Spiritu meo vivas.

Hoc autem tibi faciendum erit, quoadusque vita duraverit. Quamdiu enim vixeris, tamdiu eris homo, adeoque in malum pronus aut labilis, nec aliter quam nitendo vel conando, adjuvante gratia, a malo atque imperfecto declinare, et facere bonum ac perfectum poteris.

Ita, generose et naturæ contraire, et sequi gratiam, amore mei; hic est spiritus Sanctorum.

5. Si recte sapis, fili mi, eorum, quæ pateris non aliam mercedem in hoc mundo desiderabis, quam majorem mei amorem, majoremve gratiam perfectius patiendi propter me.

Afflictiones tuæ numquam æquabunt meas: ego tamen in his perseveravi donec consummarim vitam ut tu disceres in tuis perseverare, quamdiu divinum beneplacitum voluerit.

Erubesce, fili, te esse aliquando tam vecordem, ut de me in cruce derelinquendo cogitare possis.

Si diligis me propter me, in nullo casu a me recedes. Si autem propter te diligis me, non mirum, si, premente et perdurante tribulatione, audeas optare quæ tibi jucundiora sunt.

Mercenarius enim non dominum curat tantum, quantum seipsum, facilique negotio relinquit domi-

num, cui sine præsenti lucro ac cum forti labore servire debet.

At tu non accepisti spiritum servilem mercenarii, sed spiritum nobiliorem, spiritum filii, ut ubi ego, ibi et tu sis.

Vide, fili, ne degeneres spiritu: persevera mecum, paratus in loco mori potius, quam loco cedere.

6. Quid proderit te multa passum fuisse propter me, nisi consummes per perseverantiam?

Si me hucusque in tribulationibus secutus sis, gaude, fili: at simul memento, non qui cœperit sed qui perseveraverit, hunc fore salvum. Promittitur quidem incipientibus præmium, perseverantibus autem datur.

Ad te stimulandum ad perseverantiam, frequenter ante oculos pone remunerationem illam æternam, quæ te manet inter Sanctos, quæque longe excedet omnem tribulationem præsentem.

Multum ora, fili, ut non deficias, neque perdas coronam tibi præparatam. Quamdiu bene oraveris, tamdiu bene perseverabis.

Denique, fili, semper memor esto exempli mei et præsentiæ meæ: quotidie renova propositum, et cor obfirma, ad manendum mecum. Sic transibis unum post alium diem, et tandem ad finalem beatamque consummationem pervenies.

7. *V. D.* O dulcissime Jesu, per merita Passionis tuæ, per merita omnium Sanctorum tibi fideliter adhærentium, da mihi tecum perseverare usque in finem.

Desidero quidem et opto in cruce tecum manere, omnia in cruce tecum consummare: sed virtutem meam ad hoc insufficientem esse novi atque sentio.

Robora ergo et anima me, quæso, gratia tua, quam ad hoc plene sufficere experti sunt Sancti; ut in cruce consummem me, holocaustum in odorem suavitatis tibi, mihi autem in animæ meæ salutem æternam.

Imit. Chr. Lib. III. c. 37.

CAPUT VIGESIMUM QUINTUM.

Quod Jesus commendans Spiritum suum in manus Patris, doceat, quomodo nos ei penitus dedere debeamus.

1. *V. J.* Filioli, adhuc modicum sum vobiscum, donec, omnibus jam consummatis, consummetur ipse Cordis mei amor.

Ecce, fili, nihil mihi restat nisi spiritus meus: cætera universa, non affectu tantum sed etiam effectu, in holocaustum sacrificavit Cor meum.

Quamquam autem anima mea semper fuit in manibus Patris mei, ipsique ab initio voluntarie consecrata fuit, nunc tamen ad excessum amoris Cordis mei perficiendum, eam sacrifico, eam pono. Nemo tollit eam a me, sed ego pono eam ex meipso.

In hac vero perfectione excessus amoris Cor meum, antequam expirat, novissima profert tibi verba.

Ut autem intelligas, quanti sint momenti, non jam ingemiscens, verum clamans voce magna: Pater, inquam, Pater, in manus tuas commendo spiritum meum.

Hic est extremus humilitatis et amoris excessus, ultra quem iri in hac vita non potest, et in quo morior.

In suprema omnium omnimodorumque dolorum extremitate, ecce me inter manus Patris mei conjeci totum et integrum.

Modo non oro Patrem: Non mea, sed tua voluntas fiat. Etenim mea voluntas jam non est mea, sed Patris, in cujus manus eam tradidi.

2. Hæc ultima Salvatoris tui, morientis amore tui, verba peculiari affectu excipe, fili, eaque in corde tuo reconde, et pie meditare.

Hæc enim rerum omnium, quas te hucusque de vita interiori, de virtute, de sanctitate docui, compendium continent et perfectionem.

In his Cordis mei secreta pretiosissima tibi et utilissima latent. Hæc scrutare, fili: his utere: hæc præsertim in actum deducere stude diligenter.

Itaque, fili, quemadmodum ego Spiritum meum in manus Patris commisi, ita tu committe spiritum tuum in manus meas.

Quod si feceris, ecce penitus cessabis tuo spiritu vivere, et incipies Spiritu meo ita vivere, ut cor tuum, mens tua, omnia tua non spirent nisi Spiritum meum.

Tunc voluntas tua, non jam tua, sed in divinam voluntatem meam tradita, una quodammodo cum mea erit.

3. En, fili, supremum gradum sanctitatis vitæ virtutibus perfectæ, quo anima erga omnia sancte indifferens, proprio motu nihil ultra vult, sed sinit me velle, et disponere, et facere circa se et omnia, prout mihi placuerit, ipsa omni voluntati et ordinationi meæ consentiens, semper et ubique mihi conformatus et unitus.

Beata anima, quæ huc pervenit! illa in me quiescit inter omnia et super omnia: super omnem

sensum, super omnem virtutem, super omnem salutem, super omne bonum.

In tali anima ordino charitatis puritatem, illamque Cordis mei amore rapio, ita ut supra omnia visibilia et invisibilia prorsus sit et ipsa mihi et ego ipsi.

Cum ita in divinum beneplacitum meum teipsum tradideris totum et integrum, tum ab omni timore vano inordinataque tristitia, ab omni desiderio ac voto mere naturali, ab omni denique cura superflua et inquietudine quam perfectissime liber eris.

Tum tui tuæque sortis quasi oblitus, hoc tuum gaudium habebis, afferre gaudium mihi, faciendo beneplacitum meum. Dummodo Cor meum contentum sit, erit contentum et cor tuum, non curans, utrum id naturæ gratum an ingratum sit.

4. Omnes Sancti hac virtutum summa excelluerunt: tantique faciebant divinum beneplacitum, et usque adeo diligebant, ut, sui quodammodo obliviscentes, illud rebus omnibus anteponerent.

Imitare Sanctos, fili, si Sanctus esse velis, aut cum Sanctis regnare cupias.

Hæc divini beneplaciti vita, vitæ cœlestis imago est. Eodem enim divino beneplacito omnes cœlicolæ perfecte contenti, quisque sua beatitudine, beatificantur universi.

Tolle hanc cum divina voluntate conformitatem, et ecce vita interior erit illusio, nec amplius existet via ad sanctitatem.

5. Cum tibi fuerit mecum unum velle, et unum nolle in rebus omnibus, tam in magnis quam in parvis, in spiritualibus sicut in temporalibus, in adversis æque ac in prosperis, in vita denique et in morte; gaude et lætare, fili mi; quia factus es discipulus secundum Cor meum.

Jam non solum offeres, non solum resignabis te et tua mihi, ut illis utar; sed ultro sines, sed voles, ut de te, ut de omnibus, quæ es et habes, disponam juxta beneplacitum meum.

Trade ergo, fili mi, relinque te et tua omnia mihi; et in hac traditione, in hac tui relictione voluntati beneplacitoque Cordis mei permane fidelis usque ad mortem.

Persuasum habe, te, si ita mortuus fueris mecum, mecum etiam victurum et inter Sanctos regnaturum in vita æterna.

6. *V. D.* O altitudo Sanctitatis Cordis tui, Domine Jesu! Attamen cum ad eam tam fortiter invites, et tam suaviter provoces, ad eam animose nitendum, ac generose audendum est.

Itaque gratiæ tuæ virtute nixus et exemplo tuo animatus, ecce in manus tuas commendo spiritum meum: tibi remitto spiritum meum, ut non nisi tuo Spiritu vivam: tibi trado voluntatem meam, ut non nisi tua voluntate movear, agam, patiar, moriar.

En tuus sum totus: sume ergo me et dispone de me semper et ubique secundum beneplacitum Cordis tui.

Fiam tandem perfectus Cordis tui discipulus per similitudinem perfectam et unionem tecum.

Imit. Chr. Lib. III. c. 15.

CAPUT VIGESIMUM SEXTUM.

Cor apertum Jesu amore nostri mortui, refugium est et solatium omnium.

1. *V. D.* Vide Jesum in cruce morientem! O spectaculum! O Deus, ecce Filium tuum! O Maria, ecce Jesum tuum! O Angeli, videte et flete!

O Spectaculum, quale numquam fuit nec umquam erit! En aspice: Creatore expirante omnia creata commoventur, omnia lugent. Movetur Cœlum et præ luctu abdit lumen suum, et universa tenebris involvit.

Terra luget et tremit usque ad fundamenta sua, rupes et saxa quatiens et discindens.

Luget religio et quasi vestem suam in signum mœroris scindit, cum velum Templi dilaceratur a summo usque deorsum.

Mors ipsa movetur, et tamquam dolens factum suum, mortuos resurgere sinit. Ecce enim monumenta aperiuntur, et multa corpora surgunt.

Tota natura convulsa, mundus universus Jesum in cruce cœlum inter et terram morientem plangit.

O spectaculum! Jesus, Filius Dei, mortuus est in tormentis amore nostri! O monumentum æternum amoris Cordis Jesu!

2. Sed ecce unus militum lancea Latus ejus aperit, et continuo exit sanguis et aqua. Novum amoris miraculum: multiplex mysterium!

Aperitur Cor Jesu, ut inde formetur unica, perfecta, Virgo Sponsa ejus, Sancta Ecclesia.

Fluunt Sanguis et aqua: sanguis, qui redimit; aqua, quæ mundat animas. Fluit aqua, ut homines per baptismi lavacrum regenerentur in Ecclesiam: fluit sanguis, ut per Cordis fructum, Sanctissimum Sacramentum, in Ecclesia perficiantur.

Aperiri Cor suum præterea voluit Jesus, ut nobis ostenderet, se, etiam post finem vitæ suæ, nequaquam cessare nos diligere; utque nos redderet certos, Cor suum, etiam post mortem suam, flagrare amore nostri.

Aperiri denique voluit, ut in Corde suo per-

petuum refugium, solamen, omnia necessaria et utilia haberemus.

Non vulnerari tantum, verum et aperiri et apertum manere Cor suum voluit, ut semper pateret accessus, ut semper reclusum esset ostium, per quod si quis introierit, salvabitur: et ingredietur, et egredietur, et pascua inveniet vitæ æternæ.

5. En ergo per foramen Pectoris patet Cordis arcanum: patet magnum illud amoris mysterium: patent sensa misericordiæ Dei nostri, in quibus visitavit nos oriens ex alto.

Cordis sui vulnus visibile, unde invisibile vulnus amoris liquet, in æternum Jesus retinere vult, ut non modo asylum mortalium, sed et beatorum sit paradisus.

Hinc igitur est, ut de hoc fonte Salvatoris et homines in terris hauriant cum gaudio vivas gratiarum donorumque omnium aquas; et Angeli Sanctique in cœlis derivent cum exultatione fluenta perpetua admirationis, et laudis, et gratiarum actionis, et amoris æterni.

4. O anima mea, leva oculos tuos ad Jesum: vide Dilectum tuum: aspice Cor amore vulneratum, amore apertum.

Ecce ostendit, Pectus apertum Cordis affectus: probat vulnus, quousque Cor illud te diligat.

Monstrat tota species, vere mitem esse et humilem Corde Jesum, tuum ex omnibus Dilectum.

Patet ecce Cor Jesu tui: patet ut adeas et intres, ut des et tradas illi cor tuum.

5. Ecce bonitatis abyssus inexhausta: quis eam metiatur? profunditatem et latitudinem ejus quis comprehendat? Nec homo nec Angelus umquam comperit limites.

Quis ergo miserorum trepidet ad tale Cor ejus accedere, qui amore miserorum mortuus est, imo et Cor tenet apertum, ut miseris omnibus pateat introitus!

Intuere Cor Jesu pro te mortui, et manifestus amor ejus, morte fortior, vivacior vita, totus suavis, expellet timorem, diffidentiam abiget, dimittet pussillanimitatem, fidem excitabit, spem roborabit, accendet amorem: et ibis te mersum in bonitatis oceanum.

Si umquam amoris Jesu sis immemor, aut de ejus affectione hæsites, verte te ad ipsum et attende: Cor vulneratum clamabit, quomodo amet, quantum diligat; reclamabitque, ut redames, ut vicem rependas.

Si angusteris, si tribuleris, festina, accurre ad thesaurum hunc omnis gratiæ, ad scaturiginem omnis consolationis.

Si terreant te infidelitates tuæ, fiduciam et animum tibi erigant benignitatis Cordis Jesu signa, caput inclinatum, brachia extensa, Pectus æstuans amore tui.

In omni discrimine, in omni difficultate, jacta fidenter teipsum super Cor Jesu: jacta et omnes anxietates tuas in ipsum, quoniam ipsi cura est de te.

Quodsi quid boni egeris, si quod meritum lucratus fueris, in Corde Jesu reconde tuto, ut Sacrum hoc Cor ea sua virtute sanctificet, præservetque a fure vanæ gloriæ, atque a tinea amoris proprii, et in iem retributionis finalis custodiat.

6. O pretiosissimum, o dulcissimum Cordis Jesu mei vulnus, amandum super omnia honoris insignia, frequentandum ante omnia loca! de te

si sumam vel unum haustum amoris, omnia infortunia cito obliviscor, mundana et terrena nauseo, spiritualia et cœlestia gusto, nihil nisi Jesum et hunc amore vulneratum scire et amare curo.

O suavissime Jesu! trahe me ad te: trahe me per vulnus Pectoris ad divinum Cor tuum, ut jam non in me vivam, sed vivam in te, vivam in Corde tuo, beatifico Sanctorum omnium habitaculo.

Fac, quæso, fac ut tibi penitus unitum, et habens tecum unum sentire circa omnia, cor meum sit perpetuo clausum inimicis tuis, mundo et mihi mortuum, tibi semper apertum, te solum spirans, te super omnia amans.

O Jesu, Dilecte animæ meæ! in æternum conserva me in Corde tuo, quod est omni dulcedine dulcius, et in quo est totum, quod desiderem ad veram beatitudinem.

Imit. Chr. Lib. II. c. 1.

DIRECTORIUM IN LIBRUM QUARTUM.

1. Scopus libri quarti est, animam Deo Salvatori suo unire. Hoc autem facit divinus amor. Totus porro hic liber de amore divino, de causis ejus, de effectibus, de modis agit. Quæ si in fonte ipso inspiciuntur, si considerantur in ipso Corde Jesu, amantis ut redamemus, ardentis ut liquefiamus, se nobis unientis ut nos ei uniamus, non possunt non rapere corda nostra, non possunt non liquare nos totos, ut in unum cum illo quodammodo coalescamus.

2. Hæc divinæ unionis vita, quæ interioris vitæ pars perfectissima est et felicissima, non ita intelligenda est, quasi animæ, quæ vitam hanc vivunt, nullum amplius exercitium, ad vitam purificationis vitamve illuminationis pertinens, obire deberent. Istarum enim trium vitarum exercitia numquam in hac terra prorsus separantur. Quamdiu vives, quemcumque divinæ unionis gradum attigeris, habebis aliquid faciendum ad cor magis purificandum aut purum servandum, habebisque virtutem exercendam, sive agendo sive patiendo.

Verum hanc vitam sic intellige, ut anima bene purificata, satisque ornata virtutibus genuinis ac solidis per generosos abnegationis actus acquisitis, cum Jesu Deo suo intima vivat, sancta quadam, mutua, ineffabili familiaritate utens, idem ac ipse

sapiens, idem volens, idem nolens, iis interea exercitiis, iis actibus, quibus hæc unio foveatur ac firmetur, se occupet plerumque, licet interdum, amore potius quam alia ratione, faciat ea, quæ ad interiorem purificationem, aut exercitationem virtutum spectant. Simili modo animæ, quæ ad se interius purificandum plerumque laborant, vel quæ ad veras virtutes solide acquirendas plerumque incumbunt, vitam purificationis aut illuminationis vivere dicuntur, prout communiter hac aut illa occupantur, quamquam eodem tempore varia obeant exercitia, quæ proprie ad alias partes interioris vitæ pertinent.

Atque hæc sedulo notanda sunt, ne quis in illusionem labatur hic maxime periculosam. Itaque nisi decipi ac periclitari velit, nemo mortalis umquam putet, sibi ulterius non esse laborandum, nihil faciendum. Præsertim autem nemo umquam in hac vita credat, sibi nihil amplius esse metuendum, se libere periculis exponere posse, hoc similive prætextu, quod nulla re creata moveatur, vel quod nihil nisi Deum quærat aut velit. Qua illusione illi ipsi, qui sanctitatis nomine et ipsius martyrii gloria illustres, tamquam stellæ in firmamento, coruscabant, in abyssum turpiter ceciderunt. Ex eodem præsumptionis fonte aliæ fluunt illusiones: Officia aliave Dei voluntatis signa negligere ad quiescendum in dulcedine favorum Dei: dona Domini potius quam Dominum ipsum quærere: extraordinaria desiderare.

3. Ad hoc igitur, dum in hac parte versaris, omnia dirigere debes, ut magis semper ac magis Jesum, Deum et Salvatorem tuum, diligas teque illi intime unias amore quam purissimo. Hic autem

amor concipitur tum considerando innumerabilia ejus beneficia, opera amoris Cordis ejus ineffabilia, stupendas dulcissimasque promissiones ejus, ea demum omnia, quæ tibi in tempore et in æternitate præparat bona: tum contemplando amabilissimas atque infinitas perfectiones ejus, quibus solis omni amore possibili dignissimus est: tum denique in oratione, in Sanctissimi Sacramenti visitatione corporali aut spirituali, in sacra Communione cum ipso devote et ferventer agendo.

4. Modus hunc librum adhibendi, potest esse unus ex quatuor, qui ante primum et secundum librum traditi sunt. Ex istis autem sequatur hic quisque eum modum, quem, pro statu animæ suæ, sibi utiliorem credit, ac rebus, quæ hic habentur, sic applicet, ut scopum hujus libri attingat.

Diligenter tamen observandum est, cum in aliis, tum maxime in hac interioris vitæ parte, non licere ita modo determinato vel methodo adhærere, ut non sinas te duci a superna gratia, a divino Spiritu, qui sæpe solet in illis præsertim animabus, quæ purificatæ et illuminatæ se totas Deo unire student, omnem modum methodumve prætergredi, omnia fere præterire ratiocinia, cor rapere, in lumen admirabile tollere, efficere ineffabiliter.

Affectus, quibus te dare, actus, quos elicere hic convenit, præcipui sunt:

Gratitudinis, seu gratiarum actionum pro datis ac donis tibi aliisque concessis: imo et pro gloria, et beatitudine, et perfectione Domini Dei nostri, ut exemplo docet Ecclesia, cum dicit: Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam.

Gaudii ob misericordiam, liberalitatem, amo-

rem ejus erga te et cæteras creaturas: ob perfectiones ejus in se: ob honorem, et felicitatem, et gaudium ejus.

Fiduciæ in Cordis ejus bonitate, in ejus cura, in ejus Providentia.

Admirationis ob magnitudinem aut multitudinem beneficiorum tibi et aliis collatorum, operum divini amoris, infinitarum perfectionum ejus.

Laudis, ut extollas mirabilia ejus, modo solus, modo unitus Ecclesiæ, modo invitans creaturas omnes, modo te Sanctis Angelisque in cœlo associans.

Zeli honoris et gloriæ ejus, atque animarum salutis et perfectionis propter ipsum.

Humilitatis, ut recorderis et agnoscas te esse indignum, generosum autem Dominum, cum tibi effundit Cordis sui thesauros.

Amoris filialis, quo sancte verearis, ne Dominum offendas; quo amanter doleas offensas, quibus Cor ejus a te vel ab aliis afflictum fuit.

Puri amoris, quo te et tua omnia ei des, ac tradas, ac sacrifices; quo te voluntati et beneplacito ejus rebus in omnibus conformes; quo denique vivas uniformis ei, prorsus unitus.

Hi autem aliique actus, cum alibi, tum præsertim hic, ita eliciendi sunt, ut, quamdiu in uno aliquo te utiliter occupare potes, minime transeas ad alium, sed eodem te suaviter aut devote occupare pergas, donec vel tempus orationis abierit, vel Spiritus gratiæ te ad alia duxerit: si vero, dum pie et quiete conaris uni actui vel affectui inhærere, experiris te diutius inhærere non posse, transi ad alium, necessitate animæ, aut devotione tua, aut Spiritu gratiæ suggestum.

Denique libere sinas te a Spiritu Domini duci ad quælibet bona, sive ad meditandum, sive ad contemplandum; ad agendum affectibus cum ipso, vel ad quiescendum coram ipso; ad ei loquendum, aut ad auscultandum; ad petendum, aut ad dandum. Nec labores, ut tuarum in oratione occupationum actu conscius maneas.

5. Regulæ ad discernendos spiritus, quæ huc proprie spectant, cum subtiles sint, diligenter disci ac bene intelligi debent, ut cum fructu applicari possint. Sequentes nobis tradunt Sancti.

Prima. Est duplex unio divina cum unionis consummatione: prima, unio activa; secunda, passiva vocatur.

Unio activa in uniformitate perfecta voluntatis nostræ cum divina voluntate consistit. Hæc est tota divini amoris perfectio. Per hanc unionem sensa Cordis Jesu nostra sensa, Spiritus Jesu noster spiritus, vita Jesu nostra vita. Hinc suaviter uniti Jesu, jugiter eo fruimur ac vere beamur.

Passiva autem unio in eo consistit, quod, ex abundantia lucis et amoris infusi, facultates suspendantur, ut memoria non recordetur, intellectus non cogitet, voluntas non amet nisi Dominum Deum, tota anima ita objecto divino absorpta, ut hunc statum suspensum non advertat. Hæc unio mirabilibus dulcissimisque donis plena, singulis vicibus brevis esse, nec per horam durare solet. Hinc anima, per intervalla, unione activa occupari atque contenta esse debet.

Ad unionem activam potest unusquisque venire per fidelitatem erga gratiam sibi datam: ad passivam vero unionem nulla cura humana, sed divina bonitas sola animam elevare potest.

Consummatio unionis divinæ consistit in eo quod anima Domino unita, ita in divinum amoris sui objectum quodammodo transformetur, ut, facultatibus non suspensis nec obstrictis, habitualiter placideque et suaviter fruatur Domino, tota miro dulcique modo in Domino quasi absorpta, et nihilominus tam ad actionem quam ad contemplationem optime disposita.

Secunda. Tutior est via, desiderare et expetere unionem activam, quam passivam, vel res quæ in passiva quandoque dantur, ut visiones, revelationesque, et similes communicationes. Fieri potest, ut animæ, quæ in activa unione vivunt, multo majus habeant meritum, quam illæ, quæ passiva unione donatæ sunt, propterea quod majora et generosiora pro Domino faciunt aut sustinent, ac contentæ sunt iis ex divino beneplacito carere consolationibus, quas aliis, non sibi, datas in vita præsenti, in futura accipient suavius ac copiosius dandas.

Tertia. Anima, ad se movendum et incitandum ad magna et fortia pro Domino facienda et toleranda, agnoscat et fateatur, se a Domino accepisse et accipere multa, et magna, non ut se aliis credat meliorem, sed ut generosius et perfectius ei serviat. Itaque rejiciat tamquam venientem, non a bono sed a malo spiritu, omnem cogitationem, omnem motionem, quæ eam ad querimoniam de miseria sua, ad dejectionem cordis, ad pusillanimitatem, sub quocumque prætextu, ducat.

Quarta. Quantascumque divinæ bonitatis effusiones acceperit anima, quantumlibet intime unita Deo, quantumvis etiam in summo bono consummata fuerit, usque debet meminisse, se non esse

impeccabilem, sed se adhuc posse perire, nis Domino sit fidelis. Adeoque oportet eam, quo plura et majora acceperit, eo semper esse humiliorem, eoque semper purius amare Dominum. Hinc si moveatur, ut diuturnitati vitæ probæ, aut boni propositi firmitati, aut soliditati virtutis suæ fidat, ad se periculis exponendum, sciat se a malo, non a bono spiritu moveri.

Quinta. Res, quæ a fide catholica removent aut avocant, ut certæ quædam instigationes et communicationes, omni diligentia, omni vi rejiciendæ sunt, velut effectus spiritus mali. Illæ vero, quæ fidei catholicæ sunt consentaneæ, et ad animam Domino Deo suo uniendum inserviunt, tamquam fructus boni Spiritus accipi cum humili gratitudine debent; atque etiam cum humilitate et resignatione expeti possunt, eo fine, ut anima in amore Domini crescat, eique perfectius uniatur.

Sexta. Quando cognoscitur anima per acceptas communicationes magis ac magis sibi mortuam evadere, desiderio majoris perfectionis animari, in amore divino proficere, signum est, illas a bono venire spiritu. Quando vero percipitur anima ex communicationibus ad naturæ corruptæ gratificandum propendere, aut esuriem sitimque perfectionis majoris amittere, aut velle mente quodammodo obstinata defendere vel tenere communicationes tamquam certo divinas, licet conscientiæ moderator non credat vel dubitet, signum est, illas a spiritu malo venire.

Septima. Ne desideret anima visiones aut revelationes, neque in his habendis collocet perfectionem vel sanctitatem. Meminerit plures fuisse per illas deceptos atque in summum discrimen incidisse.

Si experiatur illarum desiderium, indubie credat, illud a malo spiritu ingestum aut excitatum esse, atque expellat vel reprimat.

Octava. Quo avidius res hujusmodi extraordinariæ cupiuntur, eo majus offerunt periculum, ne anima illudatur, et a vera sanctitatis abducatur via, quam mitis et humilis Corde Jesus ostendit, et quam Sancti sequuntur.

S. Ignat. S. Alphons. Ven. Margarit. Maria.

LIBER QUARTUS.

Admonitiones ad se Cordi Jesu beati uniendum utiles.

CAPUT PRIMUM.

Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum inventio est amoris sacratissimi Cordis Jesu.

1. *V. J.* Fui mortuus, fili, et ecce sum vivens in secula seculorum.

Exiveram a Patre, et veneram in mundum: tandem relinquebam mundum, ut reverterer ad Patrem.

Verumtamen amor Cordis mei non sinebat, non patiebatur, ut eos relinquerem orphanos, quos diligebam magis quam vitam meam.

Invitabat amor Patris et vocabat, ut vadens glorificarer apud ipsum claritate, quam habebam, priusquam mundus esset, apud ipsum.

Invitabat et amor hominum et urgebat, ut manens consolarer ipsos in omni tribulatione vitæ.

Ecce autem invenit Cor meum medium satisfaciendi et amori meo erga Patrem, et amori meo erga homines.

Mysterium, fili, ut ascendens in cœlum, sedeam a dextra Dei, et maneam vobiscum usque ad consummationem seculi.



Einsidlæ, apud C. & N. Benziger, fratres

Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam. (Joan 6, 55)

Mysterium, quod nisi ipse e Corde meo prompsissem, nemo mortalium umquam imaginatus esset: mysterium altissimum, quod omnem naturam creatam transcendit: mysterium maximum, quod excedit omnem potentiam finitam.

Opus igitur est miraculis stupendis, sola omnipotentia divina patrandis. Sed amor triumphat: amor, qui in Corde divino invenit consilium, ibidem invenit consilii exequendi potentiam.

Omnia possibilia, omnia facilia sunt mihi Corde volenti, cujus velle est posse et facere.

2. Quoniam vero conspectum glorificatæ Majestatis meæ ferre non valerent mortales, neque mundus in fulgore tantæ claritatis subsistere posset; infirmitati eorum consulendum, ne splendore magnitudinis meæ arceantur homines tremebundi. Itaque coruscantem gloriam occultare, ac nihil, quod terreat, manifestare oportet.

Deinde, fili, cum hic non habeas civitatem permanentem, sed futuram inquiras, expedit tibi, ut maneam tecum sub forma aliena, ne oblitus te esse peregrinum in terra, velis hic facere tabernaculum tibi rebusque adhærere præsentibus; sed ut memor exilii tui, aspires ad patriam, ubi, revelata facie, contemplari poteris gloriam meam.

Demum, quia hæc vita brevis est, et post eam tempus merendi tibi non erit amplius, bonum est et utilissimum tibi, si sub velamine celem aspectum meum, ut ita major detur locus fidei, major quoque opportunitas alias exercendi virtutes.

3. Quodsi tam multas ob causas expediens sit, ut sub specie aliena sim cum hominibus deinceps in terris; inter species innumeras, quæ sunt

possibiles, eligenda est una, quæ et Cordis mei amori magis congruat, et prosit magis hominibus.

Porro, fili, cum ego ad homines venerim, ut vitam habeant spiritualem, et maneam cum ipsis, ut abundantius habeant; cumque vita spiritualis omnimodam habeat similitudinem cum vita corporali, quæ per nutrimentum naturale sustentatur ac roboratur; opus est illis cibo supernaturali, quo spiritualis vita conservetur, firmitate crescat, vigore usque magis floreat.

Præstat itaque, ut sub nutrimenti specie maneam ipse, qui sum non modo panis vitæ, sed et vita ipsa. Quanto enim abundantius vitam habebit anima fidelis, si nutriatur ipsa vita?

Præterea, fili, Cor meum amor est: amor autem donum sui, qui non quiescit nisi se objecto amato tradiderit atque unierit.

Nihil autem in naturali vita magis unitur, quam cibus et cibatus: ita similiter in vita spirituali, ex amoris mei dono, maxima fit et intima unio inter animam et meipsum.

Hæc est divina et sanctifica unio, qua unamquamque animam beare possum: opus amoris illimitati.

Postremo placet manere sub forma convivii, quod summæ amicitiæ signum est, ut fideles amodo in terris gaudeant superno consortio meo, quo fruuntur Beati in cœlis, utque lætanter recordentur æternæ felicitatis, ubi dispono vobis regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam, et ubi ego præcingens me et transiens, ministrabo vobis.

Hæc erit unio sempiterna et perfecte beatifica, Pascha gaudii æterni, vinum æterni amoris, quod bibam vobiscum semper novum in regno Patris mei.

4. Ut autem suaviter disponerentur homines ad tanta mysteria, hæc multipliciter in lege antiqua figurari volui.

Figura fuit fructus arboris vitæ in paradiso positæ, quo cibo homines innocentes vescerentur, quoque vita vigerent, a morte præservarentur, tutarentur immortalitatem.

Figura fuit oblatio panis et vini per Melchisedech, qui erat sacerdos simul et rex: sacerdos quidem Altissimi, rex vero Salem, rex pacis.

Figura fuit agnus Paschalis, agnus absque macula, qui et offerebatur et manducabatur: qui non crudus, non coctus, sed igne præparatus edi debebat: quem qui comedebant, illos oportebat habere renes accinctos, calceamenta in pedibus, baculos in manibus, ad progrediendum se expeditos.

Figura fuit Manna in deserto, quod de cœlo quotidie decidebat, quod habebat omnis saporis suavitatem, quod panis vocabatur Angelorum, de quo denique nec ille, qui solita mensura plus comparabat, plus possidebat, nec ille, qui altero minus colligebat, minus habebat.

Figura fuit Arca Testamenti, ubi divina Majestas inter Cherubim honorabatur, et unde propitiationem auxiliumque, et consolationem diu noctuque populo suo largiri solebat.

Figura demum fuit panis Subcinericius, quo Propheta a dejectione et debilitate liberatus, ac vigore novo confortatus, ambulavit in fortitudine cibi illius usque ad montem Dei.

5. Non mihi latuit, fili, quanti hæc institutio mihi constaret: quot et quanta sacrificia requireret hæc vita mea Sacramentalis.

Scio, quibus humiliationibus me subjiciam, quam

gravibus injuriis me exponam. Sed hæc omnia posthabet Cor meum amori, quo fertur et erga Patrem et erga homines.

Cordis mei amor nullis vincitur obstaculis: de omnibus facile triumphat. Imo vero ipsas difficultates, ipsa sacrificia tenet exhibetque, velut totidem argumenta magnitudinis et genorositatis suæ.

En itaque eminenter magnum pietatis Sacramentum, quod per amorem meum conceptum est ante secula, effectum per supremam potentiam meam in tempore, apparuit Angelis, prædicatum est gentibus, consolatum est mundum, inebriavit dulcedine corda mortalium.

6. *V. D.* O altitudo sapientiæ et amoris Cordis tui, Jesu, fili Dei vivi! quam mirandæ, quam stupendæ adinventiones ejus! quam amabiles, Domine, quam dulces!

Ecce, quomodo amaveris nos, Jesu amantissime! Exinanisti teipsum amore nostri, formam cibi accipiens, in similitudinem nutrimenti factus, habitu inventus ut panis, panis autem vitæ æternæ!

O quanta vis amoris accendit Cor tuum, cum transiturus de hoc mundo ad Patrem, hoc mirabilissimum, hoc dulcissimum medium permanendi nobiscum, et permanendi tali modo, instituisti!

O amoris prodigium! o divina institutio, in qua tu ipse, Jesu optime, convivium simul et conviva, oblatio et offerens, gaudium Angelorum et hominum!

7. Gratias tibi, Domine Jesu, gratias æternas pro ineffabili Cordis tui bonitate, qua incomparabile beneficium hoc nobis elargitus es.

Utinam debitas tibi grates pro tanto munere persolvere possem! Venite. Angeli et Sancti Dei:

venite, populi et tribus omnes: gratias agite Domino mecum: laudemus et superexaltemus amorem Cordis ejus in idipsum.

Cantemus Domino canticum novum; quia novo modo nobiscum manens, e Corde suo nobis beneficia usque nova profundit.

Jubilemus Deo Salutari nostro: procidamus ante eum, præ gaudio ac gratitudine ploremus coram eo.

8. O Jesu, amor infinite! qui ex amore in hunc mundum venisti, et hic permanes ex amore, imo et ex amore factus es totus meus: tibi vicissim cor meum, tibi omnes affectus meos, tibi me totum do et trado: fac, quæso, ut amore sim totus tuus in perpetuum, ut quidquid sum et habeo, amori tui ac gloriæ tuæ inserviat.

Aufer a me omnia amoris tui impedimenta: extingue in me omnem affectum inordinatum, ut nihil me afficiat, nihil me moveat, nisi quod te vel tua commoda respicit.

Tu, o dulcedo cordis mei, et beatitudo animæ meæ! tu vive et regna in me: tu esto deinceps primum et ultimum objectum cogitationum et affectionum mearum: occuper usque de te vel propter te, qui mihi es omnia.

Imit. Chr. Lib. III. c. 1. et 2.

CAPUT SECUNDUM.

De mirabili institutione Sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti.

1. *V. J.* Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi: qui venit ad me, non esuriet: panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.

Hæc cum dixissem, fili, litigabant Judæi ad

invicem dicentes: Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?

Illis autem reponens asserui: Amen, amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.

Caro enim mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus.

2. Ante diem autem festum Paschæ, sciens venisse horam meam, ut abirem ex hoc mundo ad Patrem, cum dilexissem meos, qui erant in mundo, in finem dilexi eos.

Vespere itaque facto, in ultima cœna discubui et duodecim Discipuli mecum: ipsisque circumsedentibus: Desiderio, inquam, desideravi hoc Pascha manducare vobiscum.

Cœnantibus autem eis, accepi panem, et benedixi, ac fregi, dedique Discipulis meis, dicens: Accipite et comedite; hoc est corpus meum.

Et accipiens calicem, gratias egi, et dedi illis, dicens: Bibite ex hoc omnes: hic est sanguis meus.

Hoc facite in meam commemorationem.

3. *V. D.* Hæc ergo sunt verba tua, Domine Deus, veritas æterna; hæc sunt facta, quibus et prius solemniter promisisti, te daturum nobis teipsum panem vitæ, et postea, quod promiseras, vere præstitisti.

His verbis factisque tuis, antequam scripta erant, Ecclesia tua edocta, fruebatur divino hoc munere tuo; et quemadmodum jusseras, faciebat in commemorationem tuam.

His et incredulorum difficultates, objectionesque hæreticorum, et dæmonum tentationes, prævisas, subvertisti ac disjecisti.

His enim docuisti, credenda esse, quæ tu, veritas infallibilis, dicis, etiamsi non comprehendimus, quomodo ista fieri possint.

Quæ vero tu dixeris, scimus per sanctam Ecclesiam, veram Sponsam tuam; sed quomodo intus constituantur aut fiant mysteria, quæ verbis asseruisti, capere non possumus, cum ratio nostra limitata attingere non valeat illa, quæ omnes rationis limites transcendunt.

Si non intelligimus quæ infra nos sunt, quomodo intelligamus quæ sunt supra nos?

Quod granum seminatum ac mortuum in terra, crescat in novum culmum, et multiplicem producat fructum, credimus, quoniam extrinsecus percipimus: quomodo autem hæc intrinsecus fiant, perspicere, licet naturalis sint ordinis, omnino non valemus.

Nonne insanus haberetur merito, qui, dum mysteria naturæ existere percipit sensibus, ea admittere nollet, propterea quod non comprehendat, quomodo sint?

Porro religionis mysteria esse a te revelata, percipimus etiam sensibus; quia fides ex auditu: ac præterea hæc mysteria esse vera, ratione ipsa videmus, cum rationi sit evidens, non posse fieri, ut tu, essentialis veritas, falsum loquaris.

Rationabile igitur obsequium omnium tibi fideliter credentium. Illi vero, qui tibi credere detrectant, putantes se esse sapientes, stulti facti sunt et prorsus irrationabiles.

Hoc autem fit ex cæca superbia, diaboli arte impulsa, ut rationem suam, dotem nobilissimam, tibi, ejusdem auctori, subdere, teque per rationis submissionem honorare nolint.

Quotquot vero umquam in Ecclesia fuerunt humiles, licet maximo florerent ingenio, intellectum in captivitatem redegerunt ad fide obsequendum tibi.

Per hoc ostendis, te esse Dominum omnium, bonum erga universos, nullarum acceptorem personarum: verum a cunctis, a doctis sicut ab indoctis, te velle obsequium intellectus subditi et voluntatis subdentis.

4. Ante te, Domine Deus, Creator ac Redemptor meus, me prosterno, tibique penitus subjicio rationem meam: imo intellectum totum et voluntatem meam, corpus et sensus omnes, in obsequium fidei, in gloriam tuam.

Sed etiam mea gloria est et emolumentum, ut, quæ dona animæ et corporis a te data habeo, eadem ad te, originem et finem illorum, referam; et, quæ in ordine naturali accepi, per ea gratiæ tuæ libere cooperer ad ordinem supernaturalem, proindeque ad æternum decus, ad perennem beatitudinem meam.

Ratio et fides, ambæ dona tua, Domine: prior, donum naturale; posterior, supernaturale: ambæ sibi semper amicæ, numquam contrariæ: ambæ ad veritatem donatæ, quæque in ordine suo.

Si credo, quia movet ratio naturalis, naturalis est fides mea, non supernaturalis nec salutaris: Si autem credo, quia movet causa supernaturalis, supernaturalis ac salutaris fides mea est.

Beati, qui non viderunt, et crediderunt. Ac profecto, quomodo sensus percipiant quæ sub sensus non cadunt? aut quomodo capiat ratio quæ intra rationis captum non veniunt? Vel quomodo frigidum eloquium hominis explicet quæ effecit Cordis tui amor excedens?

5. In spiritu igitur Ecclesiæ tuæ, firmiter credo te Dominum Jesum Christum, verum Deum atque hominem, vere ac substantialiter in Sanctissimo Sacramento sub specie rerum visibilium panis et vini contineri.

Firmiter credo te sub unaquaque specie, et sub singulis cujusque speciei partibus, separatione facta, totum adesse et integrum.

Firmiter credo te, ibi præsentem in statu glorificato, esse eumdem, quem in orbem terrarum introductum adorarunt Angeli, quem sub forma pueri venerati sunt Maria et Joseph, Pastores et Magi, qui mitis et humilis Corde transiisti benefaciendo, qui pro nobis mortuus resurrexisti, qui assumptus in cœlum, sedes gloriosus ad dextram Dei Patris.

Non sicut Judæi signa quæro, aut modum scrutor; non sicut increduli rationes intrinsecus latentes capere volo; non sicut hæretici privato judicio satisfieri postulo: mihi sufficit testimonium infallibilis Sponsæ tuæ, sanctæ Ecclesiæ, quæ est firmamentum veritatis.

Quidquid ejus doctrinæ contrarium est, rejicio: et hæc est securitas, fides mea.

6. O Domine Deus infinitæ Majestatis, Sancte Sanctorum, qui tam mirabiliter et tam amanter in hoc mysterio latitas, te adoro, te devote colo.

Corpore et anima demissus in præsentia tua, profiteor coram cœlo et terra, te esse Deum, Salvatorem meum; tibique supremum tribuo cultum, Majestati tuæ debitum.

Offero tibi etiam adorationes, honoresque, et obsequia omnia, quæ tibi persolvunt Angeli, et Sancti, totaque Ecclesia tua.

Utinam homines universi te agnoscerent, te adorarent, tibi obsequium ac reverentiam exhiberent!

At quoniam multi desunt, pro his, Domine, ego Sanctis et Angelis tuis fidelibusque animabus me uniens, adoro te et veneror: sicque omnium infidelium animarum defectum supplere posse desidero.

7. O Jesu! quidquid pro te facere possim, quasi nihil est, quando confertur illis, quæ tibi debeo.

Tu mihi, in hoc suavissimo Sacramento, largitus es puro Cordis tui amore omnia, quæ habes, corpus et animam, Humanitatem et Divinitatem tuam cum omnibus earum thesauris. Tantum ergo tibi debeo, quanti vales tu, qui infinitus es.

Tibi vicissim do corpus et animam meam, quidquid habeo, quidquid sum: sed post hæc omnia tibi data, en debitum meum manet infinitum.

Bonum mihi, Domine Jesu, hoc modo me a te obligari, ut movear atque impellar ad amandum sine limite infinitam Cordis tui bonitatem.

Memor immensi et gratuiti amoris tui, Jesu, te redamo toto corde meo, et amore illimitato tibi satisfacere posse cupio.

8. Adjuva me, amantissime Jesu, ut amem te ea pietate, ea teneritudine, ea reverentia, quam solus amor inspirare possit.

Præsta, ut hinc puro amore vivam tibi, qui amore infinito mihi vivis in sanctissimo Tabernaculo.

Per sacrosanctum Cor tuum amore ita captum, ita detentum, oro et supplico, tibi constringe cor meum, ut sit amoris tui captivum, nec umquam ab eo solvatur aut separetur.

Imit. Chr Lib. IV. c. 18.

CAPUT TERTIUM.

Quam vivida fide Ecclesia devotionem suam erga Sanctissimum Sacramentum, omni tempore et loco, demonstravit.

1. *V. J.* Fili, exultat Ecclesia præstantissimo Cordis mei beneficio, et hoc supremum amoris mei miraculum omni devotionis affectu veneratur.

Rapta excessu bonitatis Cordis mei, liquescit illa amore mei, et dulcissima præsentia mea secure gaudet, ac gaudere pergit, dum transeunt generationes, mutatur facies terræ, avolant secula.

Ecce omni retro ætate, ab oriente et occidente, ab austro et aquilone, surrexerunt Ecclesiæ filii, et beatam dixerunt sanctam Matrem, ob tantum amorem Cordis mei, manentis cum ipsa omnibus diebus usque ad consummationem mundi.

In hac perenni mutuæque dilectionis plena præsentia, cœnam magnam, divinum festum celebro nuptiarum spiritualium cum immaculata Sponsa, Ecclesia Sancta.

Ad has invitati, ad has vocati sunt fideles, licet pauperes, et debiles, et cœci, et claudi, ut impleatur domus discumbentibus, ac gaudium sit plenum.

2. *V. D.* Audite hæc, mortales, et adeste nuptiali veste induti. Hic gustate et videte, quam suavis sit Dominus.

Omnes vere fideles ad hoc sacrum convivium, cui ministrant Angeli, semper et ubique conveniunt, hac festiva ornati stola, qua placentes Domino congaudent, dum aluntur et reficiuntur.

Qui autem hac veste carent, sordidati, jure „abstinent“, eo quod merito timeant, „ne judicium

sibi manducent et bibant;“ vel „eo quod non confiteantur Eucharistiam carnem esse Salvatoris nostri, Jesu Christi, quæ pro peccatis nostris passa est, et quam pater sua benignitate suscitavit.“ *(I. Cor. 11. S. Ignat. Mart. Seculo I.)*

Nos autem „Eucharistiam incarnati illius Jesu Christi et carnem et sanguinem esse edocti sumus.“ *(S. Justin. Mart. Sec. II.)*

Quantum itaque donum confertur non tantum animæ nostræ sed et „carni, quæ corpore Domini et sanguine alitur!“ *(S. Iren. Sec. II.)*

Quam magna proinde requiritur reverentia! „Nostis, qui divinis mysteriis interesse consuevistis, quomodo cum suscipitis corpus Domini, cum omni cautela et veneratione servetis, ne ex eo parum quid decidat, ne consecrati muneris aliquid delabatur: reos enim vos creditis, si quid inde per negligentiam decidat. Tanta utimini cautela, et merito utimini.“ *(Origin. Sec. III.)*

3. Ecclesia vix e trecentorum annorum persecutione egressa, læta laureisque coronata, mox in primo generali concilio, filiis ejus ab omnibus partibus mundi congregatis, dispensationem hujus divini Sacramenti pro toto orbe statuit, ut tam sanctum mysterium, ubique sancte tractaretur.

Non nova protulit, sed antiqua revocat et inculcat fidelis custos depositi. „Neque Regula, inquit sollicita mater, neque consuetudo tradidit, ut hi, qui offerendi Sacrificii non habent potestatem, his qui offerunt, corpus Christi porrigant. Accipiant secundum ordinem post presbyteros ab Episcopo vel a presbytero sacram Communionem.“ *(Conc. Nic. prim. Sec. IV.)*

Ecce Sacrosanctam Communionem! ecce sa-

crementum Domini! „Nam in specie panis dat nobis corpus, et in specie vini dat nobis sanguinem, ut, cum sumpseris, gustes corpus et sanguinem Christi, factus ejusdem corporis et sanguinis particeps: Sic enim efficimur Christiferi, hoc est, Christum in corporibus nostris ferentes: sic, secundum beatum Petrum, divinæ naturæ consortes reddimur." *(S. Cyril. Hierosol. Sec. IV.)*

„Panis quidem est ante verba Sacramentorum: ubi vero accesserit consecratio, de pane fit caro Christi. Consecratio igitur quibus verbis est, et cujus sermonibus? Domini Jesu. Ergo sermo Christi hoc conficit Sacramentum. Quis sermo Christi? nempe is, quo facta sunt omnia. Jussit Dominus, et factum est cœlum: jussit Dominus, et facta est terra: jussit Dominus, et omnis creatura generata est. Vides ergo, quam operatorius est sermo Christi. Si ergo tanta vis est in sermone Domini Jesu, ut inciperent esse quæ non erant, quanto magis operatorius est, ut quæ erant, in aliud commutentur? Ipse dixit, et factum est." *(S. Ambros. Sec. IV.)*

„O Sacramentum pietatis! O signum unitatis! O vinculum charitatis! Qui vult vivere, habet ubi vivat, habet unde vivat. Incorporetur ut vivificetur. Non sit putre membrum, quod resecari mereatur; non sit distortum, de quo erubescatur. Sit pulchrum, sit aptum, sit sanum: hæreat corpori, vivat Deo de Deo." *(S. Augustin. Sec. V.)*

„Quotquot igitur hujus participes corporis efficimur, cogitemus quod illum sursum sedentem, qui ab Angelis adoratur, hunc degustamus. Quod Angeli neque libere audent intueri propter emicantem inde splendorem; hoc nos pascimur, huic

nos unimur, unum corpus efficimur. Ut itaque non tantum per charitatem hoc fiamus, verum etiam ipsa re, in illam misceamur carnem: hoc namque per escam efficitur, quam largitus est nobis. Tamquam leones igitur ignem spirantes, ab illa mensa recedamus, facti diabolo terribiles." *(S. Chrysost. Sec. V.)*

„Quam bonus panis, qui et Angelos per speciem, ut de ipso satientur in patria; et nos pascit per fidem, ne deficiamus in via. Ut panem Angelorum manducaret homo, Creator Angelorum factus est homo, utrosque pascens et integer permanens." *(S. Fulgent. Sec. VI.)*

4. „Qui tamen scelerate vivunt, et communicare non desinunt, putantes se tali Communione mundari; discant nihil ad emundationem proficere, sed ad condemnationem. Etenim caro Christi, esca Sanctorum." *(S. Isidor. Hispal. Sec. VII.)*

Parate igitur cor vestrum. „Eucharistia enim est Communio, per quam cum Christo commercium habemus, ac carnem ejus et Divinitatem percipimus, atque nos inter nos unimus." *(S. Joan. Damasc. Sec. VIII.)*

„Audiant ergo, qui volunt extenuare hoc verbum corporis, quod non sit vera caro Christi, quæ nunc in Sacramento celebratur in Ecclesia, neque verus sanguis ejus, nescio quid volentes plaudere aut fingere, quasi quædam virtus sit carnis aut sanguinis tantummodo, ut Dominus mentiatur, cum ipsa Veritas dicat: Hoc est corpus meum. Nec itaque dixit, cum fregit et dedit panem: Hæc est, vel in hoc mysterio est quædam virtus vel figura corporis mei, sed ait non ficte: Hoc est corpus meum: et ideo hoc est quod dixit, non

quod quisque fingit. Nemo in aperto adhuc contradixit ei, quod totus orbis credit et confitetur.“ *(Paschas. Ab. Sec. IX.)*

5. „In ecclesiis Eucharistia semper patens: quam consuetudinem servarunt antiquæ ecclesiæ.“ *(Luitprand. Sec. X.)*

Itaque „Christus oblivioni non subjacet: Christus mandatis suis contraria non demandat. Ipse est panis qui de cœlo descendit, qui ad cœlestem cibum quotidianis Ecclesiæ defertur ad mensam, qui in remissionem frangitur peccatorum, qui edentes se perpetuam pascit et nutrit ad vitam.“ *(S. Petr. Damian. Sec. XI.)*

„Neque est quod causemur nostro huic negatam tempori, sive eam, quæ ad Patres veteris Testamenti facta est, apparitionem; sive eam, quæ Apostolis exhibita est, præsentiam carnis ejus. Siquidem fideliter considerantibus neutram deesse liquebit. Adest enim nobis etiam nunc carnis ejus vera substantia, haud dubie sane quin in Sacramento. Adsunt revelationes, sed in spiritu et virtute, ut nihil in ulla gratia deesse probetur.“ *(S. Bern. Sec. XII.)*

6. „Suavitatem hujus Sacramenti nullus exprimere sufficit, per quod spiritualis dulcedo in suo fonte gustatur: et recolitur memoria illius, quam in sua Passione monstravit excellentissimæ charitatis. Unde ut arctius hujus charitatis immensitas fidelium cordibus infigeretur, in ultima cœna, quando, Pascha cum Discipulis celebrato, transiturus erat de hoc mundo ad Patrem, hoc Sacramentum instituit, tamquam Passionis suæ memoriale perenne, figurarum veterum impletivum, miraculorum ab ipso factorum maximum, et de sua

contristatis absentia solatium singulare.“ (*S. Thom. Aq. Sec. XIII.*)

„Persona spiritualis et interior in participatione Corporis Christi Jesu duodecim excellentes invenit fructus: Fortitudinem ad mundana et peritura facile deserenda: Profectum in salutaribus æternitatis negotiis: Elevationem animæ supra quidquid est extra Deum: Vigorem ad exercenda bona: Illuminationem intellectus ad cognoscendum perfectius Deum et omnia, quæ in speculo æternitatis videntur: Inflammationem amoris erga Deum: Executionem earum rerum, quæ felicitatem producunt: Thesaurum divitiarum: Continuam Spiritus alacritatem: Firmitatem quamdam securam: Pacem perfectam: Unionem animæ cum Deo.“ (*Thauler. Sec. XIV.*)

„O pretiosum convivium, magnificum, salutiferum, omni suavitate repletum! Hoc purgantur peccata, virtutes augentur, et omnium charismatum abundantia mens impinguatur.“ (*S. Antonin. Sec. XV.*)

7. Itaque de venerabili hoc et divino Eucharistiæ Sacramento doctrinam tradens, quam semper Catholica Ecclesia, ab ipso Jesu Christo, Domino nostro, et ejus Apostolis erudita, atque a Spiritu Sancto, illi omnem veritatem in dies suggerente, edocta, retinuit et ad finem usque seculi conservabit, docet et aperte ac simpliciter profitetur, in almo Eucharistiæ Sacramento, post panis et vini consecrationem, Dominum nostrum Jesum Christum, verum Deum atque hominem, vere, realiter, atque substantialiter sub specie illarum rerum visibilium contineri;

Admonet, hortatur, rogat et obsecrat per

viscera misericordiæ Dei nostri, ut omnes et singuli, qui christiano nomine censentur, in hoc unitatis signo, in hoc vinculo charitatis, in hoc concordiæ symbolo, conveniant et concordent, memoresque tantæ Majestatis, et tam eximii amoris Jesu Christi, Domini nostri, qui dilectam animam suam in nostræ salutis pretium, et carnem suam nobis dedit ad manducandum; hæc sacra mysteria corporis et sanguinis ejus ea fidei constantia et firmitate, ea animi devotione ac pietate et cultu credant et venerentur, ut panem supersubstantialem frequenter suscipere possint, et is vere sit eis animæ vita et perpetua sanitas;

cujus vigore confortati, ex hujus miseræ peregrinationis itinere ad cœlestem patriam pervenire valeant, eumdem panem Angelorum, quem modo sub sacris velaminibus edunt, absque ullo velamine manducaturi." *(Conc. Trid. Sess. 13. Sec. XVI.)*

8. O Domine Deus! quantum fideles omnium retro seculorum flagrarunt ad te in amoris tui Sacramento honorandum! quanta pietate conati sunt hic tibi exhibere summam reverentiam! quantum laborarunt ad Cordi tuo debitam gratitudinem probandam, ad Cordis tui amorem amore compensandum!

Et ideo criminandi essemus, si nos, hæredes fidei semel traditæ Sanctis, et filii Sanctorum, in hac devotione devotionum, in hac Summa religionis nostræ tepesceremus, ubi tanta series seculorum provocat vividam fidem nostram, tanta multitudo fidelium omnium temporum omniumque locorum per orbem exemplo nos stimulat, tanta benignitas Cordis tui nostra corda urget.

Vivifica fidem nostram, Jesu amantissime, et

vivificatam adauge perpetuo. Spem robora et fiduciam. Amorem accende et inflamma.

Præsta, Domine, ut spiritu fidei colere, devote venerari, digne participare sanctissimum hoc et dulcissimum mysterium usque valeamus.

Imit. Chr. Lib. IV. c. 1.

CAPUT QUARTUM.

Quod Sacrosanctum Cor Jesu in amoris suí Sacramento sit perfecte beatum.

1. *V. J.* Quod desideravit Cor meum, fili, quod per omnes amoris excessus quæsivit, hoc jam in sancto Eucharistiæ Sacramento fruitur contentum.

Ecce nunc satisfactum est non solum justitiæ Patris cœlestis, verum etiam Cordis mei amori. Hoc gaudet atque exultat Cor meum, quod nihil amodo desit optatæ felicitati suæ.

Congaude mihi, fili mi; quia hic est gaudium, delectamentum, beatitudo Cordis mei.

Hic est cœlum novum, arte divina factum et ornatum, ut complaceat sibi ac beatum sit Cor meum ibi cunctis diebus.

Ecce autem non iis rebus, fili, in quibus mundus, frustra laborans, quærit felicitatem, fruitur hic Cor meum. Non bonorum terrestrium ostentatione, non oblectamentis sensuum, non iis denique potitur objectis, quæ passionibus blandiuntur.

His omnibus voluntarie careo: imo vero iis sæpe rebus, quas mundus horret aut fugit, circumdari soleo. Plene tamen contentum ac beatum est Cor meum.

2. Quidni beatum hic sit Cor meum, quoniam

in hoc supernaturalium deliciarum paradiso inundatur torrente gaudiorum divinorum summarumque dulcedinum?

His, fili, perfecte beatus Corde sum bonis, quæ a Patre hæreditate habeo ut Filius, quæque ut Salvator mundi acquisivi pretio vitæ.

Tune, fili mi, in rebus similibus tuam quæris felicitatem? in unione divina, in mellifluo solamine divini beneplaciti, in consortio divino?

Nonne cordis gaudium vel etiam pacem quandoque amittis, eo quod non habeas quæ naturæ gratificantur? Istisne tu quoque juxta divinam voluntatem libenter cares?

Vide attente, fili, tibique persuasum habe, cor tuum, sicut meum, non rerum sensibilium, non objectorum creatorum, sed supernaturalium ac divinorum amore et perfruitione esse beandum.

3. Hic præterea beatum Cor meum, ob fidelium beatitudinem, quam ex hoc fonte bonorum hauriunt et mecum participant.

Ut bonus pater felicitatem experitur, inter dilectos suos se reperiens liberos; ita ego in medio populi mei.

Hic fideles, ut liberi Cordi meo charissimi, a me educantur et formantur: mecum convivantur ac recreantur: generositatem fortitudinemque Cordis mei imbibunt; ad æmulandum virtutes meas animantur: imo iisdem, quibus ego, rebus gloriari atque delectari discunt.

Propter hæc utique gaudet Cor meum, quod beatum se reputat, cum alios fecit beatos.

Lætare mecum, fili, videns felicitatem tuam objectum esse, non curæ tantum, sed etiam gaudii Cordis mei.

4. O si scires, quanta insuper beatitudine hic fruatur Cor meum ex teneritudine, ex devotione amoris tot animarum, in omni loco et statu mihi omnibus affectibus viventium, mihi hic corde toto deditarum!

Hic, fili, hic mecum Benjamin in mentis excessu. Hic animæ puræ cœlestibus rapiuntur deliciis, quibus Angeli ipsi inebriantur.

Hic animæ illæ generosæ, licet natura debiles, magna et fortia pro me capiunt consilia, amoris mei sacrificia affectu et actu compensant, commodis meis se penitus consecrant.

Et tanto amore, tam tenero, tam puro, ego non delectarer? Et illis ego non totum Cor meum effunderem? Num ego, fili, amoris teneritudine aut generositate me superari patiar?

Deliciæ meæ, esse cum filiis hominum: deliciarum dulcedo, Cor meum purarum animarum amore lætari, illarumque corda recreare vicissim.

5. Hic itaque multipliciter perfecteque beatum Cor meum. Quodsi fuerint aliqui ingrati vel degeneres, qui amori meo insensibiles aut in Cor meum injuriosi sint, se miseros, non me infelicem reddere possunt.

Ex quo enim resurrexi ad vitam gloriosam, jam non morior amplius, nec ullo afficior dolore. Gaudium meum, beatitudo mea perfecta est et plena: nemo eam e Corde meo tollet, nemo minuet.

Cor meum, fili, cum personaliter unitum sit Divinitati, ipsius Divinitatis beatitudine beatum est.

Et ideo, ut sit perfecte beatum Cor meum, mediis non indiget externis, quæ sive adsint sive absint, semper beatissimum est.

Non minus beatum in tugurio apud pauperem

morientem, quam in palatio apud magnatem aut regem: tam beatum in altaris tabernaculo, quam in cœli throno.

Etenim ratio beatitudinis Cordis mei ab intus est; unde semper idem ipsum est omni loco, omni tempore, omni circumstantia.

Hoc interius est latibulum, ubi posui sedem meam, ubi lucem inhabito inaccessibilem, ubi plena et immutabili fruor beatitudine.

6. Mirantur Angeli circumfusi, pronique venerantur, et exultantes conclamant: Gaudeamus, et demus gloriam Deo nostro.

Et multo magis de beatitudine mea quam de sua propria gaudent; ad me namque rapti, ac præ nimio amore mei seipsos obliti, mihi congaudent gaudiis inenarrabilibus.

Similiter etiam multæ animæ fideles, quamquam adhuc in corpore miserias hujus vitæ mortalis experiuntur, magnopere gaudent, quia ego sum quod sum: atque maximam felicitatem capiunt ex hoc, quod sciant me esse summe beatum.

Et tu, fili, si vere me diligis, gaudebis utique propterea quod ego beatus sum, non modo fruens gloria altissima ad dextram Dei Patris, sed etiam in hoc amoris Cordis mei Sacramento.

7. *V. D.* Testis es mihi, dulcissime Jesu! et scis me, amore tui, gaudere propter beatitudinem tuam perfectam in suavissimo Cordis tui Sacramento.

Imo, Dòmine, cor meum et tota anima mea exultant in te, quia Cor tuum beatum est, et in beatitudine confirmatum in seculum seculi.

O quam merito me perfundere debet summa lætitia, propterea quod, Passione tua peracta, gloria

et felicitas tua sunt plenæ, et extra omnem vicissitudinem positæ! . . . . .

Verum est, mihi de mea propria gloria et beatitudine sempiterna gaudendi tempus nondum esse, cum adhuc exilii mei adversa experiar: sed illud interim sufficit mihi, quod tu, Deus, Salvator et Pater meus, gloria summa summaque beatitudine plenissime gaudeas.

Hæc est mihi ratio gaudendi, et gaudendi toto corde, etiam dum in captivitate sedeo et fleo, recordatus æternæ hæreditatis meæ in cœlo, quam, ut Deus, præparasti mihi, quam, ut Salvator, mihi amissam redemisti, quam, ut Pater, mihi reliquisti.

Et quia dignum et justum est, ut te diligam magis, quam me et mea; ita pariter æquum est et salutare, ut gaudeam vehementius de tua beatitudine, quam de mea vel possessa vel possidenda.

Revera, Domine Jesu, intime atque intense magis gaudeo ob tuam gloriam ac beatitudinem, quam ob quemcumque meum honorem aut exaltationem, quamcumque meam lætitiam aut consolationem.

Sed et totis gaudeo præcordiis de ipso gaudio, quo Cor tuum perfunditur ex felicitate, devotione, amore denique tot fidelium animarum tibi, ubique gentium, dedicatarum.

8. Præsta, optime Jesu, ut ex harum sim numero, quæ te hic tam amantem, tanta puritate et generositate redamant.

Non rogo extraordinarios stupendosque favores illis sæpe et effuse concessos: te, Jesu mi, teipsum rogo, laborum dolorumque, si quos pro te subii, mercedem, et rebus in omnibus unicam felicitatem meam.

Non quæ mundi sunt bona aut oblectamenta, non quæ naturæ blandiuntur, non etiam consolationes mere sensibiles me beare possunt. Beatitudo mea, dulcissime Jesu, super Cor tuum quiescere, te frui.

Dura quies omnis, quæ non recumbit super Cor tuum: vana omnia, quæ ad te non referuntur; insana, quæ Cordis tui sensis non consonant: insipida, quæ unctione amoris tui non condiuntur.

Concede tantum, ut per divinam unionem te possideam, te quam purissime et generosissime amem; et reliqua libenter aliis linquo: hoc solo dono tecum beatissimus ero.

Imit. Chr. Lib. IV. c. 12.

CAPUT QUINTUM.

Sacrosanctum Cor Jesu est Cor Ecclesiæ suæ sanctæ.

1. *V. J.* Cor meum, fili, quod in Sacramento vivit, cor Ecclesiæ meæ, quæ est corpus meum mysticum.

Corpus hoc meum vivum est, anima informatum. Anima autem illa principium vitæ supernaturalis, quam vivit corpus.

Hoc vitæ principium e divino Corde meo procedit: ex Corde enim meo Ecclesia formata est; quod plane, non de membris, non de corpore, sed de anima intelligendum est.

Multa quidem membra, unum autem corpus, quod principio divino Cor meum animat, nutritque, et fovet, ut vita mea manifestetur in corpore.

Ecclesia itaque constans et corpore, quod humanum est elementum, et anima, quæ elementum est divinum, tamquam individuum morale subsistit in unitate personæ, et participatione naturæ humanæ atque divinæ.

Quemadmodum enim succum vitalem palmitibus dispositis influxu communicat vitis, sic ego dispositis Ecclesiæ membris divinum communico principium.

Et sicut vitis et palmites unum sunt, ita ego et Ecclesia aliquid unum quodammodo sumus.

Vere ergo intimeque ego et Ecclesia uniti, non unione morali tantum, sed etiam substantiali; non unione sensibili, sed spirituali; non unione hypostatica, sed tamen personali, eo scilicet sensu, quod ego ita Ecclesiæ uniar, ut sit mecum unum suppositum morale, accipiens a me suam partem principalem, animam suam, divinum vitæ supernaturalis principium, ac simul habens membra, singula sub alio respectu supposita, quæ in se et pro se subsistunt, vere distinctæ mereque humanæ personæ.

2. Sic mihi unita, sic animata principio divino, vivit Ecclesia vitam quodammodo divinam, vitam supernaturalem, vitam meritorum æterna beatitudine dignorum.

Quin ex eodem fonte habet homo, ut Ecclesiæ membrum esse incipiat, cum Cordis mei aqua et spiritu in baptismo regeneratur, quemadmodum dicit Scriptura: Omnes nos in unum corpus baptizati sumus, sive Judæi, sive Gentiles, sive servi, sive liberi.

Ad hoc enim ex Latere meo aperto fluxit aqua, baptismi symbolum, quod est lavacrum regenerationis.

Eodem principio etiam membra Ecclesiæ intime uniuntur. Multis quidem vinculis fideles inter se suaviter feliciterque colliguntur: at in amoris Cordis mei Sacramento mihi velut incorporantur ac Spiritu meo donantur, sicque incomparabiliter arctius, dulciusque, et perfectius inter se conjunguntur.

Et hoc est amoris mysterium, quod eloquitur Apostolus, cum ait: Unum corpus multi sumus, qui de uno pane participamus. Unum corpus et unus spiritus.

Quid igitur mirum, si fidelibus sit cor unum, Cor meum, de cujus plenitudine accipiunt spiritum vitæ?

Sicut enim in corpore naturali sanguis cum vi vitali proficiscitur e corde, seque omnibus, etiam remotissimis minimisque tribuit partibus non præpeditis, ita vitæ supernaturalis principium e Corde meo procedit, et cunctis singulisque membris corporis mei mystici non impeditis se impertit.

3. Hac virtute divina non solum vivit Ecclesia, membris intime unitis, sed eadem etiam a me alitur, vigoremque accipit, et in juventute semper florenti conservatur.

Imo si quod membrum infirmatur, aut etiam vivificantem influxum communicationemque meam, abusu liberi arbitrii sui, impediverit aut ejecerit, ita ut fiat supernaturaliter mortuum; quamdiu corpori Ecclesiæ inhæret, a Corde meo ipsam vitam supernaturalem sanitatemque recipere potest, cum per Pœnitentiæ Sacramentum se lavat in balneo vivificantis et purificantis Sanguinis Cordis mei, sicque obicem vel impedimentum removet.

Ecclesiæ autem viva membra, cum Spiritu meo animentur, cum influxu Cordis mei jugiter fove-

antur, cum denique maneant in me et ego in illis, fructum ferunt multum, fructum verum et manentem, fructum vitæ æternæ.

Religiones autem falsæ sectæque omnes, quia a Corde meo divino non vivificantur, neque vivificari possunt, utpote a corpore meo mystico prorsus separatæ, inanima sunt entia, principio vitæ supernaturalis carentia; ideoque fructum genuinum et salutarem ferre non possunt. Sicut enim palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite, ita nec homines, nisi manserint in me.

Noli ergo mirari, si sectæ religionesque falsæ, veluti abjecti palmites arescant, putrefiant, tandem pereant.

4 Si illa, fili, quibus ita vivit, vigetque, et fructificat Ecclesia, mirabilia sunt et dulcia, magis adhuc miranda videantur ac dulcedine pleniora reliqua, quæ ei communico, quibusque mihi similis est.

Etenim quæcumque ego habeo natura, gratia a me habet pro capacitate sua Ecclesia.

Profecto cum ego sanctus Ecclesiam divino vitæ principio animem, sicque eam mihi unitam habeam, ut tamquam unum quid simus, necessario sancta est illa, non solum exterius, origine nimirum, ac fine mediisque ad finem æternam beatitudinem, adhibendis, verum etiam interius, anima ipsa, in qua sanctitas proprie residet.

Ex perpetua unione influxuque Cordis mei, ego illam in sanctitate perficio, ut exhibeam Ecclesiam gloriosam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi.

Ego errare non possum: nec potest Ecclesia.

Si erraret ipsa, ego errarem: ast ego sum veritas infallibilis, unde infallibilis est et ipsa.

Verba quæ dedit mihi Pater, dedi ei: et aperui sensum ejus, ut, Spiritu Sancto dirigente, ea intelligeret atque custodiret.

Ecclesia, quæ corpus meum est, non moritur, quia ego non amplius morior; sed sic manet, donec ego venio gloriosus in consummatione seculi.

Ego Jesus heri, et hodie: ipse et in secula: et ideo Ecclesiam, quam Cor meum vivificat et conservat, quam alit et vigore complet, quam sanctitate sua sanctificat et sua veritate firmat; etiam perpetua vita sua donat, eique illustrem tribuit immortalitatem.

5. Hinc disce, fili, quam digna sit reverentia, quam digna amore tuo Ecclesia, quæ mihi tam intime conjuncta est, meque ipsum adeo præ se fert, ut merito dicere possit: Qui me videt, videt et Christum.

Gaude, fili mi, gaude toto corde, te membrum esse hujus mystici corporis mei, quo nihil pulchrius, nihil nobilius, nihil mirabilius cernitur in orbe terrarum.

Si me amas, ama Ecclesiam meam, pro qua tradidi meipsum, et qua nihil omnium, quæ facta sunt in cœlo et in terra, charius est Cordi meo.

Præcipue in Sanctissimo amoris mei Sacramento arctius Ecclesiæ in me unieris, ibique melius a Corde meo disces spiritum ejus.

Quicumque vult cognoscere spiritum Ecclesiæ, Cordis mei Spiritum discere debet; quoniam utriusque unus est et idem Spiritus.

Ecclesia eodem spiritu consideranda est, quo animatur: ejusque agendi ratio, non mundano sensu,

sed eo intuenda sensu spirituali, quo in agendo movetur.

O si cognoscerent omnes Ecclesiæ sensa, quæ sensa matris optimæ longe excellunt, cum sint ipsa Cordis mei sensa; quam ardenter amarent Ecclesiam! quam perfecte probarent universa opera ejus!

Ora, fili, ut cuncti mortales Ecclesiam agnoscant et diligant, utque decora sint hujus corporis membra, spiritu vitæ animata: membra, quibus honorer, quibus glorier.

Sæpe multumque precare, ut omnes Cordis mei sensis vigeant, ac crescant per omnia illo, donec occurrant in corpus perfectum, et associentur Angelorum societati et Sanctorum, qui in unione Cordis mei confirmati sunt in cœlis.

6. Interea, fili, cura tibi in primis, ut maneas in me, non per fidem, spem, charitatem solum, verum etiam, medio Sacramento, per unionem perfectam.

Hoc est illud unum, necessarium tibi, ut mihi unitus sis. Ex hac unione tibi vita, et vigor, et perfectio, et sanctitas.

Quo arctius mihi unitus fueris, teque melius dispositum servaveris, eo copiosiora gratiarum bonorumque supernorum fluenta, omni quidem tempore, præcipue autem in sancta Communione, tibi e Corde meo derivabis.

Hinc multum sanctitatis feres fructum, quo divinam Cordis mei virtutem ostendes, et gloriam ejus veram promovebis.

7. *V. D.* O Domine, Deus noster! quam admirabile, quam amabile Cor tuum! Quis non stupescat tam profundis virtutis ejus mysteriis! quis tantis amoris testimoniis non moveatur!

Magnum utique fuit et mirabile divini amoris tui opus, naturæ nostræ assumptio, sed o quanto majus ac mirabilius opus, traditio tui ipsius in Sacramento!

In incarnatione enim nostram suscepisti humanitatem: in Communione vero nobis tuam largiris Divinitatem, et ipsam Humanitatem tribuis.

Assumendo naturam nostram, tu ad nos descendisti, et ipse mortalem duxisti vitam; communicando autem teipsum nobis in Sacramento, nos ad te tollis, et vitam impertiris divinam.

Factus homo, redemisti et congregasti nos: factus vitæ nostræ cibus, nos in te unis, ut simus consummati in unum per te et in te.

O Domine, quam prodigiosus et quam suavis est Cordis tui amor erga nos, propter quos hæc tanta operaris!

Utinam, Domine Deus, omnes cognoscant et diligant hæc stupenda, hæc amanda! Utinam corda possideam omnium, ut illa tui amori consecrare possim!

8. O Jesu, vita et dulcedo animæ meæ! quam ineffabilis est amor, quo me dilexisti!

Quantum enim amoris tui beneficium, quo me per naturam creasti ad imaginem tuam! At quam incomparabiliter majus illud, quo me per gratiam ad tuam similitudinem elevasti! Sed quid dicendum, quid sentiendum de eo, quo me ad unionem intimam tecum sublimasti! Quis sum ego, et quis tu, ut tu me ita tractes!

O amor incomprehensibilis! O dulcissime Jesu, amabilis super amabilia omnia! quomodo non moriar, si te non amem! quomodo vivam, si tibi non vivam!

O Domine, principium, et sustentaculum, et finis vitæ meæ! præsta, quæso, præsta, ut tibi unitus vivam, vivam per te, vivam propter te, ad gloriam et gaudium Cordis tui, quo tam mirifica, tam dulcia efficis *).

Imit. Chr. Lib. IV. c. 17.

CAPUT SEXTUM.

Sacrosanctum Cor Jesu militantem in terris Ecclesiam unit Ecclesiæ triumphanti in cœlis.

1. *V. J.* Fili, ego constitutus sum caput super omnem Ecclesiam, cujus pars gloriosa mecum in cœlo triumphat.

---

*) „Ea, de quibus auctor in hoc capite loquitur, magnæ sunt consolationis et utilitatis. Quamquam autem nihil est, quod non intelligi possit, attamen juverit aliqua explicare, et quænam in hac re, de qua agitur, asseri cum fundamento theologico possint, exponere.

Corporis Christi mystici, seu Ecclesiæ caput est Christus, membra sunt fideles. Est autem inter caput et membra, ut auctor concise dicit, unio

1) *Substantialis*, non solummodo moralis, quæ est, verbi gratia, inter caput et cives alicujus rei publicæ.

2) *Spiritualis*, eo sensu quod non sit unio physica, id est, effecta per cohæsionem vel commixtionem partium seu molecularum materialium, excepto tempore quo persistunt species sacræ Eucharistiæ in homine. Ast ideo non est minus substantialis unio; nam cohæsio et commixtio entium materialium in fine nihil est nisi accidens. In hac vero de qua loquimur unione, Spiritus Christi membra viva informat.

3) *Personalis* aliquo modo. Scilicet totum hoc corpus mysticum unicam personam format. Christus autem, ut caput, dat id quod est principale in personalitate hac. Non est ipse quidem persona tota et sola, cum

Hæc pars, hæc Ecclesia triumphans, ad quam cœteræ quondam ascensuræ sunt ovantes, Angelorum Sanctorumque omnium societas, clara victoriis, æternis coronata laureis, gloriæ et amori mei immutabiliter penitusque devota, longe gratissima est ac charissima Cordi meo.

Quid mirum ergo, Cor meum abreptum fuisse cum hac gloriosa portione in terram viventium, in regnum æternæ beatitudinis? Sed ecce simul per amoris prodigium, cum parte militante retentum est in Sacramento.

Hoc itaque modo utrique parti præsens adest, utramque per seipsum et in seipso conjungit, faciens utramque unam.

2. In me utraque eamdem habet victimam: triumphans quidem Agnum stantem tamquam occi-

---

persona efficiatur toto supposito, ad quod etiam membra numeranda sunt; sed est id, unde membra vitam spiritualem habent, et a quo reguntur et informantur. Non tamen est hæc unio *hypostatica*, quæ etiam personalis appella'ur. Nam in unione hypostatica, persona Verbi ita assumpsit naturam humanam, ut in hac natura sub nullo respectu aliqua personalitas persistat, et unica sub omni respectu habeatur persona Verbi Dei: in unione autem, de qua disserimus, quodlibet membrum jam est suppositum aliquod seu persona, non quidem quatenus est membrum corporis Christi mystici, sed quatenus hoc membrum sub alio respectu pro se subsistere potest, et esse potest *principium quod*, ut Scholastici dicunt, actionum. Verum natura humana in Christo est tantum *principium quo* actionum, et sub nullo respectu potest esse *principium quod* earumdem: ideo unio hæc est hypostatica et personalis. Contra, membra corporis Christi mystici sunt quidem *principium quo* actionum, quatenus considerantur ut membra corporis mystici; possunt autem esse et considerari ut *totidem principia quæ* actionum,

sum, victimam quæ non jam immolatur, sed olim immolata adoratur: militans vero eumdem Agnum Dei, tol'entem peccata mundi, juge sacrificium, quod in omni loco offertur oblatio munda.

Utraque eadem quoque utitur mensa: cœlestis profecto sine mysterio satiatur pane Angelorum, quem edentes appetunt semper, et quo simul semper saturantur: terrestris autem eodem cibo fruitur sub mysterio, modo statui ejus præsenti accommodato.

Eodem denique fonte recreatur utraque: quæ enim regnat supra, perpetuis inebriatur deliciis de torrente voluptatis divinæ, e Corde meo salientis in vitam æternam: quæ hic pugnat, ex eadem

---

quatenus ut supposita singularia seu individua cogitantur. Hinc utique patet, majorem, intimioremque, et mirabiliorem esse unionem hypostaticam, quam illam de qua loquimur.

Sumus autem vere membra Christi, et possumus dici „Caro de carne ejus" (juxta S. Paulum :), sicut anima, quæ est principale in homine, potest dicere de membris sui corporis: Hoc est membrum meum; informo tale et tale membrum: unde est vere ejus membrum. Proin Christus nos jure vocat membra sua vera, carnem suam, etc.

Constitutivum seu unitivum principale hujus corporis mystici, juxta aliquos, est S. Eucharistia. Inde existimant, optime et sensu maxime obvio, explicari verba Christi: „Nisi manducaveritis carnem Filii hominis... non habebitis vitam in vobis." Et hæc: „Qui manducat meam carnem... in me *manet* et ego in illo."

Vita de qua hic agitur, qua scilicet Christus membra corporis sui mystici informat, non est animalis vita, ut patet, sed vita supernaturalis, sicut auctor tradit. Unde talia membra peccato mortali infecta, sunt quidem membra hujus corporis mystici, sed arida seu mortua, et, si non reviviscant, aliquando prorsus a corpore abscindenda." *(P. J. A. Cens.)*

scaturigine gaudens haurit aquas gratiæ, consolationisque, et beatitudinis.

3. Ambas ita uniens partes, Cor meum efficit in sancto Tabernaculo, ut perpetua et indesinens communicatio inter illas et participatio detur.

Ubicumque enim sum ego in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, continuo descendunt Angeli de cœlis, ut mihi ministrent, me adorent, ament, laudent:

Stupentesque amorem, quo tam mirabiliter ac suaviter cum hominibus permaneo, ipsi, sicut in cœlo coram throno gloriæ meæ, ita et in terra coram dilectionis meæ Sacramento, incessabili voce proclamant: Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus omnipotens! plena est omnis terra gloria tua.

Cumque discedunt, ecce ascendunt in cœlum, habentes phialas aureas, plenas odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum, fidelium me in spiritu vere ac sancte orantium: has ante solium divinæ Majestatis offerunt, eique exponunt necessitates sociorum suorum in terra militantium.

Interpellatione Angelorum Sanctorumque, et motu proprio Cordis mei, descendit misericordia et gratia, quæ mortales consoletur, reficiatque, et superno repleat gaudio.

Atque ita, fili, dum cœlicolæ beatitudine æterna plene fruuntur, fideles hic sacrosancto Sacramento ad eamdem beatitudinem continue præparantur: præparatique continue ingrediuntur in cœlestia tabernacula.

4. Itaque in Corde meo coadunatur Ecclesia, quæ in cœlo est, et quæ in terra. Ipsum est principium, ex quo tota fit una, partesque mutuum et perpetuum habent commercium.

Complacuit enim mihi conciliare omnia in ipso, sive quæ in terris sive quæ in cœlis sunt, ita ut universa radicata in ipso et firmata abundent per ipsum.

Et hoc facto opus erat, fili mi: nisi enim ego Cordis mei elargitus essem gratiam, qua roborati, imo et elevati homines attingerent consortia cœlestia, numquam per vires naturales ad supernaturalem illam beatitudinem pervenire possent.

Sic igitur accessisti ad civitatem Dei viventis, Jerusalem cœlestem, et multorum millium Angelorum frequentiam, et Ecclesiam primitivorum, qui conscripti sunt in cœlis.

5. Admirare, fili, sublimia hæc consilia: venerare hæc amoris mysteria: utere demum ad animæ tuæ profectum tanta Cordis mei bonitate, qua tibi, licet infirmo mortali, detur habere intimam cum Sanctis Angelisque societatem, et ex eodem thesauro cum ipsis promere beatitudinem.

Vide, quomodo militans Ecclesia hoc Cordis mei amore rapta, certet suis laudibus signisque gratitudinis æmulari triumphantem.

Ut enim Ecclesia cœlestis requiem non habet, sed sine fine me laudat, in perpetuum me glorificat: ita Ecclesia terrestris me honorare, me celebrare non cessat.

Ne sensa cordis tui, fili, ab Ecclesiæ, Matris tuæ, sensis aliena sint: verum sentito in te quod et ipsa in se.

Cum apparueris ante dilectum Tabernaculum meum, dilata cor tuum, trade te devotioni, da gloriam Domino Deo tuo.

Uni te Ecclesiæ militanti: uni te et triumphanti: ita fidelibus Spiritibusque supernis associatus, lauda Deum Salvatorem jubilo cordis et oris.

Venerabundus procumbe, adora, precare, fruere præsentia mea.

6. *V. D.* O Jesu amantissime, quam admirabilis est Cordis tui amor, quo, ut me erigas et consoleris in terra, cœli beatitudine hic et societate quodammodo frui me fecisti!

Sic, o amor incomprehensibilis! sic amaritudinem exilii mei mirabiliter mitigasti, imo in cœlestem convertisti dulcedinem.

Et post hæc, non amarem te? non laudarem te? Non esset semper amor tui in corde meo, laus tua in ore meo?

Imo, imo, amabo et laudabo te, Domine: te amabo et laudabo, quantum possum, desideroque posse, quantum debeo.

Sed et ad amandum et collaudandum te, cœlum invito et terram.

Amore tui rapti, laudent te in dulcissimo Sacramento Angeli et Sancti, justi et fideles omnes! Triumphans Ecclesia simul et militans resonare faciant cœlum et terram amoris ac laudis canticis!

Quin et omnia creata in unum, visibilia et invisibilia, animata et inanimata, quæ faciunt voluntatem tuam, non cessent die ac nocte laudare et glorificare te, qui dignus es omni laude, omni gloria in sempiterna secula!

7. O Dulcissime rerum, Jesu, Angelorum beatitudo et Sanctorum omnium! ubi quæram felicitatem in terra: si non quæram hic!

Hic Sanctis associor, hic inter Angelos versor, hic ipsas cœli delicias invenio.

O bonitas ineffabilis! O infinita dulcedo! qui cœlestes Spiritus ad te desuper attrahis, trahe et

me huc ad te, ut hic quiescam, hic inter Angelos te contempler, te adorem, te laudem, te orem.

Quandocumque detentus fuero alibi, o huc ad te mentem et cor meum tracta, ut spiritu saltem hic tecum sim, frequenti cogitatione et affectu tecum converser, de te occuper.

Quid enim melius aut dulcius desiderem in mundo, quam hic te frui? Hic est terrestris paradisus novus, ubi vivere cupio et statuo, donec hinc transferar in cœleste regnum tuum, et cum Angelis et Sanctis in æternum triumphem.

Imit. Chr. Lib. IV. c. 11.

CAPUT SEPTIMUM.

Sacrosanctum Cor Jesu Ecclesiam, quæ mundatur in purgatorio, militanti Ecclesiæ et triumphanti adunat.

1. *V. J.* Fili, nemo in regnum cœlorum, Ecclesiam triumphantem, ingredietur, nisi sanctus, nisi immaculatus. Non enim intrabit illuc aliquid coinquinatum.

Quicumque autem maculatus ex hoc mundo abierit, non habens aliquod peccatum, quod non remittitur in seculo futuro, ipse salvus erit, sic tamen quasi per ignem.

In hoc igne, fili, est Ecclesia patiens, multitudo animarum, quæ olim sub vexillo meo adversus carnem, mundumque, et diabolum militarunt mihi, at uno alterove modo defuerunt in prælio, neque defectus per vitam resarcierunt.

Patiuntur, fili mi, et tanto quidem gravius, quanto jam res melius intelligentes, cupiunt ardentius esse mecum in triumpho regni cœlestis.

Hujus beatitudinis spe certa nixæ, sensa inde experiuntur violentiora: spes enim, quæ differtur, affligit animam.

Et licet anima ibi mundari gaudeat, neque velit istinc exire immunda, nullam tamen invenit requiem, sed nimio desiderio acta: Quando veniam, exclamat, o quando veniam, et apparebo ante faciem Dei!

2. Has animas ego diligo, fili, cum me dilexerint in vita sua, nec ad finem deseruerint vexillum meum.

Nomina earum scripta sunt in libro vitæ, earumque merces tuto recondita est in Corde meo.

Interea illas Cordis mei gratia animat, virtus Cordis mei levat, effusa Cordis mei charitas consolatur.

Per Cor itaque meum vivificatur Ecclesia patiens, uti militans, atque triumphans: et in Corde meo hæ tres una sunt.

Vita supernaturali Cordis mei animatæ, sive quæ glorificatur in cœlo, sive quæ in purgatorio mundatur, sive quæ pugnat in terra, omnes concurrunt ad unum eumdemque finem, qui triumphus est interminabilis ad divinæ Majestatis gloriam sempiternam.

3. Cum autem omnes ex Corde meo accipiant vitam, vitæque fructum ad Cor meum referant, omnia bona fiunt ipsis communia in Corde meo, cujus charitas penetrans cœlum, et terram, et purgantem abyssum, membris ea distribuit omnibus, ad omnium et uniuscujusque emolumentum.

Quoniam vero animæ in purgatorio sibi mereri non amplius valent, neque adjuvari a mortalibus nisi per suffragia possunt, ex amore prompsit Cor meum illis copiosissime auxiliandi medium.

Fecit enim, ut illis applicari et propitians esse possit sacrificium Eucharisticum, cujus intuitu divina Majestas aut illas liberet, aut certe illarum abbreviet vel minuat pœnas.

Cordi itaque meo debetur, ut ita leventur animæ illæ et purificentur virtute sanguinis mei, quæ illis per sacrificium applicetur.

Sic, fili, et purgatorium vacuatur, et impletur cœlum, et peregrinantibus in terra de iis, qui abierunt ex hoc mundo, dulcissima datur consolatio.

4. En ergo, fili, quam pulchra est tota Ecclesia, cujus partes omnes in Corde meo perpetuo communicant invicem.

Pars militans, relatis insignita victoriis, ad novas victorias semper procedens, gaudet cum gaudentibus in triumphanti, et flet cum flentibus in patienti.

Amor, compassio, gaudium, preces per omnes partes ultro citroque commeant.

Lætare, fili, te non esse ex illorum numero, qui spem non habent ultra sepulcrum, verum eorum, qui in Corde meo conjuncti sunt, quos neque locorum distantia, neque mortis imperium separare potest.

5. Concipe Spiritum Cordis mei, fili: et quotiescumque sacrosancto assistis sacrificio, fidelium defunctorum suppliciter memento: in primis enim dum sancta et adoranda coram jacet victima, salubris est cogitatio, opus piissimum, pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur.

Ex eodem Spiritu, si quid indulgentiæ, utilis ipsis, lucratus fueris, ipsorum levamini et consolationi per applicationem impertire.

Quando autem in sacra Communione mihi unitus fueris, tum maxime commenda Cordi meo

quos habuisti caros in hoc mundo, cœterosque pro quibus orare convenit.

Recogita, fili, quanto gratitudinis et amoris sensu tibi rependere conaturæ sint animæ eæ, quas precibus aut suffragiis tuis in cœlestem beatitudinem introduxeris.

Hæc pietas, hæc caritas erga patientes in purgatorio animas, propria est nota Cordis mei discipulorum, qui, ad exemplum meum, limites hujus mundi transvolant, ac quoscumque repererint juvaminis capaces, eos caritate consolantur.

6. *V. D.* O dulcissime Jesu, quale Cor tuum! quam mirabile! quam bonum!

Ecce enim in hoc Corde tuo eos etiam reperio, quos ex hac vita amiseram, iisque unior, quos in hoc mundo habui carissimos.

Hic cum illis commercium dulcedine plenum habeo: hic et illos et meipsum consolari queo.

Maxima cum gratitudine medio hoc utens consolatorio, ad levamen animarum fidelium defunctorum offero, per ipsum Cor tuum, omnem fructum sacrificiorum Missæ ubicumque oblatorum.

Atque in horum omnium unione, quæcumque per gratiam tuam habeo bona opera, offero, ut delere omnes animarum istarum maculas, sicque triumphantis Ecclesiæ consortio dignas efficere velis.

Offero etiam preces tibi supplicationesque meas, præsertim pro defunctis meis parentibus, pro fratribus, pro sororibus, pro amicis, pro omnibus demum, qui mihi sive corporaliter sive spiritualiter benefecerunt.

Illas tibi quoque specialiter commendo animas, quarum pœnæ causa quocumque modo fui.

Particulariter autem oro pro defunctis, qui,

dum in præsenti erant vita, Sacratissimi Cordis tui devoti fuerunt discipuli.

Pro omnibus denique supplex obsecro, ut a pœnis liberati, ingrediantur in gaudia tua æterna, ibique apud te meminerint mei.

7. O Jesu, tuorum omnium Consolator, et innovator rerum! quando hic tecum sum ante sanctum Tabernaculum tuum, mundus sensibilis mihi evanescere videtur: spiritualis enim mundus hic mihi patescit: et o quam vastus, quam admirabilis! quot quantisque consolationis prodigiis repletus!

Hic cum Ecclesia in cœlo triumphanti, et cum Ecclesia in purgatorio se mundante communico: hic in tua præsentia libere ac sancte cum Angelis cœlicolisque omnibus conversor: hic cum consanguineis et amicis in mundo invisibili habitantibus ago.

Hæc autem omnia cui debeo nisi Cordi tuo? Hic igitur, hic est locus dilectionis meæ, locus quietis et pacis, locus gaudii et consolationis.

O quam bonum est mihi hic esse, optime Jesu, fons bonorum omnium! Eant alii quo malint; rebus recreentur quibus delectantur: ego, quantum voluntas tua permiserit, huc ventitabo; hic cum tuis me recreabo; hic tecum corde ad Cor agam in plenitudine suavitatis tuæ.

Imit. Chr. Lib. IV. c. 9.

CAPUT OCTAVUM.

De ineffabilibus Sacrosancti Cordis Jesu in Sacramento occupationibus erga Patrem suum.

1. *V. D.* Si opera sacri Cordis tui, Domine Jesu, erga omnes Ecclesiæ tuæ partes, tam mira-

bilia, tam sublimia sunt, — quales, amabo, sunt ejus occupationes erga Patrem tuum, a quo infinite amaris, quemque infinite amas?

Hæc profecto talia sunt mysteria, ut, si quis ad ea exponenda loquatur linguis hominum aut Angelorum, adhuc puer sit, qui loqui nesciat.

Imo hæc, Domine, arcana sunt, quæ non licet homini loqui.

Tu igitur ipse, quæso, ea nobis revela, quantum ad gloriam tuam ac nostrum bonum prodesse novisti, ut in sanctissimo Sacramento tuo te digne colere et diligere valeamus.

2. *V. J.* Reverenter audi, fili, et attende devote: et arcana divina tibi pandam.

Hic in secessu secretissimo, in lumine increato, contemplor Corde rapto divinam essentiam, ejusque perfectionibus infinite delector.

Hinc Cor meum ineffabilibus inundatur gaudiis: et his, quanto per vitam mortalem magis repletum fuit amaritudinibus, tanto nunc copiosius dulciusque perfunditur.

Inter hos splendores, inter has delicias divinas, Pater in me et ego in Patre; ac sine strepitu verborum loquitur Pater mihi et ego illi.

Hic mihi Pater communicat æterna consilia sapientiæ suæ, supremæ potestatis decreta, amabilissima bonitatis beneplacita.

Hæc vicissim Cor meum complectitur, sibique in illis complacet.

3. Patrem enim summe diligit Cor meum: eoque erga ipsum ardet hic amore, ut numquam deferveat, numquam amittat quidquam ardoris.

Ecce, fili, amor, quo nullum cor aliud Patrem amare potest, cum quodvis aliud cor, quatenus

cor filii, non titulo naturæ, ut Cor meum, sed solius adoptionis nomine, referatur ad eum eique uniatur.

In hoc itaque solum est Cor meum et sine exemplo. Ideoque Pater singulariter, super amorem Sanctorum Angelorumque omnium, hoc Cordis mei amore delectatur, quoniam amor est Cordis Unigeniti Filii sui.

4. Qua Unigenitus sum Dei Patris, cum omnia, quæ habet Pater, mea sint, omnibus fruor, omnibus utor in Spiritu Sancto.

Quæcumque facit Pater, hæc et ego facio: eadem cum Patre et Spiritu Sancto creo, conservo, promoveo omnia.

Qua vero filius hominis, meipsum coram Majestate Patris quodammodo exinanio, eique perpetuas profundo adorationes.

Divinam Sapientiam, et Bonitatem, et Potentiam, et cæteras hic colo perfectiones, qualiter nec Cherubim, nec Seraphim, nec creatura quæcumque eas glorificare potest.

5. Dum autem in hac mystica sublimique divini Sacramenti solitudine solus cum Patre in Spiritu Sancto ago, non est infidum Cor meum, ut obliviscatur operis dilectionis suæ inter filios hominum.

Pro ipsis Cor meum, omnesque tam multifarias atque stupendas immolationes ejus Patri indesinenter offero.

Si qui sunt spiritu languidi, aut infirmi, aut mortui, hic pro illis orat gemitibus inenarrabilibus.

Seque coram Patre effundit cum omnibus affectibus suis, ut qui justus est, justificetur adhuc, et qui sanctus est, sanctificetur adhuc.

Nec denique cesso Corde preces offerre et

supplicationes pro omnibus, quos non confundor fratres vocare apud Patrem:

Ut omnes unum sint, inquiens; sicut tu, Pater, in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint.

Ego in eis, et tu in me; ut sint consummati in unum: ut cognoscat mundus, quia tu me misisti, et dilexisti eos, sicut et me dilexisti.

Non rogo, ut tollas eos e mundo, sed ut serves eos a malo. Sanctifica eos in veritate.

Pater, quos dedisti mihi, volo, ut ubi ego sum, et illi sint mecum; ut videant claritatem, quam dedisti mihi.

6. En, fili mi, occupationes erga Patrem, quas Cor meum hic in sancto Tabernaculo usque perpetuat.

Has Cordis mei occupationes, cum hic comparueris in præsentia mea, enitere pro posse tuo imitari.

Leva cor tuum supra sensus omnes: ac cum Ecclesia, Matre tua, quæ tamquam fidei suæ symbolum, perpetuum lumen coram sanctissimo Sacramento servat accensum, contemplare lumine fidei Deum, Salvatorem tuum, tibi præsentem.

In silentio, multaque cum reverentia, et affectu pio meditare illa omnia, quibus Cor meum hic occupatur.

Huc frequenter adesto, fili, hic cor tuum effunde: hic ama: hic delectare in Corde meo.

7. *V. D.* O mirabiles, o divinæ occupationes tuæ, Jesu mi, in sancto Tabernaculo!

Hæ, Domine, hæ, si considerantur, si capiuntur, docent, quæ nec libri tradere, nec ingenia proferre possunt.

O divina solitudo Jesu in Sacramento! hic est cœlestium secretorum fons: hæc contemplationis

schola, ubi supra sensibilia surgere, ubi ad Patrem, et Filium, et Spiritum Sanctum ire, ubi speculari magnalia Dei, ubi mente et corde orare, ubi mystica et divina experiri discitur.

Oculus non vidit, auris non audivit, sensus nullus percepit, sola fide cernitur, amore puro gustatur, quanta felicitas, quanta suavitas, quanta denique omnium bonorum abundantia hic lateat.

Hic, Domine Jesu, est secessus, in quo tu quietus quietas omnia, in quo occupatus tu nos occupas, in quo tu sanctus sanctificas nos.

Hic est locus, quem ambiunt Angeli, et in quo animæ puræ mansionem facere desiderant.

Hic, dulcissime Jesu! hic te quæram semper; hic merear, obsecro, in lumine tuo videre lumen, in quo habitas, hic de te occupari, hic delectari mirabilibus, quæ cum Patre et Spiritu Sancto operaris, hic absorberi divini ignis flumine, quod e Corde tuo prorumpit, hic demum in te amore transformari!

Introduc me, quæso, in ipsa Cordis tui secreta, et serva me apud te in ista requie divina, ubi omnis motus mere humanus cessat, ubi omne quod movetur, oritur a Divinitate et ad Divinitatem tendit.

Si inveni gratiam in oculis tuis, Domine, admitte me, precor, uni me tibi indissolubili amoris vinculo: imple omnes facultates meas intus et foris, ut et de te et propter te vivam.

Imit. Chr. Lib. III. c. 43.

CAPUT NONUM.

Sacrosanctum Cor Jesu in Sanctissima Eucharistia Patrem suum infinite honorat.

1. *V. J.* Nunc, carissime, clarificatus est Filius hominis, et Deus clarificatus est in eo.

Quantum, putas, glorificatur, quantum honoratur Pater a Filio, qui ad Patris honorem et gloriam, in terris non jam visus, sed absconditus est in Sacramento?

Dignus est Pater omni cultu, et laude, et obsequio: ideoque hæc omni modo, in Sacro hoc mysterio, ipsi exhibeo per immensas humiliationes, quibus me hic subjicio.

Tanto magis exaltatur Majestas Dei Patris, quanto Filius factus homo, se humilius deprimit ad hoc ut Patrem honoret.

Metire, si potes, humilitatis abyssum, in quam hic ad gloriam Dei Patris descendi. In profundam sane abyssum per Incarnationem veni: in profundiorem per vitam processi: in profundissimam me demisi per mortem. Sed hic infra omnes abyssos illas descendi: hic illos excessus omnes excedo, et excedere pergo.

Conare, quantum vales, labora, quantum vis; mirari, obstupescere poteris, non poteris umquam capere aut intelligere sive profunditatem, sive latitudinem abyssi, in quam Cor meum hic se demittit.

Stupent ipsi Angeli, reverenter contemplantes me, quem Dominum suum agnoscunt et colunt, ad honorem Patris magis humiliantem meipsum, quam quod ipsi possunt.

Vehementer ex hoc accenduntur et stimulantur

ad glorificandum divinam Majestatem, cujus magnitudinem infinitam comprehendere non valent, at quam infinito honore dignam esse, ex meo exemplo clarius percipiunt.

2. Si status ipse, fili, in quo hic sum, usque adeo divinam honorat Majestatem, quantum ei dant gloriam illa omnia, quæ in hoc statu pro ea facio!

Noli ex specie externa judicare: non enim humano sensu res divinæ æstimandæ sunt.

Omnes actus mei in hoc Sacramento, cum actus sint personæ dignitatis infinitæ, quamquam invisibiles sunt nec quidquam habent splendoris sensus humanos percellentis, infiniti sunt valoris.

Propterea, fili, minimus Cordis mei motus ad gloriam Patris, absque comparatione magis ipsum glorificat, quam omnia quæcumque a meris creaturis usquam perficiuntur.

Collige mente præclare gesta, actionesque illustres, et facta mortalia, quæ homines pro mundo peregerunt, quibusque famam suam sparserunt per orbem: ecce ista omnia cum uno Cordis mei actu collata, quid sunt nisi fumus igni flammanti comparatus?

Quin imo adde simul virtutes, et perpessiones, et opera heroica, quibus Sancti omnes, ab Abel usque ad novissimum justum, se vere insignes reddiderunt: etiam hæc, fili, licet Deo grata et honorifica, infinito intervallo distant ab uno sacrificio, quo Cor meum hic Deum honorat.

Quid plura? Magnæ quidem sunt et gloriosæ laudes ac gratiarum actiones, quas superni Spiritus, incolæ cœli, divinæ offerunt Majestati: at incomparabiliter majores ac gloriosiores sunt, quas ei Cor meum una immolatione sua super altari offert.

3. Jure itaque gaudet sancta Ecclesia, se habere Sponsum, Dei Filium, qui pro ipsa divinam Majestatem honorat, quantum honorari meretur, eique gratias agat, quantæ ei debentur.

Id quotidie grato agnoscit animo, cum per me ad Patrem accedit eique dicit: Per ipsum, et cum ipso, et in ipso est tibi Deo Patri omnipotenti, in unitate Spiritus Sancti, omnis honor et gloria.

Hac divina institutione formata mihique unita, audet ipsa sine metu repulsæ orare Patrem eique gratias agere per me, Christum Dominum.

Cumque actus suos non nisi per me Deo supernaturaliter acceptos esse noverit, quidquid facit, quidquid offert, id omne præstat in unione mecum, ad laudem et gloriam divinæ Majestatis, ad utilitatem quoque suam in vitam æternam.

4. Beatæ, fili, animæ illæ, quæ actæ Spiritu sanctæ Matris suæ, Ecclesiæ, cum ipsa se Cordi meo in Sacramento uniunt, sicque conantur persolvere Deo honorem et gratiarum actionem, quam ei debent, sed per se solvere non possunt.

Memento, fili, quanta debeas Patri cœlesti, qui te ita dilexit, ut me, unigenitum Filium suum tam mirabili dulcique modo tibi dederit: qui tanto amore te prosequitur, ut in nomine meo missi Spiritus Paracliti charismata tam affluenter tibi communicet.

Quam dulce debitum, gratitudo, si cor habes nobile! Quid autem ita dulce, si tibi est cor filii, ut grati animi exhibitio erga patrem optimum?

Si autem gratus esse volueris erga Deum, tamquam filius erga patrem, honora illum: dicit enim: Si Pater ego sum, ubi est honor meus?

5. *V. D.* O æterne Pater, a quo velut a summa

origine accepi omnia, et, quod maximum est, ipsum Filium tuum unicum cum meritis ejus ac beneficiis ineffabilibus, Spiritum quoque Sanctum ejusque gratias et multiformia dona: quid retribuam tibi pro tot tantisque bonis?

Si inter munera et gratitudinem ratio quædam ac proportio esse debet, ecce impotens usquequaque sum, gratitudinem rependere tibi debitam, cum inter dona tua infinita et imperfectam gratitudinem meam comparatio sit nulla.

Quando etiam considero divinas perfectiones esse infinitas omnes, atque infinitas perfectiones, etiamsi mihi nullum umquam præstitisses beneficium, esse tamen propter se modo illimitato honorandas, obruor pondere debitorum, quibus fateor me ex meipso imparem esse in æternum.

Sed ecce Jesus, unicus et dilectissimus Filius tuus, qui amore tui et mei manet mecum in terra, ipse supplet quæ ego et debeo et non valeo.

Per ipsum igitur, qui novit omnia tua in me beneficia, et perfectiones tuas omnes comprehendit, hic in unione amoris Cordis ejus, obsequium clientelæ agnosco, cultumque tibi tribuo gratissimum semper in ipso, in quo tibi semper complaces.

6. Toto gaudeo corde, te esse infinite perfectum, ineffabiliter etiam mihi liberalem, atque me in Corde Jesu, dilecti Filii tui, habere unde honorem debitum ac gratitudinem tibi referre valeam.

Itaque tibi offero omnes virtutes Sacrosancti Cordis Filii tui, actionesque universas, quas in sanctissimo amoris ejus Sacramento, ad honorem Majestatis tuæ, et ad totius mundi salutem, operari non cessat.

Quidquid ego facere possum, tamquam nihil

est ad id, quod tibi debeo: et hoc ipsum est laudis tui pars, merita tua esse supra omnem facultatem meam.

Sed respice in faciem Jesu, Filii tui, qui est imago bonitatis et omnis perfectionis tuæ, atque in gloriam tuam suscipe omnem plenitudinem sanctitatis Cordis ejus.

Dignare, quæso, Pater Sancte, admittere quæ tibi offero merita, satisfactionesque, et laudes Unigeniti tui, in compensationem omnium injuriarum, quibus a me et ab aliis umquam inhonoratus fuisti.

Quas injurias sanguine meo et opere quolibet, si possem, compensare vellem: sed quoniam omnia quæcumque faciam, ad hoc minime per se sufficiunt, ea infinitis Cordis Filii tui Jesu meritis unio, tibique offero.

7. Per idem dilecti Filii tui Cor, per quod tibi tributum honoris persolvo, et pro omnibus beneficiis tuis gratias ago, nova ad tuam gloriam suppliciter peto dona.

In primis largire mihi, obsecro, magnum, generosum, tenerum etiam amorem erga Filium tuum, Dilectum animæ meæ, dulcissimum Jesum, qui tam amanter hic mecum permanet.

Fac, ut Cordis ejus sensis animatus, ac Cordi ejus unitus, vivam per ipsum, per quem solum ad te pervenire possum.

Ad hoc mihi dona, precor, plenitudinem Spiritus Sancti, qui Cor Jesu animavit semper ac direxit.

Repleat divinus hic Spiritus cor meum totum, idque amore erga Jesum inflammet, et fame ac siti suavissimi ejus Sacramenti usque stimulet.

Imit. Chr. Lib. IV. c. 10.

CAPUT DECIMUM.

Sacrosanctum Cor Jesu immolationibus suis in Sanctissima Eucharistia, divinam placat justitiam, et gratias immensas nobis procurat.

1. *V. J.* Fili, hæc dicit Deus: In omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum est nomen meum in gentibus.

Hæc, fili mi, est illa salutis hostia, quæ semel oblata in monte Sancto pro redemptione omnium, quotidie offertur per orbem pro meritorum meorum applicatione singulis, in remissionem peccatorum, quæ quotidie committuntur.

Cum enim scirem, figmentum illorum etiam, qui in me crediturі erant, tale fore, ut in multis offenderent omnes, Cordis amore motus, institui sacrificium, non solum cultus supremi ac gratiarum actionis, verum etiam propitiationis et impetrationis: cujus oblatione Deus placatus, gratiam et donum pœnitentiæ concedens, crimina et peccata dimitteret, favoresque profuse largiretur.

Idem quippe sacrificium, quod in cruce quondam obtuli, nunc in altari, non cruento quidem ut olim modo, at eodem Cordis amore, offero.

Quoties itaque hoc juge sacrificium offertur, quoties hujus hostiæ commemoratio celebratur, opus humanæ Redemptionis exercetur.

Supra quam oblationem propitio ac sereno vultu respicere, et acceptam magis habere semper dignatur Pater omnipotens, quam quod ipsi obtulit summus sacerdos Melchisedech, sanctum sacrificium, immaculatam hostiam.

Unde Ecclesia orat cum fiducia Deum Patrem,

ut per hoc fideles liberentur ab omnibus malis, præteritis, et præsentibus, et futuris, utque ope misericordiæ divinæ adjuti et a peccato sint liberi, et ab omni perturbatione securi.

Quid enim recuset Pater æternus, dum videt me, unicum Filium suum, ex zelo honoris sui et amore hominum, immolatum in ara et jacentem gloriæ suæ victimam, Corde meo et ipso Sanguine clamante et orante pro fratribus?

2. Verum enim vero hæc oblatio per excellentiam munda, per meipsum infinito Cordis affectu Patri cœlesti præsentata, sacerdotum ministerio, placet illi semper, et semper exauditur pro reverentia.

Sic alii quidem plures facti sunt sacerdotes, idcirco quod morte prohibeantur permanere, et propterea quod hæc hostia offeratur in omni loco: ego autem, eo quod maneam in æternum, sempiternum habeo sacerdotium. Unde et salvare in perpetuum possum accedentes per meipsum ad Deum.

Ex hac itaque sacrosanctæ victimæ immolatione, tota perpetuo quasi rubet terra, ejusque dulcedo cum Cordis mei meritis virtutibusque indesinenter ascendit ad Patrem, in odorem suavitatis.

Si multa hominum peccata Majestatem divinam multum offendunt, et justitiam ejus provocant, hoc sanctum sacrificium eam incomparabiliter magis honorat et placat; cum unigenitus Filius ei infinite magis placeat, quam displicent ei peccatores omnes.

Quæ regio in terris non purpurata quodammodo Cordis mei sanguine, aut quæ precibus ejus ac protectione exclusa? Quam igitur mundi plagam percutiat Deus, quin feriat locum Corde Filii sui defensum?

Ecce peccatores peccarunt, et non, pro meritis, in stagnum ignis æterni missi sunt: verum sinuntur etiam vivere, non quidem ut peccent, sed ut se reddant salvos.

Ego namque pono meipsum inter Deum Patrem et peccatores, et pro his me offero, interpellans: Respice, Pater Sancte et juste, vide manus meas et Latus meum: en quanti constiterint illi Filio tuo! dilectione, qua diligis me, parce, Pater, parce populo tuo.

5. Nonne, fili, cedere deberet peccator tantæ bonitati, qua clausum teneo infernum, ne eo absorbeatur; qua dæmones inhibeo, ne rapiatur ab illis; qua brachium Omnipotentis suspendo, ne divinæ justitiæ fulmine perdatur?

Mirareris profecto, si cuncta videres secreta media, quibus Cor meum hic utitur ad salvandum animas, quæ, nisi divinam indignationem ab ipsis averterem, jure mox consumerentur.

Si jam repentina et immutabilia non sicut antiquitus sumuntur de sceleratis supplicia, id meminerint esse referendum Cordis mei sacrificio, quo universus conservatur mundus.

En, fili, quomodo amet Cor meum, ubique recordans hominum, etiam miserrimorum, ubique animarum salutem promovens.

4. Quibus ergo sensis frequentare te oportet hoc mysterium, ex quo tanta remedia obtineas, et gratias impetres ac favores quoslibet: infiniti enim est valoris!

Licet autem sacrificium hoc valoris sit infiniti, homini tamen non applicatur fructus ejus nisi modo limitato fidei et devotionis vivacitate, dispositione animæ hominis, qui audit aut pro quo offertur

illud, prout edocta a Spiritu Sancto Ecclesia innuit, cum sacrificans orat Deum, ut meminerit famulorum, famularumque suarum, et omnium circumstantium, quorum ipsi fides cognita est, et nota devotio.

Itaque, fili, vivida fide, vera devotione, dispositione sancta Missam celebra vel audi, ut fructum sacrificii obtinere maximum, et gratias, quas petas, consequi omnes mereris.

Divina enim clementia absque dubio largitur dispositis, quæ in Missa petunt bona, imo sæpe largitur, quæ non petunt beneficia.

Hoc memento, fili, pie audire Missam, medium esse saluberrimum, ut custodiaris a periculis, ut ab improvisa morte præserveris, ut viam rectitudinis sequaris.

Si vis accumulare merita, frequenter, prout tibi licuerit, sacrificio Missæ interesto: unius enim Missæ auditione pia, longe magis mereris, quam si ex devotione te diu jejunio vel austeritate macerares, aut longinquam susciperes peregrinationem.

Si demum vis te Cordi meo commendare, quam sæpissime ac piissime assiste Missæ: hoc nimirum sacrificium sanctissimam Trinitatem glorificat, Angelos lætificat et Sanctos, justos ditat gratia, peccatores juvat ad conversionem, animas in purgatorio detentas sublevat, totam denique Ecclesiam in terra existentem recreat.

5. *V. D.* O dulcissime Jesu! quanta misericordia! quam gratuita dilectio! quam invicta benignitas! quam stupenda bonitas Cordis tui!

Pro illis enim ipsis, qui, quantum in se est, Cor tuum affligunt, te immolare non cessas, ut iræ divinæ pondus suspendas, dum se sub Cordis tui protectione in tutum recipiant.

Atque ego, fatebor enim, licet Cordis tui donis usque adeo cumulatus, Cor tuum afflixi ipse omnium ingratissimus.

Magnæ igitur misericordiæ, infinitæ bonitati Cordis tui debeo, si non sum consumptus, si incolumis sum adhuc.

6. O Cor Jesu! Cor suave et prædulce! Cor amantissimum et præ amoris excessu usquequaque effusum! num ego cor nomine cordis humani dignum habeo, si te non redamo?

Quis, Domine, quis amori tuo resistat, cum considerat, quomodo in Sanctissima Eucharistia nos sub Corde tuo abscondas, et teipsum pro nobis Patri tuo offeras!

O Jesu mi! quid fieret, si quem peccatorem de protectione Cordis tui abjiceres! quam terribiliter justitiæ divinæ fulmina illum ad ima detruderent tartara!

Absit, Domine, absit, ut me tanto exponam periculo, per ingratitudinem, per peccatum provocando Cor tuum!

7. Fac, o Salvator meus! ut tibi pro me tam sollicito, studiosius gratificer, te ferventius amem, ex gratitudine et amore te visitem frequentius, sæpius aut devotius sacrificio assistam.

O quam parum te diligo, si huc quotidie non venio, ut Missæ intersim, ut hic mediter, tecum converser, te multa orem!

Quantum dici tempus negotiis terrenis tribuo! quantum propriæ quieti et recreationi! et circa rem salutis æternæ et divinæ gloriæ non possim impendere semihoram hic tecum, cum hinc tamen gratiam referam et benedictionem tuam, qua ipsa negotia mea et reliqua omnia sanctificentur et prosperentur?

Imo, Domine, quotidie hic tecum ero. Quodsi necessitate impeditus, abesse cogar, etiam tum hic tibi adero spiritu.

Imit. Chr. Lib. IV. c. 8.

CAPUT UNDECIMUM.

Sacrosanctum Cor Jesu in amoris sui Sacramento maxima consolatio nostra in terris.

1. *V. J.* Fili, ecce Tabernaculum meum cum hominibus! ecce hic habito cum eis. Hic ego ipse consolabor venientes, et abstergam omnem lacrymam ab oculis eorum.

Et quoniam non est locus in terra, ubi afflictio non fundat quandoque lacrymas, Cor meum miracula multiplicat, ut multiplicet ubique solamina.

Ex hoc apparet, fili, Cordis mei misericordiam esse majorem, quam esse potest miseria humana.

Si quod remedium, si qua consolatio requiratur miseris in rebus, hic in Corde meo invenitur, hic e Corde meo depromitur cum gaudio

Ecce hic nova facio omnia: gravia muto in levia, insipida in sapora: amaritudinem verto in dulcedinem, luctum in cordis lætitiam.

Quinimo hanc lacrymarum vallem in paradisum transformo, terram in cœlum anticipatum. Hic enim cœlestium bonorum abundantia, hic fons pacis et gaudii, hic Angeli, hic ego ipse, beatitudo sempiterna.

2. Hæc sunt amoris prodigia, fili, quæ Cor meum pro te facit, ut non dejiciaris in tribulatione vitæ, sed bonitate Cordis mei attractus, venias ad hanc omnis consolationis scaturiginem.

Hujus dulcedinem cum bene gustaveris, omnem præteritam mox oblivisceris afflictionem, vel omne gaudium illam existimabis.

Cum hic ante sanctum Tabernaculum cor tuum effundis, maxime autem cum post sacram Communionem mihi corde ad Cor loqueris, teque mihi penitus resignas, tum percipies afflictionem cedere locum consolationi, timorem fiduciæ, torporem vigori cordis.

Si, me hic neglecto, alio curras, ut reperias qui te dejectum levet aut juvet, sæpe dicere poteris expertus: Quæsivi qui me consolaretur, et non inveni.

Huc autem numquam ad Cor meum frustra venies: numquam hinc sine levamine abibis.

Semper igitur huc recurre, ut tribulationum tuarum accipias remedium, afflictiones tuas vertas tibi in consolatoria merita.

3. Si infortunium, si rerum jactura, aut indigentia efficit, ut cor tuum gemitibus, et oculi lacrymis impleantur, ita etiam ut tristis sit anima tua usque ad tædium vitæ; hic, fili, invenies quæ nemo mortalis impertire tibi potest: hic lenimen doloris obtinebis. Exemplum meum, si consideraveris, cor tuum solabitur: promissio mea bonorum stabilium, in participatione hæreditatis meæ, post paucos hos dies tibi accipiendorum, animum eriget: secreta denique Cordis mei gratia doloris lacrymas quandoque vertet in lacrymas consolationis.

Si mundus te odit, si homines te negligunt, si tibi adversantur, si te deprimunt; hic, o fili mi, hic, in amoris hoc mysterio, abundanter te consolaberis: Cum me possides, cum etiam cordi tuo astringis me, Salvatorem tuum, Amicum fide-

lissimum, suavissimum Patrem et optimum, bene contentus eris mecum latere, mecum humiliari, ut Cordi meo similior sis ac carior, ut in æternum exalteris a me inter Electos meos.

Quodsi afflictiones corporis, aut animæ angores te afficiunt et cruciant; ecce, fili, ecce hic tua consolatio, quæ sola usque ad ægri cordis interiora pertingere potest, quamque nemo impedire valet, nisi tu ipse, sensis tuis potius credendo quam susurrationibus meis.

Id utique experieris, quod mille animæ fideles sæpe expertæ sunt; quæ huc accedentes afflictæ et constrictæ, mox amoris Cordis mei dulcedine recreatæ, revertebantur corde dilatato.

Si tentationibus molestaris, si desolatione conficeris; huc festina, fili. Ecce enim te tentatum, te desolatum vocat et expectat Cor meum. Te excipiet gaudens, te sua roborabit fortitudine, te unctionis suæ dulcedine replebit.

Si laberis etiam in defectum, surge velociter, et huc accurre. Hic facile totum reparabis: hic pacem recuperabis et cordis gaudium.

O si scires, fili, quanto desiderio consolandi unumquemque hic vigilet omni tempore Cor meum, consolans seipsum, si quem afflictum consoletur; tunc intelligeres unde hoc, ut nemo in quacumque tribulatione constitutus, veniat dispositus huc ad Cor meum, quin consolationem accipiat.

4. Enim vero in sancto Tabernaculo eumdem nunc possides me Salvatorem, qui dum olim vitam degebam mortalem, consolabar omnes: idem ipsum Cor meum, quod adhuc contentum in præsepio, Pastoribus donavit pacem, Magosque cœlesti dulcedine replevit: quod per pueritiam me frequen-

tantes recreabat: quod vitam per omnem refugium erat et solamen universorum.

Nosti, fili, quomodo infirmi et debiles, cœci et claudi, surdi et muti, miseri et afflicti omnes, Cor meum appellare, ejusque misericordiam et auxilium implorare solerent.

Num vel unus umquam, quacumque afflictione teneretur, aut quocumque tempore per diem vel noctem veniret, spe frustratus fuit?

Nonne quisquis, hora quacumque, ad Cordis mei bonitatem accurrebat, magis consolatus rediit, quam sperare se fore ausus erat?

5. Verum, fili mi, hæc omnia mirabilia, hæc consolatoria Cor meum perpetuo hic renovat, modo tamen eo perfectiori et utiliori, quo magis spirituali, vitæque æternæ magis accommodato.

Ibi quidem morbos sanabat corporis: hic autem animæ ægritudines, debilitatesque et miserias curat.

Ibi possessos a dæmone vel ab eo vexatos liberabat: hic magis facit, cum fideles a dæmone protegat.

Ibi leprosos mundabat: hic animas purificat et super nivem albas reddit et mundas.

Ibi hominum millia per miraculum cibo naturali satiabat: hic pane Angelorum nutrit fideles omnes.

Ibi mortuos revocabat ad vitam: hic, quod incomparabiliter melius est, animas a morte præservat.

Et quemadmodum tunc Cor meum compassione, misericordia, bonitate plenum, omnibus patebat, ita nunc apertum est universis, miserrimis etiam et afflictissimis.

Ne credideris, fili, ne vel spiritu suggerente credideris, Cor meum nunc aliter, quam tunc, sentire cum erga Deum, tum erga homines.

Cave itaque, ne Cor meum, quod ad te consolandum hic manet, distinguas a Corde meo, quod olim in vita mortali tam mirabiliter, tam dulciter allevabat homines eosque omni solatio replebat. Omnis enim spiritus, qui solvit dividitque ita Cor meum, ex Deo non est.

6. Dilata cor tuum, fili, et cape, quantum potes, omnem consolationem, quæ tibi hic e Corde meo velut e fonte perenni fluit.

Ecce omnia solamina, mira et suavia, quæ multis variisque personis impertivit per vitam mortalem, in sacramentali vita largitur tibi uni.

Quanto ergo felicior tu, quam illi ipsi, qui tempore mortalis vitæ meæ vivebant! Nec illi continue, quemadmodum tu, præsentia mea potiebantur: non tali modo illi, quali tu, me possidebant: non ita denique illi me suscipiebant vel me fruebantur, ut tu, fili Cordis mei.

En itaque, quousque Cor meum tibi faveat. In omni igitur necessitate, in omni difficultate sive interiori sive exteriori, huc advola. Hic enim obtinebis, si reus es, veniam; si infirmus, medelam; si dejectus, animum et fortitudinem; si afflictus, levamen et auxilium; si periclitans, protectionem et tutamen; miseriis omnibus remedium; semper veram sanctificantemque consolationem.

7. *V. D.* O Jesu, amor meus! quam suave consilium Cordis tui, quo ad mitigandum hujus vitæ amaritudinem, peregrinaris quodammodo mecum in exilio, atque ipsum exilium in paradisum convertis!

Eloquar, Domine, an sileam quæ de nimio amore Cordis tui erga nos homines concipio? Sed, ad Cordis tui gloriam, non tacebo: Sic, o Jesu!

sic nusquam tractasti ipsos Angelos; sic numquam dedisti eis teipsum fruendum tali modo!

O dulcedo infinita, Jesu mi! quousque me amasti! quomodo mihi das teipsum! quomodo totus mihi fis consolatio!

Unde, amantissime Deus! unde tanta bonitas erga ingratum filium, qui nomine filii dignus non est?

Sic, o amor ineffabilis! magnitudinem bonitatis tuæ ostendis, cum non consideres tuam Majestatem et abjectionem meam, sed benigne sequaris bonitatem Cordis tui, commoti necessitate mea et tua caritate.

8. O Domine Jesu, Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis! quanto cum gaudio ad te venio, gratuita bonitate tua excitatus et fretus!

Multæ quidem sunt et magnæ miseriæ meæ: accedo tamen confidenter et alacriter, dulcedine amoris tui attractus.

Nunc enim scio, te, licet impassibilis sis, non esse insensibilem; te, etiamsi impervius sis afflictionibus meis, erga eas non esse indifferentem.

Nunc cognosco, te posse et velle infirmitatibus meis habere compassionem; et miserias meas multas et magnas objecta esse infinitæ misericordiæ tuæ.

Si hucusque jacui miser ac desolatus, ego ipse in culpâ fui; quoniam neglexi venire ad misericordiæ et consolationis fontem semper apertum.

Ex hoc autem quotiescumque afflictus ero, surgam et ibo ad hanc omnium bonorum scaturiginem, ubi remedia inveniam plura quam indigeo; ubi majores reperiam consolationes, quam corde capere possum.

Imit. Chr Lib. IV. c. 3.

CAPUT DUODECIMUM.

Sacrosanctum Cor Jesu, in vita sacramentali, ut in mortali quondam, erudiens homines non cessat docere, ipsum mitem esse et humilem.

1. *V. J.* Vox mea ad filios hominum: Attendite et considerate.

Ecce, quomodo hic vobiscum sim omnibus diebus: hic a me, hic semper discite, quam mitis sim et humilis Corde.

Mirabilis utique visa est Cordis mei humilitas, et charitas in mortali vita mea: hic tamen in vita Sacramentali longe magis mirandus humilitatis abyssus, caritatis excessus.

Totum hoc mysterium humilitas est, totum caritas. Hic non Divinitas tantum, verum etiam Humanitas mea a mortalium visu absconditur. Hic dilectio, non ad mortem solum, sed usque ad mundi finem, sed usque ad amoris excessum omnem.

Quis oculus vidit, aut quæ auris audivit, aut quod cor concepit, quousque Cordis mei humilitas hic descendat, quousque amor excedat?

2. Si stupes, fili, si raperis amoris excessu, quo in vita quondam mortali me humilem et mitem Corde exhibuerim; quæ sensa tua esse debent, cum attente consideras, quam humilis mitisque Corde sim nunc in vita Sacramentali!

Quamdiu quidem in terra visus et cum hominibus conversatus sum; nullo tempore, nullo loco cessavi universis ac singulis ostendere veram efficacemque Cordis humilitatem et mansuetudinem.

Recordare, fili, quanta Cordis humilitate et caritate agere solerem cum Discipulis; quanta

cum populo rudi et importuno; quanta cum ærumnosis ac tribulatis; quanta cum miseris peccatoribus; quanta denique cum ipsis inimicis.

Quid umquam hujus humilis inexhaustæque caritatis fontem obstruere vel impedire potuit? Non defectus, non ruditas, non importunitas, non difficultas, non abjectio, non ipsa hominum perversitas. Nihil rerum istarum umquam efficere potuit, ut me vel uni mortali exhiberem alium, quam humilem et mitem Corde.

Testis omnis populus adeo morosus: testes Gentiles, qui suavitate Cordis mei attracti, accurrebant dicentes: Volumus Jesum videre: testis Chananæa, et afflicti omnes: testis Magdalena, et omnis anima peccatrix ad me recurrens: testes Pharisæi, viri ad mortem persequentes. Hi omnes testimonium perhibent factis humilis ac mitis Cordis mei in vita mortali.

3. Sed ecce, fili, in Sacramentali vita, facta hujusmodi continuo: imo inter hæc mirabilius dulciusque me humilem et mitem Corde exhibeo.

Considera enim, quam, non rude tantum, sed irreverenter, sed insolenter se hic gerant erga me homines: ac vide, quomodo defectus eorum tolerem.

Considera, quam multæ animæ, specialiter etiam dilectæ, crucis meæ particula, amoris mei pignore pretiosissimo, a me donatæ, hic loco laudis et amoris, querelas et amaritudines mihi proferant ac reddant: et attende, quanta Cordis bonitate eas non solum patiar, sed et animem ac stimulem ad meliora et nobiliora sensa.

Considera, quot ingratæ animæ, beneficiis meis onustæ, abeant et me, dum beneficiis fruuntur, benefactorem obliviscantur aut negligant: quot aliæ

tepidæ, cum gratiis multoties jam datis abusæ fuerint, se effrontes coram me sistant, novosque clament favores; atque observa, quanta mansuetudine illas feram, quanta generositate supportem, quam suavi simul et forti caritate ad fidelitatem fervoremque urgeam et adjuvem.

Considera, quomodo perversi bonis ac donis meis utantur ad se mihi opponendum, ad me offendendum, ad ipsum Cor meum vulnerandum: et adverte, qua Cordis dispositione, non malum pro malo reddam, sed malum vincam bono.

Considera demum, quoties inimici, persecutores Cordis mei, huc veniant insultantes: et quam divina humilis Cordis caritate, illos ipsos ad præsentiam meam admittam, eis misericordiam, et veniam, et pacem offeram.

Ecce, fili, qualibet hora, quovis momento, diu noctuque, opportuni et importuni, boni et mali, grati et ingrati, amici et inimici, veniunt et vadunt, atque quisque pro sua dispositione se erga me gerunt: sed et vide lumine fidei, quomodo cum omnibus et singulis agam, quam humili, infatigata, inexhausta caritatis benignitate et dulcedine!

4. Hæc amoris Cordis mei prodigia non intelliges, fili mi, nisi ea fide viva inspexeris, et devoto corde meditatus fueris.

Profunditas enim humilitatis, quam exercet hic Cor meum, lumine superno contemplanda, pia meditatione penetranda, in silentio oratione discenda.

Atque dulcedo caritatis, quam hic Cor meum exhibet, simili modo quærenda, usu sapienda, experientia gustanda.

Respice, fili, et vide, quomodo hæc hucusque

præstiteris: quomodo hoc perpetuo Cordis mei exemplo profeceris usque adhuc.

Animum erige et renova, fili mi, et opere et veritate disce, quod hic docere non desino, me mitem esse et humilem Corde.

5. *V. D.* Quam bonus, o Jesu, quam bonus es, qui, ut Spiritum tuum suavius efficaciusque doceres omnes generationes, in hoc dulcissimo mysterio permanes tam humilis, tam mitis!

Vere et summe humilis hic et mitis Corde, humilitatis et caritatis unus es Magister, faciens et docens a generatione in generationem.

Sed et quæcumque te circumstant, prædicare non cessant, te mitem esse et humilem Corde.

Prædicat profunda et tranquilla solitudo, in qua latitas: prædicat altum silentium, in quo Angeli prostrati et rapti adorant: prædicat piorum fidelium tenera devotio, quam humilis et suavis sis, Domine.

O Jesu! quis adhuc superbiat? quis adhuc durus sit corde? Ecquis se humiliare jam non gaudeat! ecquis non ardeat amore tui?

Ah Domine! qui tibi hic non cedunt, qualem fidem, aut spem, aut amorem habent? O animæ superbæ et amaræ! medius vestrum stetit, quem vos nescitis, quem vos non attenditis.

6. Attende tu, anima mea, et disce, qualis sit Dilectus tuus, quam dulcis, totus desiderabilis, totus amabilis.

Penetra ad locum Tabernaculi admirabilis usque ad habitaculum divini Salvatoris tui: et contemplare Deum Majestatis, factorem cœli et terræ, Sanctorum gaudium et Angelorum, usque adeo amore tui humiliatum, usque adeo amore tui captum!

Hic disce te humiliare ex amore: hic disce pure diligere Sponsum tam pure amantem.

Ausculta, quid intus cordi tuo loquatur tantum ac tale exemplum ejus, et esto docilis ei, qui tam suaviter te suo docet exemplo, et tam potenter doctrinam suam perpetuis confirmat miraculis.

7. O prodigium humilitatis, Jesu, Fili Dei vivi! O miraculum amoris! amo te, toto corde diligo te, o mitis et humilis Dilecte mi, dulcissime et purissime Sponse animæ meæ!

Amare te, diligere te unice volo: valeant reliqua omnia: amorem tui solum desidero: solo tui amore inter humiliationes, amoris sacrificia, vivere et mori cupio.

Exemplum enim Cordis tui me hæc docuit: amoris tui unctio hæc mihi sapida reddit.

O Jesu, omnium optime! custodi hanc cordis mei dispositionem: et præsta benigne ut te hic frequentando discam semper melius, te pure amare, et amore tui me erga omnes exhibere humilem corde et mitem.

Imit. Chr. Lib. II. c. 8.

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

Sacrosanctum Cor Jesu voluit sanctissimam Eucharistiam esse perpetuam Passionis suæ commemorationem, amorisque sui in illa exhibiti memoriale sempiternum.

1. *V. J.* Quotiescumque manducabitis panem hunc, et calicem bibetis: mortem Domini annuntiabitis, donec veniat.

Hoc mando, fili, ad commonendum homines

singulos de illo amoris Cordis mei excessu, quo ipsos quodammodo magis dilexi quam meipsum, cum ut ipsi haberent vitam, mortem ego subierim.

Ego illa glorior morte, qua, amore Cordis mei triumphante, Pater æternus placatus est et supra modum honoratus, qua homines liberati et salvati sunt, qua mihi venit gloria Resurrectionis, et Ascensionis, et sempiterni regni super omnia.

Ideoque volui, ut Passionis meæ semper et ubique reperiretur commemoratio; utque tantæ dignationis, qui reciperent fructus, corde grato usque memores essent, sive in cœlo sive in terra.

2. Profecto Electi in cœlesti beatitudine, scientes, cui debeant salutem et gloriam, Passionem meam perpetuo commemorant: in æternum enim colunt Agnum Dei, tamquam occisum, habentem vulnera quinque, supra solem rubicunda et splendida.

In terris autem Ecclesia, agnoscens, se in monte sancto a Corde meo mortuo partam, et ab eo fonte omnia sibi derivare bona, omnibus diebus usque dum veniam et eam assumam in gloriam, mortem meam omni gratitudinis sensu commemorare non cessat. Sacrificium enim, quod offert quotidie, victimam habet me præsentem, et, separata corporis et sanguinis consecratione, me exhibet velut mortuum.

Sed et in unaquaque anima, quæ sanctissimum participat Sacramentum, mortis meæ repræsentatio aliqua fit et commemoratio. Sicut enim per Passionem in strato crucis amisi vitam mortalem, ita sacramentalem vitam amitto in corde fidelium per Communionem.

Quin imo, fili, ipsa conditio, in qua hic permaneo, Passionis meæ imago quædam est. Etenim

n Passione splendor Divinitatis meæ, et ipsius Humanitatis pulchritudo quodammodo velabatur: hujus autem velationis nonne humiles ac suaves Sacramenti species manifesta sunt repræsentatio?

3. Sacrificium vitæ Cordis mei, fili, mors mea centrum est temporis. Omnia enim, quæ illam præcesserunt, sacrificia, ritusque, et reliqua religionis omnia, ad illam spectabant: ex illa vim habebant et efficacitatem suam.

Omnia vicissim, quæ illam sequuntur, oblatio, Sacramenta, cætera, ad illam referuntur, virtutemque ex illa et efficientiam suam derivant.

En ergo sacrificium ab origine mundi sacrificatum in figuris, super cruce oblatum in veritate, in Ecclesia continuatum in substantia usque ad mundi finem.

Hæc, fili, hæc est altitudo consilii Cordis mei: hæc latitudo amoris ejus!

Totus enim cursus meus in hac terra, a principio mundi ad finem usque, sive per præsentiam promissam, sive per vitam mortalem, sive per commorationem sacramentalem, et omnia quæcumque per has partes ago, unum est totum, unum opus infinitæ bonitatis perfectum, tunc solum finiendum, quando in consummatione seculi, cum Ecclesia abiens, ascendam in altum, triumphum acturus æternum.

4. Quid igitur mirum, fili, si semper recens, semper æque venerabile tibi videatur mysterium, cum sacram accipis Communionem, cum Missam celebras vel audis?

Ea profecto cordis dispositione, eo affectu adesse te oportet, cum sanctam Eucharistiam suscipis, ac si in ultima Cœna esses, eique accumberes, et a meipso panem vitæ acciperes.

Eadem enim revera est cœna : eamdemque mortem, quam ego prænuntiabam in Cœnaculo, tu in Sacramento annuntias.

Ex ipso opere, fili, cum celebras Missam, aut Communionem sumis, annuntias mortem meam; siquidem modus utriusque, tum oblationis sacrificii, tum consumptionis Sacramenti eamdem mortem demonstrat.

5. Sed tanta peragens mysteria, quæ Cor meum tibi morte sua promeruit, a tua quoque parte facere debes, unde congruenter illam recolere possis.

Quemadmodum itaque in Passione ego meipsum Deo Patri obtuli in holocaustum perfectum; sic et tu, fili, in Communione teipsum mihi in hostiam puram et integram offerre debes.

Imo et in visitatione, magno pietatis affectu oportet te patientis quondam vitæ meæ commemorare sacrificia: quod præstabis, si devote mediteris, si teipsum mihi in omni afflictione resignes, si te totum mihi tradas, coram sancto Tabernaculo, ubi omnia, quæ circa me percipis, ad illas Cordis mei sacrificationes tibi in mentem revocandas inserviunt.

Ita, fili, melius senties magnitudinem illius charitatis, qua a vita laboris et doloris per multa magnaque sacrificia progressus sum ad ultimum et summum sacrificium, ad mortem ipsam, atque in hanc amoris captivitatem, in qua amoris victima sum perpetua.

Hæc pie recogitando, nonne stimulaberis ad gratitudinem, ad amoris vicem, ad imitationem, ita ut, non corde tantum, sed et opere effectum exempli mei in te exhibeas?

Sic tibi utilius Passionem meam activo com-

memorans modo, disces illatis mortificationibus non dejici neque turbari, sed contra gloriari supernaturaliter et gaudere.

Perfecta erit, fili, hæc activa mortis meæ commemoratio, si quotiescumque ad sacra mysteria accesseris, creaturis ac tibi ipsi magis semper moriaris, ut mihi vivas, quemadmodum ego pro te mortuus, hic vivo tibi.

6. Sed proh dolor! licet multi hujus Sacramenti alimonia cœlesti recreari, et inde Angelicis pasci deliciis optent; quam pauci sunt, qui Passionem meam actu recolere, eam facto imitari velint!

Et ideo, fili, multi sunt manentque debiles et imperfecti, etiamsi non raro sacram frequentant mensam.

Cum enim divinæ institutionis fini erga se et gratiæ non respondeant, multo fructu carent.

Utinam hæc intelligant animæ illæ, quæ magis sollicitæ sunt de numero Communionum suarum, quo devotionem exhibeant aut sentiant, quam de ipsarum fructu, quo sanctificentur et ad majorem perfectionem promoveantur!

Tu, fili, sapientior esto et fidelior. Ita Passionem meam recole, ita mortem meam tuis moribus exprime, ut semper, cum sanctam suscipis Communionem, omnes sanctificationis fructus obtineas.

7. *V. D.* O omnium optime, omnium dulcissime Jesu! Tu pro me mortuus es amore, et amore hic vivis mihi: et o quomodo hic mihi vivis!

Vere, Domine, vere, dignus est morte, qui mori sibi, et tibi vivere recusat.

Si tu, Domine Deus, amore mei ita sacrificas teipsum, quid magnum, aut quid mirum, si ego, misera creatura, meipsum sacrifico amore tui!

Et tamen quandoque hæsito sacrificare, erubesco dicere, non meipsum, sed nugamentum, superbiam aliquam, aut aversionem, aut inclinationem corruptæ naturæ.

Hei mihi! Jesu, dum verbis profiteor amorem tui et Imitationem, factis probo, quam parum te diligam, quam procul sim ab activa mortis tuæ commemoratione, a vera Cordis tui Imitatione.

Et querar aut mirer, Communiones meas tam parvos mihi producere fructus?

Una Communio hominem, tuæ dispositum et cooperantem gratiæ, sanctum efficere potest. Et ego post Communiones tam multas, heu! quis et qualis sum!

Ego, Domine, confiteor, ego ipse in culpa fui: nam in tot Communionibus gratiam accepi sufficientem ad mille animas sanctificandas, sed ei cooperari neglexi. Egi enim quasi gratia sola, sine cooperatione mea, me sanctificare deberet: et interea naturæ, non gratiæ, mihi, non tibi, vivere continuavi.

Agnosco, me in conspectu tuo factum esse indignum vita, cum infinito amore tuo abutens, vivere tibi neglexerim.

Sed parce, Domine Jesu, parce, quæso, præteritæ negligentiæ meæ, cujus me ob amorem tui summe pœnitet.

Ex hoc momento fidelior ero: gratiæ Sacramenti cooperans, moriar rebus mundanis, et propensitati naturæ, ut tibi vivam.

Adjuva me, benignissime Jesu, ut ita amorem meum erga te opere probem, et ex Communione semper abundantem et sanctificantem fructum recipiam.

Imit. Chr. Lib. IV, c. 5

CAPUT DECIMUM QUARTUM.

Sacrosanctum Cor Jesu in mirabili Sacramento summam divinorum omnium mysteriorum exhibet.

1. *V. J.* Fili, memoriam fecit mirabilium suorum, misericors et miserator amor Cordis mei.

Hæc autem in Sacramento, ubi stupenda sua collegit prodigia, ubi mysteria continet, etiam profunda Dei.

Quoniam vero non Angelis hæc sed hominibus facta sunt, sub visibilibus oportuit hæc esse symbolis, ut inspectione visibilium invisibilia recordentur, et cor eorum sensile sensilibus amoris divini testimoniis afficiatur.

Talia itaque fecit Cordis mei amor: et vidit cuncta quæ fecerat, esse valde bona, et delectatus est in operibus suis.

Perfecta et suavitate plena opera ejus, per quæ divitias bonitatis ipsius erga homines velut effudit in hoc mysterio, in quo plenitudo Divinitatis inhabitat corporaliter.

2. Hinc, fili, divinum hoc Sacramentum habet, per concomitantiam, et in mentem fidelium usque revocat ipsum Trinitatis altissimum mysterium.

Ego enim et Pater unum sumus: et qui videt me, videt et Patrem: ubi autem Pater et Filius agnoscitur, utriusque et amor, qui Spiritus Sanctus est, utique non ignoratur.

Ad hoc autem mysterium cognoscendum melius, ad magis amandum, ad colendum dignius, hic fidelibus datur gratia, qua illuminati et adjuti, illud fide teneant firmius, affectu puriori ament, cultu venerentur perfectiori.

Superno hoc lumine ducti, et hoc roborati auxilio, ab uno in aliud vadunt mysterium.

3. Ecce enim et suavissimum Incarnationis mysterium, in sacra tenetur Eucharistia, et mirabiliter extenditur.

Profecto quid Incarnationis est arcanum? Verbum, et anima, et caro, in unam convenere personam: et hæc tria unus Jesus, ego, Deus-homo.

In sanctissimo autem Sacramento, Verbum, quod æternum est et Deus; anima, quæ tunc creata est, cum infusa; caro, quæ de Virgine immaculata divino artificio sine macula sumpta est; manent hæc tria: manent autem in unitate personæ.

Mira hic præterea et omni dulcedine abundans hujus mysterii extensio. Idem namque ego, qui per Incarnationem in sinu Virginis commoratus sum, per Communionem commoror in corde fidelium singulorum.

Stupenda sane et reverenda altitudo mysterii et latitudo: sed magis amanda, suavius, devotiusque, et tenerius gustanda.

4. Sed et omnia vitæ meæ mysteria adeo consolatoria in hoc divino continentur Sacramento.

Licet autem tempus, quo illa cœperunt vel acta sunt, transierit, ob meam tamen præsentiam personalem, in effectibus perdurant et coram sunt.

Ideoque Ecclesia semper illa contemplatur ac celebrat præsentia: atque in illis meditandis et recolendis primis semper animatur sensis, primo semper ardet fervore.

Vide contra hæreses sectasque, perpetuam in Eucharistia præsentiam meam negantes: quomodo langueant in eis spiritualia omnia: quomodo, si

tentant festis recolere mea gesta, torpidæ sint et illæ et omnes illarum viæ.

Non sic dilecta mea, Ecclesia sancta. Hæc recurrente tempore venit huc festinans ad Nativitatis antrum; prostrata contemplatur me positum in præsepio; adorat, gaudet, plorat præ devotionis teneritudine.

5. Hic enim Bethlehem, ubi me inveniunt animæ fideles dulcius ac facilius, quam illæ, quæ ad stabulum quondam cœlitus vocatæ fuerunt: ubi fervorem accendunt, pietatem nutriunt, seipsas sanctificant: ubi corda sua effundunt mihique dedicant: ubi vicissim amoris mei dulcedine inebriuntur ac beatificantur: ubi pacem hominibus bonæ voluntatis, non Angeli promittunt, sed ego ipse profuso Corde dono.

Hic Sanctuarium, in quo Deo Patri præsentatus, hominumque saluti consecratus sum: in quo ita me fidelibus trado, ut non in ulnas me tollere, sicut Simeon, non mihi blandiri, sicut Anna; verum in ipsa corda sua me suscipere, meque intime frui possint, favore neque Simeoni neque Annæ concesso.

Hic exilium Aegypti: exilium, non ut olim septem annorum, sed seculorum omnium: exilium inter homines idololatriæ quoque deditos, qui voluptates, qui divitias, qui honores, tamquam numina sua colunt: exilium, in quo non nisi paucis bene notus, a multis ut extraneus haberi vel etiam negligi soleo.

Hic Templum, ubi in iis, quæ Patris mei sunt, esse pergo: ubi, inter doctores audientes, spiritum meum profero, animas instruo, spiritualis vitæ secreta communico: ubi me quærunt qui dili-

gunt me, ac, quemadmodum Maria et Joseph, me reperiunt gaudentes.

Hic Nazareth, ubi vitam ago in Deo absconditam: ubi subditus continuis occupor actionibus, non hominum quidem sensus perstringentibus, sed Angelorum excitantibus admirationem: ubi vitæ interioris exemplar, cum animabus internis vivo modo non nisi ipsis noto.

6. Quin imo, fili, in hoc Sacramento, evangelicæ vitæ meæ mysteria. Ecce vere campus laborum, locus beneficentiæ Cordis mei.

In hoc enim *Salvator*, qui quæro salvare quod perierat; qui inter labores sedeo ad puteum, ubi ex Cordis mei fonte do Samaritanæ, omni animæ sitienti, aquam vivam, sitim rerum mundanarum restinguentem, ac salientem in vitam æternam; qui diurnis laboribus absolutis, pernocto in oratione Dei.

In hoc *Pastor bonus:* ovem perditam quærito, inventamque porto, et pectore foveo: gregem amo et propria pasco substantia: Cordi diu noctuque vigilante custodio omnes.

In hoc *Pater* optimus, qui filium prodigum revertentem amplector gaudens, ac prima indutum stola convivio cœlesti reficio et recreo: quique filiis usque fidelibus, pro capacitate sua, mea omnia communico.

In hoc *Medicus* divinus, cum patientium dolores unctione Cordis mei leniam et mitigem: cum animas curem male habentes, sanans omnem languorem, et omnem infirmitatem: cum etiam deformitatem morbo peccati productam tollam, prioremque restituam pulchritudinem.

In hoc *Magister*. Cordis enim spiratione simul

et exemplo hic doceo: Beatos esse pauperes spiritu: beatos esse mites: beatos lugentes peccata: beatos esurientes et sitientes justitiam: beatos misericordes: beatos corde mundos: beatos pacificos: beatos patientes propter justitiam: beatos denique facientes voluntatem divinam; quippe qui fratres mei et sorores sint, cohæredesque regni cœlorum.

In hoc *Amicus*, qui fideles gratia supernaturaliter viventes, non jam servos dico, sed amicos meos: amicus, qualis non est alter, super omnes sincerus, dulcisque, et fidelis, in prosperis et in adversis, in vita et in morte: amicus nullo casu deficiens, imo vero et concomitans in æternitatem ipsam, et consolans.

In hoc *Sponsus:* ita, fili; divinus Sponsus Virginearum purarumque animarum, quas mihi elegi et sponsavi, ut per omnia semper et ubique comites me sequantur; quas honoro, et locupleto, et beatifico hic modo, quem ipsi Angeli mirantur, quique tamen non est nisi præambulus ei, quem ipsis reservo in æternæ gloriæ meæ regno.

7. Hic demum et mysteria reliquæ vitæ meæ. Etenim nonne hic Cœnaculum, ubi edo Pascha cum discipulis meis; ubi Cor meum illis effundo; ubi illis relinquo pacem meam?

Nonne hic Gethsemani, hic Jerusalem, theatrum dolorum meorum? Memento, fili, Hebdomadæ Sanctæ, quomodo fideles huc veniant tamquam ad Perpessionum mearum spectaculum, lugeantque quasi me coram oculis patientem viderent.

Nonne hic et Resurrectionis mysterium? Vide quomodo Ecclesia hanc solemnitatem solemnitatum

celebrans, mecum quodammodo reviviscat, animæque devotæ, sicut alteræ Mariæ, primo mane velut ad sepulcrum gloriosum festinent, meque glorificatum fide videant, fiducia amplectantur, amore fruantur. Nonne jure? nonne recte? nonne sancte? hic enim vere præsens iisdem qualitatibus, quibus resurrexi: pulchritudine cœlesti, gloriosa claritate, subtilitate incomprehensibili, perfecta impassibilitate, immortalitate ornatus ac beatus.

Sic, fili, Ecclesia per omnia me comitatur mysteria, induens Cordis mei affectus in singulis, et singula iis affectibus celebrans.

8. Ex mysteriis coram me hic celebratis Ecclesia, memor, me esse in gloria cœli regnantem, prospicit in æternitatem; rapta contemplatur, affectu anticipat vitæ cœlestis mysteria lætissima, festa sempiterna sibi præparata, sibi promissa.

O Jesu, exclamat ardens, oro, fiat istud, quod tam sitio, ut te revelata cernens facie, visu sim beata tuæ gloriæ!

Ita, fili, igne Cordis mei hic præsentis succensa, fervet Ecclesia: ita universa habet sibi præsentia: ita omni consolatione repletur!

Tolle solem ex hoc mundo: quid terra hæc erit, nisi locus obscurus, et frigidus, et desolatus? Non absimili modo, si Cor meum vivum et vivificans, si præsentia mea sacramentalis ex Ecclesia tolleretur, omnia religionis mysteria, nunc adeo splendida, adeo ferventia, adeo consolatoria, — quam differentia tunc viderentur!

9. Doctus exemplo sanctæ Matris tuæ, stude, fili, iisdem sensis concelebrare religionis festa; mysteria, quæ exhibeo hic in Sacramento, recolere;

ex cunctis denique his scatebris tibi gratiarum omnium haurire plenitudinem.

Ad hunc finem fove cordis fervorem: fervorem dico, non necessario sensibilem, sed vigentem ex fide vivida, ex spei fiducia, ex amore generoso.

Si hujusmodi fervore carueris, omnia perages sine affectu, sine gustu, sine multo fructu: illa ipsa, quæ rapiunt animas ferventes, et Angelos ipsos commovent, te non afficient, te non movebunt.

Hunc autem fervorem excitabis ac nutries, orando, devote meditando, pie legendo, te aliquid mortificando aut abnegando; maxime vero visitando frequenter, sancte participando hoc divinum Sacramentum, ubi ignis est sufficiens ad inflammandum totum mundum.

10. *V. D.* O Domine Jesu! quam immensi sunt amoris Cordis tui excessus! quot enim mirabilia hic mihi offers! quanta bona! quam desiderabilia! quam dulcia!

Quid mirum, si huc alliciar, si huc suaviter ac fortiter trahar! quid mirum, si hic sit locus deliciarum cordis mei?

Hic enim inter Angelos reperire teipsum in quolibet mysterio, teque in conditione quacumque vitæ tuæ contemplari possum, prout necessitas mea, aut utilitas, aut consolatio postulat.

Imo, nunc hic esse tecum tuisque frui beneficiis, nunc hinc assurgens contemplari possum te in gloria tua, ibi magnalia regni tui inspicere, iis denique per anticipationem gaudere, quæ ibi præparasti mihi.

Quam facile, o Dilecte animæ meæ! quam facile et dulce, hic meditari, hic de te mentem et cor occupare, hic te frui! Ad hæc, non mihi opus

arte, non libro, non labore. Hic tibi præsens, debeo tantum te, in quolibet mysterio, fide aspicere, te audire, actus tuos attendere, te orare, te amare.

O quam deliciosus hic locus! quam amabilis societas! quam suavis occupatio! quam sanctum commercium!

Quis non optet hic semper esse tecum? Hic ego certe quotiescumque potuero, ad pedes tuos inter cœlestes Spiritus præsens ero.

O si tempus omne hic insumere possem! Sed ecce voluntas tua, sola in hoc consolatio mea, requirit, ut sæpe sim a te absens corpore, ut status mei obligationibus satisfaciam, ut officii partes impleam, ut naturæ necessitatibus provideam, ut innocenti recreatione etiam utar.

At inter hæc omnia, huc ad te frequenter affectu recurram, corde me de te occupabo: ubi enim objectum amoris mei est, illuc tendet affectus: ubi thesaurus meus est, ibi et cor meum erit.

Imit. Chr. Lib. IV. c. 2.

CAPUT DECIMUM QUINTUM.

Sacrosanctum Cor Jesu in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento nos ad divinas Perfectiones introducit.

1. *V. J.* Adverte, fili mi, et hic in Sacramento altiorem viam ostendam, qua pervenias usque ad ipsas Divinitatis perfectiones.

Dispositus esto, ut possis introire in arcana divina, et contemplari cum omnibus Sanctis, quæ sit longitudo, et latitudo, et profunditas oceano-

rum illorum, ex quibus Angeli ac Beati in cœlo, et in terra animæ puræ et interiores hauriunt et inebriantur.

Aspice quæ hic in sacrosancto hoc mysterio tibi manifestet Cor meum: atque ex manifestatis procede in rerum plenitudinem, divinum sequens Spiritum.

Hæc autem sic age, fili, ut in humilitate magis magisque solideris, ut puriori semper ferveas amore, ut per sacram Humanitatem meam, per ipsum Cor meum introductus, Divinitati quam perfectissime adhæreas, tamquam unus spiritus.

2. Intuere, fili, et divinam meditare *Sapientiam*, quam in adorabili hoc Sacramento exhibet Cor meum.

Hic enim mirabiles illas ostendit inventiones, quibus ea, quæ videbantur contraria, reconciliavit, ut simul triumphator gloriosus in cœlo regnarem, et manerem in terra perpetuus hominum Consolator: quibus me, non solum humano generi, verum etiam unicuique individuo dare possem: quibus denique per simplicissima media, quales sunt Sacramenti species, fines sublimissimos obtinerem.

Hinc ascende, et hanc contemplare Sapientiam infinitam, quæ omnia ab æterno in æternum attingit: quæ universa præterita et futura, existentia et possibilia, videt præsentia.

Hæc æternis consiliis suis tam mirabiliter Creationis et Reparationis, naturæ et gratiæ, sanctificationis et gloriæ stupenda ordinavit opera.

Divina hæc perfectio tamquam lux infinita, quæ universa penetrat; quæ te et cuncta interiora tua perlustrat; ex qua recedere non possis, quam apprehendere non valeas.

Hac luce divina lætare, fili: in hac vive Deo tuo alacriter.

3. Observa divinam *Bonitatem*, quæ in hoc dulcissimo Sacramento apparet, et cum tantis amoris flammis resplendet.

Nullibi terrarum, fili, bonitas divina cum tam mira profusione et tanta suavitate emicat: hic enim seipsam quodammodo effundit et exhaurit: hic dat omnia et seipsam insuper. Alibi divini amoris radii, hic focus est. Alibi bona quædam, hic bonorum omnium fons.

Ex hoc procede ad contemplandam hujus bonitatis abyssum. Inspice fundum, æternitatem ipsam: circumspice, limites. non reperies.

Ex infinita hac bonitate omnia, quæ bona sunt sive in cœlis sive in terris, suam habent bonitatem: omnia, quæ vivunt, suam vitam; omnia, quæ moventur, suum vigorem; omnia, quæ intelligunt, suam intelligentiam; omnia, quæ felicia sunt, suam felicitatem.

Hoc divinum attributum est veluti mare immensum, ex quo surgunt, ut nubes, bonorum omnium copiæ: in quo Beati et Electi immersi, summo delectantur gaudio.

Immerge teipsum quoque, fili: gusta, quam suavis sit Dei tui Bonitas: delectare in ipso, ama, lauda.

4. Vide *Omnipotentiam*, quæ revelatur in venerando Eucharistiæ mysterio, in quo uno plura et majora facit miracula, quam in toto mundo reliquo: in quo hæc miranda prodigia iterare non cessat.

Hæc, fili, reverenter speculatus assurge in universalem contemplationem stupendæ hujus Omni-

potentiæ, quæ omnia existentia sine labore, solo nutu, fecit: quæ innumerabilia et ineffabilia cujuslibet generis objecta, omnia demum, quæ vult, efficere potest: quæ vicissim potest universum mundum uno nutu delere, et in nihilum redigere cuncta simul.

Contemplare hujus infinitæ Potentiæ efficaciam, quæ omnia adversariorum molimina subvertere, et universa sibi opposita, non indifferentia tantum, sed et mala, ut ad fines suos sanctos concurrant vel inscia vel etiam invita, facere potest.

Ab hac Omnipotentia creaturæ non solum in existentia conservantur, sed insuper singulis momentis accipiunt potentiam operandi quidquid operantur: homines divinum accipiunt concursum ad corporis et animæ facultatibus utendum: animantia suam efficientiam: astra suam in spatio volandi et coruscandi vim: terra suam fructus producendi virtutem: procellæ ac fulgura impetum suum et potestatem: universa denique suam præstantiam.

Perfectio hæc divina in manifestatione sua sicut aër est, qui dum leniter movetur, vitam creaturarum refrigerat et fovet: qui dum prorumpit vehementer, prosternit aut dispergit sibi opposita, cedentia vero impellit et ad procedendum juvat.

Gaude, fili, de tanta Dei tui potentia: in illa fiduciam tuam colloca: ad illam per orationem recurre frequenter.

5. Considera divinam *Justitiam*, quam in Sanctissimo hoc Sacramento tibi in mentem revocat Cor meum.

Ecce quæ tibi hic præsens est, sacra Humanitas mea, divinæ justitiæ signum est; ad huic enim satisfaciendum, illam assumpsi. Sed et sacri-

ficium, quod per sacerdotum ministerium hic quotidie offert Cor meum, nonne hoc divinæ Justitiæ te admonet? Quin imo in Communione nonne adorandam exhibeo justitiam, cum ibi tribuam unicuique secundum opera ejus, secundum dispositionem, quam habet?

Inde contemplare hujus justitiæ divinæ perfectionem sive in cœlo, ex quo malitiose rebelles Spiritus sicut fulgur detrusit, et in quo omnes Angelorum Sanctorumque actus rite bonos, etiam minimos, condigno præmio in æternum remunerat; sive in terra, ubi per Cor meum sociata est divinæ misericordiæ, nec attingit nisi misericordiam amplecti nolentes; ubi etiam, cum jure irascitur, misericordiæ memor est: sive in inferno, ubi, propter me, infra totum reproborum meritum puniens, peccatorum gravitati et numero pœnas aptat, adeo ut cogat damnatos ipsos ad confitendum, divinam justitiam esse bonam.

Contemplare divini hujus attributi consolationem, quæ illos, qui immeritis detractionibus, contumeliisve, aut calumniis, vel aliis opprimuntur modis, aliquando justificabit coram omnibus, illisque famam, et honorem, et gloriam, et abrepta quæque non restituet tantum, sed et eo magis exaltabit omnia, quo fuerint magis depressa; quæ virtutum actus, eos etiam, quos homines despexerunt, mercede sempiterna compensabit; quæ denique, operum merita, non e successu externo, ut facit mundus, sed ex interna dispositione operantis æstimat et remunerat.

Divina hæc perfectio quasi ignis est, qui, prout objecta sunt disposita, eadem actione alia consumit, alia recreat; alia indurat, alia emollit.

Hoc attributum Divinitatis admirare, fili; cum sancto quodam pavore exalta; sed magis dilige.

6. Attende *Misericordiam* divinam, quam Cor meum tam suavibus quam miris modis in sanctissimo Sacramento ostendit.

Nonne totum hoc mysterium infinitæ misericordiæ prodigium est? Quis est vivens, qui non experiatur miseriam? quis autem miser huc umquam venit dispositus, et non obtinuit misericordiam? Immensa hic Cordis mei benignitas, et miserationum ejus non est finis.

Hæc, fili, pie meditatus, progredere ad contemplandam infinitam misericordiam, ubique conspicuam: in cœlis, quos implet Sanctis, divina misericordia a peccato quondam liberatis, et jam beatitudine donatis: in terris, ubi est super omnia opera divina, et remedio, et juvamine, et consolatione recreat universa: in ipsis demum inferis, in quibus, ob Cordis mei merita, plectit citra condignum, et ab ipsis reprobis agnoscitur.

Contemplare hujus divinæ Misericordiæ erga mortales amplitudinem, quæ complectitur omnes, neminem excludens, neminem abjiciens; quæ ipsos peccatores, quamdiu vivunt, expectat eisque gratiam conversioni sufficientem, et veniam offert; quæ denique ad omnes cujuscumque speciei miserias extenditur, nihil in mundo quantumlibet miserum reperiens, quod levare et in medium salutis directo modo vel indirecto vertere non velit.

Ecce divina perfectio, sicut abyssus infinita, quam nulla magnitudo miseriarum injectarum implere, nec ulla necessitatum multitudo ex ea haurientium exhaurire valeat.

Utere, fili, sed non abutere hoc adeo dulci Dei tui attributo: dilata cor tuum: gratus esto: cum fide, cum spe, cum amore ad hanc Misericordiæ abyssum refuge.

7. Animadverte *Sanctitatem*, quæ in hoc Sancto Sanctorum elucet, et splendore suo ipsos Angelos in admirationem rapit.

Cum magna pietate inspice, fili, hoc Sacramentum, divinæ Sanctitatis speculum. Ecce hic nihil nisi perfecta puritas: hic ipsum corpus meum quasi spiritus: hic sanctitatem spirant omnia.

Licet hinc contemplari infinitam Sanctitatem, quæ in se absolute perfecta, omnis sanctitatis, omnis puritatis creatæ est causa, et norma, et finis; quæ talis est, ut ei nihil addi, nihil demi possit.

Contemplare divinam hanc perfectionem, cujus pulchritudine cœlicolæ capti, beatifica perfunduntur lætitia: cujus similitudine animæ mortalium ornatæ, maxime nobilitantur: ob cujus majestatem dæmones in imo etiam inferno tremunt.

Ex hujus perfectionis nitore, quæcumque sunt pulchra, quæcumque amabilia, quæcumque demum excellentia, omnem suam pulchritudinem, omnem amabilitatem, omnem excellentiam habent mutuatam.

Divinum hoc attributum est sicuti sol in firmamento, qui rebus vivacitatem coloris, venustatem, hilaritatem impertit; qui munda et immunda illustrans, semper æque pulcher, æque purus est.

Gaude, fili, de tanta Dei tui pulchritudine, amabilitate, omnimoda Sanctitatis excellentia: hanc pie venerare: pro modulo tuo imitare.

8. Aspice divinam *Immensitatem*, quam hoc Cordis mei Sacramentum repræsentat.

Etenim hic ego totus in hostia tota sum, et in unaquaque hostiæ divisæ parte totus. Per multiplicationem autem seu replicationem præsentiæ meæ in omnibus, quæ ubicumque terrarum sint, hostiis, nonne quamdam immensitatis repræsentationem exhibeo? In omni denique loco, in quo sacramentaliter resideo, nonne ita cum unoquoque ago, ac si pro illo solo ibi residerem?

Ex his fide vivida perceptis duceris utique ad contemplandam divinam immensitatem, quæ res omnes sive existentes sive mere possibiles comprehendit, et a re nulla comprehenditur: qua Deitas tota in toto universo, et in singulis universi partibus tota est.

Contemplare universalem hanc præsentiam Divinitatis cum infinita Sapientia, et Bonitate, et Potentia, et Justitia, et Misericordia, et Sanctitate, et omnis generis Perfectione infinita: atque memento, te in ipsa esse, et vivere, et moveri.

Quocumque te verteris, Deitatem percipis præsentem in unoquoque objecto, et ita de eo curam agentem, quasi pro eo solo ibi esset. Respicito volatilia cœli: non serunt neque metunt, et tamen qui ubique præsens est, pascit illa. Considerato lilia agri: non laborant neque nent; nec tamen Salomon in omni gloria sua coopertus est sicut unum ex istis.

Huic ergo divinæ Providentiæ te remitte: in hac, tamquam in sinu Parentis summe perfecti, quiesce: ipsi penitus relinque teipsum, quia ipsi cura est de te. Ecce ipsi capilli capitis tui omnes numerati sunt, nec unus cadet sine ipsius voluntate. Ne igitur timeas, aut turberis, aut anxius sis: sed ipsi vive resignatus ac beatus.

9. *V. D.* Vere consolatione plena sunt ista, Domine Deus, sed quam alta! Proprio motu tam sublimia tentare nec audeo nec valeo.

Si autem divinus Spiritus tuus me duxerit, reverens quidem et propriæ infirmitatis conscius, lætus tamen ac tutus sequar, et per sacratissimam Humanitatem tuam in Divinitatis mirabilia ingressus, contemplabor quæ omnes sensus superant.

Mitte igitur, obsecro, Spiritum Sanctum, qui me eo usque in contemplationem istam ducat, quousque ad sanctificationem meam ac tuam gloriam benigne volueris.

Divinum hunc Spiritum, oro supplex, largire mihi cum donis ejus septiformibus, ut me cum in contemplatione, tum etiam in actione dirigat.

Spiritum sapientiæ, qui me totum ita disponat, ut omnia mundana reperiam mihi insipida, sapida vero divina; ut recte de rebus omnibus judicem ac sentiam; ut cum affectu sequar ad ea, quæ sanctificationi meæ inserviunt.

Spiritum intellectus, qui arceat aut dissipet tenebras mentis, et cordis illusiones, ut mente serena et puro corde intuear ea omnia, quæ infinita Bonitas fecit, visibilia et invisibilia, utque intelligam semper quæ infinite bona voluntas divina a me requirit.

Spiritum consilii, qui me meæ infirmitatis, qua nihil salutare efficere valeo, usque admoneat, meque efficaciter inducat ad recurrendum ad divinæ Omnipotentiæ auxilium, quo adjuvante omnia possum.

Spiritum fortitudinis, qui me moveat ad omnes exerendas vires, ut auxilio gratiæ divinæ fideliter cooperer, sicque per generosos conatus aspirem ad justitiam perfectam, non hominum judicia curans, sed respiciens te, justum Judicem.

Spiritum scientiæ, qui me doceat discretionem, qua actu distinguam inter naturalia et supernaturalia, ita ut omnis oratio et operatio a te semper incipiant et per te finiantur; quaque me orationi et operationi sic applicem, ut nec præ contemplationis dulcedine negligam sive corporalis sive spiritualis misericordiæ erga proximum opera, nec ob opera misericordiæ erga alios, negligam misericordiam erga propriam animam.

Spiritum pietatis, qui teneram fovens devotionem, suaviter ac fortiter me ad sanctitatem stimulet; quique efficiat, ut me erga inferiores ut pium parentem, erga æquales ut pium fratrem, erga Superiores ut pium filium, geram.

Spiritum timoris amantis; filialis, puri amoris, quo summopere te Deum meum reverer ubique, et affectu sancto omnem voluntatem tuam gaudenter exequar.

Imit. Chr. Lib. III. c. 27. *et* 31.

CAPUT DECIMUM SEXTUM.

Quantam reverentiam et internam et externam erga sanctissimum Sacramentum haberi velit Cor Jesu.

1. *V. J.* Fili, si cœli tibi aperirentur, et oculi tui gloriam meam ibi viderent; quantum percellereris spectaculo! quam sancto pavore tremeres! quanta reverentia procumberes!

Ecce enim ante thronum meum, gloriæ splendores emittentem ut fulgura et flammas ardentes, cerneres millia millium Angelorum omni veneratione me laudantium; et in circuitu throni decies

millies centena millia assistentium mihi ac ministrantium.

Conspiceres et Sanctorum turbam magnam, quam dinumerare non posses, in conspectu throni cadentes in facies suas, et adorantes, et amore liquescentes.

Videres quousque omnia in præsentia mea ferveant: aliquando præ magnitudine reverentiæ silentium profundum in toto cœlo regnare perciperes; aliquando totum resonare locum voce inhabitantium, simul erumpentium, simul canentium: Amen: benedictio, et claritas, et sapientia, et gratiarum actio, et honor, et virtus, et fortitudo Deo nostro in secula seculorum.

Atqui, fili, idem ipse, qui tanta reverentia, tanto honoris ac laudis obsequio color in cœlis, hic in sacrosancto Sacramento præsens sum, multitudine Spirituum cœlestium stipatus.

Vide ergo et considera, quomodo mortales se erga me hic gerere debeant. Si ipsæ columnæ cœli contremiscunt præ reverentia, quid terræ pulvis?

2. Hic, fili, reverentiam volo, hic requiro honorem, hic debitum exigo cultum.

Equidem in stabulo motu Cordis proprio natus, mortalem vitam ita duxi, ut non haberem ubi caput reclinarem: instituturus autem sanctissimum hoc Sacramentum, præparari jussi Cœnaculum grande stratum, ut ostenderem, quantum observari, honorarique, et coli vellem in vita Sacramentali.

Inde Ecclesia edocta, semper dilexit decorem domus meæ: templa pro viribus extruxit magnifica: advocavit naturam ut divitiis, et artem ut ingenio ornarent electa habitacula mea: curavit

usque sollicita, ut secundum Cordis mei desiderium me in augustissimo hoc mysterio omni modo veneretur, suumque ita erga me amorem testetur.

Si amas me, fili; imo si fidem habes, et hoc lumine superno aspicis velatam hic Majestatem meam, et omnia, quæ me visibiliter et invisibiliter circumstant, maximam utique reverentiam hic semper exhibebis.

Non nisi interius et exterius recollectus ac venerabundus, coram me hic inter Angelos comparebis; nihil nisi pietatem et devotionem, veneration-em et amorem intus et foris elicies.

3. *V. D.* Vere, Domine Jesu, Angelorum et Sanctorum omnium amor et beatitudo! vere, omni reverentia hic, omni amoris sanctitate colendus es. Ipsum Tabernaculum, ipsam domum tuam decet sanctitudo.

Tu enim ipse Sanctus Sanctorum es, et in Sancto habitas, in quo ipsi Spiritus Angelici non nisi tremebundi præ reverentia comparent, et inaccessibiles mirantur sanctitatis splendores.

Homo ergo mortalis, infinitam Majestatem tuam considerans ac suam indignitatem extremam, quomodo se coram te sistere audeat?

Profecto nisi ipse me ad accedendum invitares, et bonitas Cordis tui cognita metus vehementiam sedaret, territus exirem a te, quia homo peccator sum; nec auderem ad te venire, ne forte læsæ Majestatis reus morerer.

Sed ecce illa ipsa benignitas Cordis tui, me tam misericorditer vocantis, et tam paterno affectu fiduciam ingerentis, nova ratio est reverentiæ.

Si enim hac gratia abutor per irreverentiam, magis culpabilis fio, cum sim ego malus, quia tu bonus.

4. O Christe Jesu, Deus meus, omnia sciens et omnipotens! quam terribilis est locus iste, in quo vere præsens es!

Quomodo me geram digne tua præsentia in hoc sacrosancto Sacramento, ubi omnia, quæ circumspicio, me monent, habendam esse summam reverentiam?

Monet lumen istud perpetuum, me debere per vividam fidem meminisse, ubi sim, et coram quo verser.

Monet seclusum Sanctuarium, locum habitationis tuæ esse sanctum sanctitate extraordinaria.

Monet altum Tabernaculum, quam humilis, ac veneratione plenus in conspectu tuo apparere debeam.

Monet nitor vasorum, quanta puritas cum interior tum exterior a me requiratur.

Monet omnis anima hic absorpta, amore tui occupata, quam magna devotione, quam tenero affectu tecum agere me oporteat.

5. O Jesu, Deus omnis sanctitatis! quam perfectam reverentiam hic erga te exhibendam esse doces, eo quod non velis hic proximos esse tibi aut sub eodem tecum habitare tecto, nisi cœlestes Spiritus, et angelos terrestres, personas religiosas et sacerdotes, qui tenentur esse adeo mundi corde, ut Deum videre, et tam casti corpore, ut ipsam puritatem amplecti mereantur!

Quibus itaque corporis et animæ dispositionibus huc accedere debeo, cum tam puræ, tam sanctæ societati conjungar!

Si Daniel, si Tobias, si Joannes, Discipulus dilectus, si alii Sancti, in præsentia unius Angeli usque adeo perculsi sunt aspectu, ac tanta reve-

rentia correpti, ut procumberent in terram; quibus sensis me animatum esse hic oportet, ubi sum in tot Angelorum præsentia; imo coram teipso, Angelornm omnium Domino!

Nulla certe hic cogitatio aliena, nullus affectus inferior occupare me debet. Imo vero quotiescumque huc venero, non modo me ab omnibus malis purum servare debeo, verum etiam te honorare sanctis virtutum actibus.

6. Quanta igitur indignationis tuæ ira, quam magna justitiæ tuæ pœna dignus essem, si in conspectu tuo illicitis cogitationibus aut pravis affectibus cor meum occuparem; si ita auderem inter angelicos Spiritus hic comparere profanus, ac tibi coram insultare tanta irreverentia, adeo Cordi tuo acerba!

O si fidem sequerer, procul dubio non permitterem aut cogitationes vagari, aut affectus alio effundi, aut me a te quocumque modo diverti, quasi tu, o summa omnium beatitudo! non sufficeres mihi, vel attentione dignus non esses.

O Domine Deus! contremisco, cogitans magnitudinem irreverentiæ, quam erga te committo, dum videor te honorare labiis, cor autem meum longe est a te, distentum rebus, quas inordinate amat aut horret, vel aliis objectis dissipantibus, quæ rejicere negligit.

Heu! ipsa exteriora mea sæpe produnt, quanta distractione dissipetur, quanta desolatione langueat cor meum, etiam cum hic coram te cœlestibus intersum consortiis.

7. Externa tamen reverentia mea non minor, quam interna esse deberet, siquidem corporis æque ac animæ obsequium requiris in hoc augu-

stissimo Sacramento, ubi ipse corpore et anima præsens es, Deus meus.

Oportet itaque, ut modestia maxima hic appareat, et notabilis sit omnibus hominibus, quoniam tu, Domine, tam prope es.

Nullum hic admittendum verbum inutile; nullus aspectus curiosus, nullus vagus; nulla positio, nullus corporis motus minus verecundus.

O Jesu, vita et dulcedo animæ meæ! quamquam nihil est in terra! quod me magis delectet, quam sanctissimum amoris Cordis tui Sacramentum; non est tamen quidquam, quod me terreat magis.

Si enim illo reverenter ac rite utor, inibi reperio omnia desiderabilia: si contra utor irreverenter et perperam, quam terribilia mihi adscisco mala!

8. Sed, o si te sufficienter amarem, si corde arderem illo igne divino, quo hic æstuat Cor tuum, non tot ac tantis opus foret rationibus ad me formandum ad debitam erga te reverentiam.

Tunc enim studiosissime non solum caverem ab irreverentiis, sed etiam eo me coram te gererem modo, quem solus amor cognoscit, ea delicata attentione, quam sola amoris puritas docere potest.

Tunc, quam dulce foret mihi coram te felix lætumque agere tempus, absorpto tui amore, cæterarumque rerum oblito!

Tunc, quantum ferverem, ad te in amabilissimo Tabernaculo tuo visitandum, tibique amorem meum testandum!

Tunc, quam sancta et deliciosa fame ac siti urgerer, ad frequentandum cœleste convivium, quod hic cum tanta suavitate præparasti!

9. Amorem ergo, amantissime et amabilissime Jesu! amorem tui largire mihi: amorem, qui durum cor meum emolliat, dilatetque, et pietatis unctione repleat.

Illo me totum incende amore, quo Spiritus Angelici et tot animæ puræ hic coram te ardent, ac quo te tam perfecte honorant.

O Domine, miserere mei, et ignosce mihi omnem meam erga te negligentiam, omnem mentis distractionem, omnem cordis dissipationem, quidquid denique contra reverentiam tibi debitam commisi:

Et præsta benigne, ut, quemadmodum tua erga me beneficia crescunt semper et accumulantur, ita amor meus erga te concrescat semper et adaugeatur.

Imit. Chr. Lib. IV. c. 1

CAPUT DECIMUM SEPTIMUM.

Quod nobis conandum sit omni modo compensare injurias, quibus sacrosanctum Cor Jesu in amoris sui Sacramento afficitur.

1. *V. J.* Fili, posuerunt adversum me mala pro bonis: et odium pro dilectione reddiderunt.

Quidquid optimum in cœlo et pretiosissimum est, quidquid in mundo hominibus utilissimum ac saluberrimum, quidquid in religione sanctissimum et maxime consolatorium, in hoc Sacramento constitui gratuita Cordis generositate, amore purissimo.

Nonne, fili, hæc tanta sunt ut, si cunctorum hominum corda amore consumerentur, si linguæ mortalium omnium occuparentur simul, ad justam referendam gratitudinem, si totus denique mundus

se in laudis hostiam immolaret, ad huc tantum distarent hæc a condigno, quantum divina excellunt humana, quantum finitum distat ab infinito?

Cœlum ipsum stupet hujus doni magnitudinem immensam: atque ipsi Spiritus Angelici præ admiratione exclamant: Ecce Deus noster! ecce prodigia, quæ posuit super terram!

Putasne igitur hominem in terra inveniri posse, qui huic dono donorum sit insensibilis, aut erga illud indifferens? . . . . . .

Attamen sunt, fili, sunt animæ sine sensu, sine affectione, ingratæ creaturæ, quæ, tantum abest, ut me tantorum bonorum thesauri largitorem diligant, ut contra ipsis utantur bonis, ad Cor meum amarioribus afficiendum injuriis.

2. Ecce plurimi currunt, quoquo emolumentum impellat aut cupido: ad me autem visitandum, domo egredi vel iter parum diflectere nolunt.

Tam parvi dona mea faciunt, tam frigidi corde sunt erga me, ut minimum naturæ incommodum subire nolint, ad veniendum huc, rogatum bona parata, aut suum amorem testatum mihi, qui ipsorum amore de cœlo per omnia incommoda veni, et hic propter ipsos permaneo.

Quam multis vere dicere possem: Tanto tempore vobiscum sum, et non novistis me!

Tamquam extraneus sum illis, et velut peregrinus ab illis negligor. Tam parum de me cogitant! tam parum me curant!

3. Sed et ipsorum qui sanctum Tabernaculum meum frequentant, quot sunt, qui veniunt quidem, sed ponunt abominationem in loco sancto! Quam multi enim, qui se in sacro templo meo ante oculos meos sistunt quasi idola, ita ut homines a

devotione et amore erga me abducant, eorumque attentionem et animum ad se pervertant!

Non pauci mente volvunt nefanda, detestabilia corde fovent, peccata voluntate committunt in ipso conspectu meo, indigne mihi insultantes.

Quot etiam, qui aspectu, aut gestu, aut ipso vestitu contristant Angelos, et meipsum provocant!

Quam multi sunt, qui jure erubescerent se gerere erga mortalem tanta insolentia, tanta irreverentia, quanta hic se gerunt erga me!

4. Nusquam, fili, crudeliores, quam in hoc mysterio divino, mihi inferuntur contumeliæ. Ubi abundat Cordis mei bonitas, ibi abundat et hominum pravitas.

Heu! quam multi hæretici me negant impie! quam multi increduli me, quem ignorant, dire blasphemant!

Sed hæc, fili, licet gravissima, Cordi tamen meo minus acerba sunt, quam profanationes horribiles ipsorum, qui me per Communionem suscipiunt sacrilege.

O fili! o quanta injuria et infandum ausum, cum homines, ipsique dispensatores mysteriorum meorum, ad me accedunt intus diabolum habentes, et me sacrilege susceptum projiciunt, Deum suum, ante pedes Satanæ in corde dominantis.

5. *V. D.* Quousque, Domine Deus, quousque peccatores hæc patrabunt impune? Exurge, Omnipotens, disperde monstra! pone Sacrilegos sicut stipulas ante faciem ignis furentis: digni enim sunt.

V. J. Non sic modo, fili, non sic, quamvis extrema pœna modo digni sint: sed Cordis mei amorem malitia cordis humani esse majorem ostendere volo.

Fert igitur animus illis ipsis adhuc dare gratiam, ut se salvare adhuc possint. Si enim cooperantes ei, ad meliora se convertunt, erit triumphus, erit gaudium, erit jubilatio Cordis mei de salute animarum istarum, pro quibus non hæsitavi ponere vitam meam.

Quodsi se convertere meque redamare noluerint, sufficiens est mihi tempus ad justitiæ satisfaciendum, cum ad hoc sempiterna habeam secula.

Interea, fili, ecce illas injurias sustinere pergam ob amorem tui, ob amorem Electorum, quos diligo magis, quam offendor a peccatoribus, et pro quibus hic residere libenter continuo.

6. Non eris, equidem puto, fili mi, non eris insensibilis huic singulari amoris excessui, quo per tot secula tantas indignitates a malevolis sustinet Cor meum, ut tibi elargiatur omnia, quæ in hoc Sacramento recondidit, bona.

Si me diligis, alacriter facies quidquid potueris, ad compensandum tot ac tanta sacrificia, quæ hic facit Cor meum, et ad reparandum honorem meum, qui tam multis indignisque modis hic læditur.

Profecto is inter primarios devotionis Cordi meo fines unus est, ut quantacumque fieri potest, fiat compensatio pro injuriis, quibus Cor meum in Sacrosancto hoc Sacramento undecumque afficitur.

Ne te verum Cordis mei discipulum esse credideris, si non ardes, si zelo non zelas honorem ejus.

7. Hic itaque ante sanctum Tabernaculum meum effunde frequenter cordis tui affectus ardentes, affectus gratitudinis, generositatis, oblationis, multiformis amoris, quibus se consoletur Cor meum.

Ferveat devotio tua, dum hic oras, aut colis,

aut quomodocumque te hic occupas, adeo ut, quantum vales, tepidorum suppleas indifferentiam, ipsisque ad excutiendum torporem injicias stimulum.

Reverentiam sinceram, non fictam, ubique manifesta erga sanctissimum Sacramentum, ut aliquid honoris mei repares, ut alios ædificans ad mei venerationem moveas, ut illatum Cordi meo gravamen alleves.

Sæpius offer bona opera tua afflictionesque tuas, et omnia, quæ in Ecclesia per orbem terrarum fiunt meritoria, ad meum in sacra Eucharistia honorem.

Offer in eumdem finem Angelorum Sanctorumque omnium virtutes et merita: offer et universas laudes, et honores, et omnia, quæcumque fiunt in cœlis.

Quoties celebras vel audis Missam, aut sanctam suscipis Communionem, hanc inter alias habe intentionem, ut isto opere sancto compenses injurias, quibus Cor meum hic a te vel ab aliis umquam fuerit affectum.

Quinimo, fili, imitans Cor meum, ora multum pro illis ipsis, qui tam indigne se erga me gerunt, ut patientia Cordis mei in illis expectando, et promptitudo ad reversis condonandum, triumphent, ad magnam lætitiam suam, et ad eorum beatitudinem æternam.

Tandem, fili mi, sive interius sive exterius conore, molire quæcumque vales, ut, injuriis amotis, omnes me, in hoc sacrosancto Sacramento, honore et amore prosequantur.

8. *V. D.* O dulcissime Jesu! quantum tu nos honorasti! quantum nos amasti! En amore nostri de cœlo in terram descendisti: et, ut nos de terra in cœlum duceres, laborare et pati non cessasti.

Omnia tua commoda sacrificasti, ipsum sanguinem tuum fudisti, ut nos mortuos redimeres: mortem ipse subiisti, ut nobis procurares vitam: Cor tuum amore vulneratum voluisti manere apertum, ut inde nobis omnia largireris bona: semper et ubique totus nobis esse dignaris.

In mortali vita tua te nobis dedisti in salutis pretium, in vitæ fontem, in perfectionis exemplar, in cœli viam et ducem.

In vita sacramentali te nobis das insuper in vitæ nutrimentum, in animæ et corporis sanctificationem, in peregrinationis solatium, in omnium bonorum abundantiam.

In ipsa vita gloriosa te nobis das in Advocatum apud Patrem, in donatorem Spiritus Paracliti, in præmium tandem sempiternum

Quid, o amantissime Jesu! quid Cor tuum ultra invenire, quid ultra facere valebat, quod non invenit et effecit pro nobis?

Quantam igitur gratitudinem, quantum amorem, quantam fidelitatem expectare merito poteras!

Sed heu! Domine, heu! heu! loco gratitudinis, loco amoris, loco fidelitatis, oh! ecce contumelias, et profanationes, et sacrilegia, et crudelissima quæque facinora!

Hæccine, o bone Jesu! hæccine, quæ ipsos Angelos ad fletum commovere valent, hæccine expectare debebas a nobis pro omnibus, quæ pro nobis fecisti, et tolerasti, et dedisti, et præparasti!

9. Utinam, Domine, hæc tam horribilia sanguine meo delere possem! utinam tantas indignitates, tam crudeles injurias, proprii honoris mei et ipsius vitæ dispendio compensare valerem!

Sed quoniam hæc non nisi desiderare possum: in compensationem omnium injuriarum Cordi tuo umquam illatarum, atque in reparationem honoris tui a me et ab aliis quocumque modo læsi, offero tibi omnes cogitationes, verba, opera, omnia quæ facturus ac perpessurus sum.

Offero tibi, in eumdem finem, meipsum totum ad subeundas omnes humiliationes, ad tolerandas omnes injurias: ad patienda quæcumque divinum beneplacitum tuum voluerit.

Offero tibi etiam omnes fidelium in universa terra tibi placentium pios affectus, sancta desideria, opera meritoria: omnia Missarum sacrificia, Communiones sanctas, quidquid denique pro te fit in tota Ecclesia.

Offero tibi quoque omnium Spirituum cœlestium, Sanctorumque in cœlo regnantium laudes, et gratiarum actiones, et benedictiones, et cunctas amoris eorum testificationes.

Hæc, obsecro, benignissime Jesu, suscipe oblata in unione meritorum Sacrosancti Cordis tui: hæc suscipe per Virginis matris tuæ Cor immaculatum, per quod hæc præsentare tibi præsumo.

Per innocens Cor illud ad Cor tuum, licet reus, fiducialiter tamen accedo, et misericordiam et gratiam pro me et aliis miseris omnibus imploro.

Parce, Domine, parce nobis peccatoribus: dimitte mala, quæ patravimus: obliviscere injurias, quibus Cor tuum affecimus.

Da, ut puritate vitæ resarciamus præterita, ut affectionum nostrarum fervore amori tuo vicem reddamus, ut demum constanti fidelitate Cor tuum recreemus.

Imit. Chr. Lib. IV. c. 6.

CAPUT DECIMUM OCTAVUM.

Quod debeamus probare nosipsos, priusquam ad sanctum Eucharistiæ Sacramentum accedamus.

1. *V. J.* Fili, probet seipsum homo, et sic de pane illo edat, et de calice bibat. Qui enim manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit, non dijudicans corpus Domini sui.

Non parva pœna imminet illi, qui indigne suscipit Dominum Deum suum. Ecce sanguis meus super ipsum, et super corpus et animam ejus stillabit maledictionem.

Considera, fili, quantum contra Judam proditorem indigneris. At perfidum Discipulum istum audacia, ingratitudine, iniquitate superat ille, qui miserrima sorte Judæ non cohibitus, prænonitionibus æque ac beneficiis meis abutens, dum super ipsum Cor meum in sanctissimo hoc convivio recumbit, tradit me per sacrilegam Communionem.

Quam tremenda igitur, quam terribilis expectatio judicii! quam pavendum supplicium manet eum, qui tam crudeli indignitate me prodit et persequitur!

Si illi, qui antiquis hujus divini Sacramenti figuris abusi sunt, tam severe puniti fuerunt: si Heli filii, quia in veteri sanctuario se indigne gesserant; si Oza, quia irreverenter tetigerat Arcam Testamenti; si Balthassar, quia vasa sacra ad usum profanum adhibuerat; si hi omnes, in pœnam delicti, morte correpti sunt; quid meretur sacrilegus, qui, quantum in se est, Deum ipsum, Creatorem ac Salvatorem suum, sub pedibus calcat, et spernit?

Nonne terra sub sacrilego dehisceret, ipsumque vivum deglutiret, nisi prohiberet Cor meum, ad ipsi salutis medium adhuc offerendum?

O scelus! O crimen! tantæ impietati obnoxio quam horrendum est incidere in manus Dei omnipotentis!

2. *V. D.* Domine! Domine! horresco timore perterritus, dum adverto nefandi criminis immanitatem!

Ante te in pulvere prostratus, oro et obsecro: ab indigna corporis et sanguinis tui Communione præserva me.

Per ipsum Cor tuum precor te, Domine Deus, notum fac mihi, quid sit, manducare panem hunc aut bibere hunc calicem indigne, ut id cognoscens, sedulo caveam, ne terribilissimam mihi adsciscam damnationem.

V. J. Id est, fili, sanctum Eucharistiæ Sacramentum suscipere, dum suscipientem conscientia peccati mortalis gravat.

Ne itaque tantum mysterium indigne, atque adeo ad mortem et damnationem sumat, probet homo conscientiam suam.

Ea autem probatio necessaria est, ut nullus, sibi conscius mortalis peccati, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa Sacramentali Confessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat.

3. *V. D.* Ignosce, quæso, Domine, si videar dicta non penitus intelligere; tardus enim sum mente.

Veniam da etiam, si quæram quæ minus congrua videri possint: nam corde angor.

Non enim quod ad tantum Sacramentum non aliam majoremque velim adhibere præparationem.

quam mere ut non suscipiam indigne; sed quia inimicus salutis meæ aliquando mihi obgerit, etiam cum feci quæ potui, me fore, si ad Communionem accedam, reum corporis et sanguinis Domini.

Ita cum tenebræ operiunt interiora mea, et rugit in obscuris inimicus, ut nec res clare videam, nec distincte satis audiam intus vocem tuam; vel gravate et periculose accedo, vel ab optimo miseriarum mearum remedio abstineo, dæmonis fraude deceptus.

Indica igitur mihi, obsecro, quid significet, esse conscium peccati mortalis. Hoc namque bene intellecto, facilius evitabo diaboli artificia, et indignam Communionem efficacius cavebo.

4. *V. J.* Fili, ille mortalis peccati sibi conscius est, qui corde scit se esse in statu peccati mortalis. Conscius enim est rei, qui rei conscientiam habet. Conscientia vero est notitia certa.

Notitia autem certa non est similiter quærenda in rebus omnibus, sed in unaquaque materia secundum proprium modum: absoluta in materiis absolutis, in physicis physica, moralis in moralibus.

Itaque, fili, peccare voluntarie soliti, cum dubitant, an sollicitati ad peccatum peccarint illud peccatum, ex communiter sibi accidentibus morali modo certi sunt, se illius peccati esse reos.

Contra vero, quamdiu sincere conaris adhærere mihi, seu quamdiu habitualiter formidas divina gratia privari; si non scis, si certam non habes notitiam, tentationibus inimici in rebus gravibus te voluntarie consensisse, vel quacumque ratione te voluntarie perdidisse statum gratiæ, sumens, non indigne suscipis sanctum Sacramentum.

5. Hæc, fili, te confortent, te animent, te

dirigant semper, ac tum præsertim, cum intus non lucet serenitas, et strepitus hostilis cor tuum implet.

Recte tamen usque præmittes contritionis actum, quam poteris perfectissimum de omnibus, etiam occultis delictis, prout coram divinis sunt oculis, ut melius dispositus, ad divinum mysterium inter Angelos accedas.

Expedit quoque, cum ad sanctam accessurus es mensam, etiam in levioribus peccatis probare teipsum, teque ab illis et cunctis affectibus inordinatis per ardentem amorem purificare, ita ut immaculata veste nuptiali ingressus, convivio cœlesti mecum accumbas.

Porro, fili, si mortalibus, licet ad ea tentari te sentias, non consentis; si venialia non committis voluntarie; si naturæ, quando divino beneplacito se opponit, contraire niteris; ecce quotiescumque volueris, moderatore conscientiæ permittente, ad sanctam Communionem accedere tibi licitum est.

Et quamquam hæc puritas infinite distat ab illa puritate divina, quæ in Sacrosancto Sacramento suscipitur, homini tamen mortali sufficit, ut cum humili fiducia et affectu frequentet hoc sanctum et sanctificans mysterium, quo purificetur perfectius.

Non enim creaturis natura Angelis, quæ peccare non possunt, sed hominibus desiderio angelis, qui non peccare volunt, divinum hoc institutum est Sacramentum, ut per id acquirant puritatis et sanctitatis perfectionem, quæ Communionis fructus magis quam præparatio est.

6. Proprium est dæmonis, animas sufficienter bene dispositas a frequenti Communione avertere:

et quicumque mortalium sive directe sive indirecte hoc facit, dæmonem imitatur, ac dæmonis opus agit.

Utique reverentiam requiro; sed amorem magis desidero: utrumque vero melius per frequentem uam per raram Communionem exhibebis.

Non equidem volo, fili, ut sanctam sæpe frequentes Communionem, et simul peccare, licet venialiter tantum, aut inordinatas inclinationes aversionesve naturæ sequi pergas; sed hoc volo, ut fixo corde decretum ac statutum tibi habeas, ab istis te abstinere, sicque ad sanctum Sacramentum frequenter accedas, quidquid judicent qui hac in re spiritus mali partes tuentur.

Si ex hujusmodi decreto statutoque ita pure vivere soles, tum, fili, etiamsi aliquando in defectum aliquem ex fragilitate labereris, ne idcirco consuetam omittas Communionem, sed, requisita probatione facta, ad eam cum intensiori præparatione veni.

Considera, fili, et memento, quantum per piam sanctamque Communionem Cor meum honoretur ac lætificetur, quanto gaudio cœlum recreetur, quanto solatio fideles defuncti juventur, quantis donis et gratiis anima disposita repleatur, ad salutem magis tutandam, ad acquirendam sanctitatem.

Nonne hæc talia sunt, ut laborem aut conatum, qui ad probationem purificationemque requiritur, non compensent tantum, sed infinite superent?

7. Nemo est, fili, qui ita se probare, ita se purificare, ita demum se dispositum reddere non possit, cum ad hoc gratia detur omnibus.

Nec potest quisquam dispositionis defectum imputare naturæ aut vitæ conditioni, siquidem non

natura nec vitæ conditio, sed inordinata voluntas aut incuria animam reddit indispositam.

Fervorem excita, fili, cor stimula ad rem tanti momenti, ut in vita nihil majus, nihil utilius tibi esse possit.

Hic unusquisque fructum recipit laboris, quem ad præparationem adhibuit, et prout purificatus dispositusque accessit, gratiis ac favoribus auctus recedit.

8. *V. D.* Gratias tibi, optime Jesu, pro eo quod in re ita momentosa me tam lucide, tam distincte instruis; meque, licet adeo pauperem ac miserum, ad frequentem participationem divini convivii tanta benignitate Cordis invitas atque etiam urges.

Securius deinceps et alacrius veniam ad sanctam hanc mensam tuam, cum noverim, quomodo me probare et disponere debeam, tum ut acceptus sim, tum etiam ut cum profectu cibum cœlestem participem.

Ardenter cupio, tu scis, Domine, et firmissime statuo, vivere ab omni quocumque peccato voluntario, et ab omni affectu inordinato purus, ut sine impedimento quam frequentissime te in sancta Communione suscipere valeam.

Quidquid mihi inopi et egeno defuerit, tu, quæso, bone et misericors Jesu, ex infinito Cordis tui thesauro supple: indue me stola candida innocentiæ: fidei, spei, charitatis, virtutum omnium decore me adorna, ut inter sanctos Angelos comparere, et tecum convivari, ad tuum gaudium et honorem, et ad meam consolationem ac sanctificationem merear.

Imit. Chr. Lib. IV. c. 7.

CAPUT DECIMUM NONUM.

Quo modo nos ad sanctam Communionem præparare debeamus.

1. *V. J.* Fili, tempus meum prope est; expecta me: ecce enim veniam, et intrabo tecum, et apud te mansionem faciam.

Cum autem venero, mecum Angeli multi; mecum divitiæ, et honores, et felicitas, ut ditem te atque nobilitem, et contentum reddam ac beatum.

Para igitur mihi, locum, ubi non modo nulla sit macula, verum et ubi ornata sint congruenter omnia.

Si bene consideraveris, quem suscepturus sis, agnosces sane te debere, etiamsi Angelicam haberes innocentiam, quam maxima cura adhuc præparare teipsum.

Quanta enim puritate, quanta sanctitate nitere et adornari oportet illius corpus et animam, qui ipsam puritatem, ipsam sanctitatem, non adit, non amplectitur tantum, sed eam suscipit, sed ei incorporatur?

Fac itaque quidquid potueris, ut te corpore et anima ad opus hoc grande præpares.

2. Grande profecto est opus: non enim homini superiori aut principi, sed Deo Salvatori tuo paras habitaculum: nec pro rebus perituris, sed pro bonis æternis laboras.

Quapropter per aliquod tempus ante diem, quo venturus sum, jam remote te disponere et præparare quisbusdam, pro conditione tua, mortificationis aliarumque virtutum actibus incipe.

Opera tua bona, imo et indifferentia, verba quoque, et cogitationes dirige in idipsum, et offer

omnia, ut tanquam grata oculis meis ornamenta sint loci, quem mihi in corde tuo instruere satagas.

3. Excita et fove desiderium vivum beatitudinis, qua in sancta Communione fruiturus es. Hoc cætera universa movebit et animabit.

Et quomodo non stimuleris desiderio, si attendis, quam multipliciter indigeas mei? quomodo non experiaris fervens desiderium, si consideras, quanta accepturus sis bona? quomodo demum non ardeas totus, si meditaris, quousque Cor meum desideret elargiri seipsum tibi?

Huic Cordis mei desiderio respondens, vicissim desideret me cor tuum, atque identidem renovet inflammetque cupidinem, ut possit amore dissolvi et esse mecum.

Modo Angelos compella: Numquid, quem diligit anima mea, vidistis? adjuro vos, ut nuntietis ei, quia amore langueo.

Modo Sanctos invoca: Obsecro vos, Fratres, per Dominum nostrum et ipsum Cor ejus, ut adjuvetis me orationibus vestris pro me.

Modo ad meipsum suspira: O Dilecte mi! electe ex omnibus, indica mihi, ubi pascas inter lilia. Quis mihi det, ut inveniam te, ut amplectar te, ut introducam te in domum cordis mei! Fac, o fac me experiri, quam bonus sis te quærentibus, quam dulcis te invenientibus, quam ineffabilis te fruentibus! Veni, Domine, et noli tardare.

His aut aliis affectibus statui animæ tuæ convenientibus nutri fervorem, spiritualem provoca famem saluberrimi Eucharistiæ Sacramenti, quod esurientem postulat animam, quodque animam esurientem implet ac satiat bonis.

4. Puram præterea et sanctam statue inten-

tionem, eamque ad varios, quos tibi proposueris, fines cum generales tum particulares refer.

Vide, fili, ne propter formam, aut ex consuetudine, quasi sine consilio, ad sanctam Communionem accedas: nec minus cave, ne adeas, ut pius videaris, vel contra ut notam evites, vel denique ut sensibilem experiaris consolationem.

Recte procede, pura et sancta prosequere, juxta divinum beneplacitum, a quo deflectere pro re nulla debes. Quidquid enim huic alienum est, nihil valet, quantumvis dulce, quantumvis bonum esse videatur.

Sic fiet, ut, si cum diligenti præparatione ad sanctum Sacramentum accessurus, non sentias, ut optas, fervorem devotionis aut saporem, pacate simul et fructuose feras, divinæ voluntati meæ resignatus, eamque omnium maximam reputans consolationem.

Quodsi experiaris pietatis ardorem aut dulcedinem, humili et grato accipies animo, atque intimo corde gustabis, sciens, id non effectum esse propriæ quæsitionis, sed bonitatis Cordis mei donum.

5. Cum autem appropinquaverit jam tempus, quo mox venturus sum, audi Custodem Angelum dicentem tibi: Ecce Sponsus venit: exito obviam ei!

Surge velociter, et lampadem tuam accensam, gratiam sanctificantem, tecum habens, propera ad sanctum Tabernaculum meum, ibique vigila, et ad adventum meum te proxime para.

Dilatetur cor tuum, exultent omnes animæ tuæ facultates: instans felicitas te totum intus et foris afficiat.

Quasi non jam in mundo, sed inter Angelos, qui invisibiliter circumstant, te esse memento.

6. Moram autem facientem me in Tabernaculo, vivida fide adora, spem elice magnam, renova charitatem erga proximum omnem. His diligenter incumbe: his multo cum affectu insiste.

Actus deinde exerce virtutum, quæ Cordi meo peculiariter gratæ sunt, quasque mirabiliter in Cœnaculo, ante institutionem Sacramenti, ipse exercui, dans exemplum, ut quemadmodum ego feci Corde, ita et tu facias ante sanctam Communionem.

Ibi nimirum quam profunde meipsum humiliavi, cum ad pedes Discipulorum provolverer, eosque lavarem, et abstergerem!

Tali doctus exemplo, quam maxime potes, humilia teipsum ex toto corde, ex tota mente, ex totis viribus tuis.

Etiam cum feceris omnia, quæ debuisti et potuisti, agnosce te non esse dignum, ut excipias me, et intres mecum in consortia divina.

Quid magis quæro, quam animam vere humilem, in qua sibi complaceat anima mea, cui Cor meum effundat gratiarum abundantiam, quam denique purus amor meus pervadere, rapere, transformare possit?

Amore, fili, amore institutum est suavissimum hoc Sacramentum: amore suscipiendum est.

Sicut amor Cordis mei excedit in hoc mysterio, seque sine mensura, sine modo prodigit: ita, fili, cum ejusdem fis particeps, te, sine limite, sine conditione, totum trade divino amori.

Amor hic vivus, affectus purus, integra tui traditio, summa est præparatio ad sanctam Communionem; quia ad unionem divinam proxima est dispositio.

Hic ergo immorare: hic toto corde age, roga,

da, prout spiritus gratiæ te interius docuerit aut direxerit.

7. Si pure diligis me, fili, percipies non esse in potestate tua, diligere me satis: ac senties omnia, quæcumque facias aut facere possis, quasi nihil esse ad ea, quæ cernes decere, ut me in corde tuo suscipias.

Itaque noli contentus esse iis virtutum ornamentis, quæ ipse facis aut habes, verum ab Angelis, Sanctisque, et bonis omnibus mutuare quæcumque possident decoramina, pro occasione solemni, qua me excepturus es.

Hoc autem efficis, fili, si sincero et ferventi corde cupis, mihique offers pro te Angelorum ac Sanctorum merita virtutesque omnes et singulas, ut his mihi placeas meque accipias dignius et perfectius:

Si ad eumdem hunc finem efficaciter optas me suscipere cum ea puritate, ea fide, spe, charitate, ea humilitate, eo amore, ea denique sanctitate, cum qua justi pïique omnes atque ipsa immaculata Virgo Mater mea me umquam in Sacramento susceperunt.

Sancti hujusmodi affectus, fili, si ex puro amore mei fluunt, usque adeo mihi placent, ut non minus delecter puris istis inflammatisque desideriis, quam si desiderata ipse possideres.

Sed adhuc meliora exquire, fili mi: ipsis Cordis mei virtutibus ornatum cordis tui perfice.

Tandem, cum e Tabernaculo egredior, cum audis vocem: Ecce Agnus Dei! interius exteriusque recollectus, ac fretus bonitate Cordis mei, veni inter Angelos, veni obviam mihi.

In summo isto momento, obliviscere quodam-

modo teipsum, mihique soli intentus, omnibus affectibus tuis me excipe, et intra mecum in cor tuum.

8. En modum, fili, quo te ad sanctam Communionem præparare oportet. Si, ut discipulum Cordis mei decet, actus proxime præparatorios, non ex libro lectitas, verum ex corde elicis, modum semper esse quasi novum reperies.

Actus enim illos nunc sic, nunc aliter elicies, prout necessitas tua, vel devotio, vel interna spiritus unctio te moverit.

Quodsi ita interius agere nondum potes, utere libro, sed sic utere, ut in corde tuo mecum conversari paulatim discas, ac demum sine libro proxime te præparare valeas.

Modum ergo retine, rationem vero modum sequendi varia, unum actum abbrevia, alium prolonga, juxta actualem animæ tuæ statum.

Attende, non actuum formam, sed affectuum sinceritatem: simpliciter et affectuose cordis tui sensa profer; super omnia autem sequere spiritum.

Ita fiet, fili, ut, singulis vicibus, nova quadam ratione, præsentibus circumstantiis tuis usque accommodata, novo etiam fervore te præpares.

Plurimum ad hoc juvabit, ita te disponere, ita accedere ad unamquamque Communionem, quasi vitæ tuæ foret ultima.

Et revera, fili, nescis, an Communio proxima non sit futura ultima: hoc autem scis, aliquam, quam ignoras, ultimam fore.

Ideoque prudens ac pium est consilium, ad unamquamque Communionem accedere eo corde eaque mente, ut si fuerit ultima, sit tibi viaticum vitæ æternæ.

9. *V. D.* Quam mira et magna Cordis tui bonitas, Domine Jesu, ut me ita erudias, modumque doceas adeo sanctum ad dulcem, quo me ad sacram Communionem præparem!

Cum gratitudine amplector, Domine, et sequar fideliter datum a te modum, quem, cum simplex simul et multiformis sit, facilem ac semper recentem fore agnosco.

Sed ecce cum perfecero quæcumque potuero, ad me præparandum, ut te intra cor meum excipiam: quid sunt hæc omnia ad dignitatem tuam? Aut quid sunt ad beatitudinem, qua fruiturus sum?

In illa enim hora suavissima, cum in cordis mei intima intraveris, quid deerit felicitati meæ? Nonne in te reperiam quidquid desiderare possum?

Tu enim, o indeficiens bonorum omnium fons! tu mihi vita et gaudium, tu mihi virtus et sanctificatio, tu mihi divitiæ et honor, tu mihi requies, et dulcedo, et felicitas omnis.

O charorum omnium charissime Jesu! quantum te cupio! quantum tui indigeo! O quando venies? quando admittes me, miserum, et infirmum, et ignarum, et famelicum, et desolatum?

Tu, o Jesu mi! Salvator meus es, tu Medicus meus, tu Magister meus, tu Pastor meus, tu Amicus meus, Consolator optimus, tu Dilectus, tu Sponsus animæ meæ.

O Agnus Dei, qui tollis peccata mundi! non sum dignus ut intres sub tectum meum, sed miserere mei, sequere Cordis tui bonitatem, veni.

O Dilecte mi, Sponse super mel et favum dulcis, pulchritudine innocentiæ candide, puritate amoris rubicunde, trahe me ad te, et fac me tibi similem.

Adjuva me, ut me ad tuum adventum sancte præparem: præsta, ut lampadem servem accensam et flammantem, ut neque dormitem neque torpeam, sed in oratione vigilem ad te, ac pietate ferveam, ita ut anima parata merear egredienti tibi obviam venire, et intrare tecum.

Imit. Chr. Lib. IV. c. 14.

CAPUT VIGESIMUM.

Quomodo nosipsos gerere debeamus, postquam sanctum Sacramentum suscepimus.

1. *V. J.* Fili, simul ac per sanctam Communionem me susceperis, dimissa omni alia cura, esto totus mihi, sicut ego tibi.

Ecce tunc Angeli circumfusi ac prostrati adorant, venerabundi colunt, mirantur attoniti, amore flagrant: num interea tu ipse indifferens esse potes?

Omnia intus et foris sanctitas et devotio, pax et gaudium, bonorum et donorum effusio, dulcedo et felicitas. Hæc participa, fili: his fruere in me, quem possides.

En enim in intimo corde tuo adsum ego, Deus tuus et omnia. Mane mecum, fili mi, nec me solum relinquas, abiens mente, aut corde, aut sensibus.

Verum clausis omnium adituum portis, impende mecum tempus, quo melius, quo jucundius, quo pretiosius tibi esse non potest.

Beatus, fili, si noveris hoc uti tempore, unde maximus Communionis fructus, ac præcipuus animæ profectus pendet!

Quanta habes agenda ista hora lætissima! quam multa deprecanda et petenda! quam multa mecum

communicandi! quam multa tibi a me audienda! quam multa sacrificanda! quam multa denique pro te et aliis accipienda!

Noli itaque negligere tempus visitationis meæ: sed cura, ne vel particula doni adeo boni te prætereat.

2. Primum igitur sincero corde gratias quam maximas age mihi, Deo Salvatori tuo, propterea quod tam misericorditer ac tam amanter te visitare dignatus sim.

Quoniam autem pro favore infinito dignas reddere gratias non sufficis, invita Angelos invisibiliter assistentes; invita cœlestes Spiritus et Sanctos omnes; imo invita quidquid spirat, quidquid est creaturæ, pusillæ et magnæ, ut tecum ac pro te laudent simul, et superexaltent Dilectum animæ tuæ, tam amantem et tam amabilem.

Sed cum etiam hæc omnia sint infra divini beneficii magnitudinem, offer omnes gratiarum actiones, laudesque, et amoris actus, quos Angeli, et Sancti, et justi universi umquam obtulerunt, et in æternum oblaturi sunt.

Hæc omnia, fili, offeras unita Cordis mei meritis, quæ cum sint infinita, infinito dono paria sunt.

3. Deinde profundissimæ adorationis actus elice, ultro submittens, ut holocaustum, omnes animæ potentias, et corporis sensus, in obsequium fidei hic mihi debitæ.

Hoc enim holocaustum, quoniam maximam continet humilitatem, teque mihi immolat totum, summe mihi gratum est et honorificum.

Post hoc, quid tibi sperare non licet a Corde meo, donorum suorum usque adeo prodigo?

Spera fortiter, fili mi: ac spei firmæ exerce

validos actus et magnos. Modo non confundendam fove spem, fore, ut quæcumque poposceris, detur tibi. Modo ut infans in sinum parentis, conjice te super Cor meum, fidens te hic inventurum quæ desideras, sperans te hic fore salvum.

Et nonne interea cor tuum erit ardens in te, dum tibi ostenditur tanta miseratio, tam indebita dignatio, tam gratuita dilectio?

Hic insiste, fili: da te penitus amori divino, nec desine amoris actus elicere, donec devotioni satis fuerit, aut spiritus gratiæ ad alia te moverit.

Tunc enim dum divinus amor in corde tuo agit, et exerit potentiam suam, tempus est acceptabile, ut, si ex humana fragilitate aut alia quacumque ratione commiseris, quæ Cordi meo displiceant, ex puro amore divino et doleas te commisisse, et jam non amplius te commissurum statuas.

Vivus ardor amoris divini, si ei sic cooperaris, peccatum velut stipulam siccam persequitur, uritque, et consumit.

4. Tum, ne labaris iterum, ora enixe, ut a pravis passionibus, si quas habeas, cureris; ut expediaris ab affectibus inordinatis, quibus objecta creata minus recte aut amas aut aversaris; ut a miseriis, quibus laboras, libereris; demum ut præserveris a peccatis et defectibus, ab iis præsertim, ad quæ te magis inclinatum experiris.

Quin imo quo magis solideris, atque etiam perfectior evadas et Cordi meo similior fias et charior, roga instanter virtutis virtutumve incrementum.

Pete vividiorem fidem, spem firmiorem, ferventiorem charitatem, majorem sanctæ paupertatis affectum, puritatem magis Angelicam, perfectiorem

obedientiam, humilitatem et mansuetudinem magis eximiam, conformitatem divinæ voluntati meæ, intimam ac perpetuam unionem mecum: alias denique virtutes, quas conditio tua requirit, quæque Cordis mei discipulum decent.

Ulterius procede, et auxilium efflagita speciale, quo, amore mei, alacriter et meritorie facias ea in particulari sacrificia, quæ gratia postulat vel optat.

Teipsum totum cum omnibus, quæ es et habes, tamquam hostiam viventem devove honori et amori mei.

5. Denique, fili, zelum amoris exerce: multum et ferventer precare pro aliis, ad majorem gloriam, ad majus gaudium Cordis mei.

Per merita Sanctorum et Angelorum, per Cor immaculatæ Virginis Matris meæ, per ipsum Cor meum, supplica pro universa Ecclesia, ut pace fruatur, sanctitate crescat, dilatetur toto orbe terrarum.

Pro Summo Pontifice, Vicario meo, ac cunctis Ministris meis, ut boni sint operarii in vinea mea, rectam habeant intentionem, vitæ puritatem, studium perfectionis, zeli fervorem.

Pro religiosis, ut primum servent spiritum, continuum faciant in virtute progressum, ædificent mundum, Ecclesiam consolentur.

Pro omni populo fideli, ut unusquisque in ea vocatione, in qua vocatus est, digne et laudabiliter mihi serviens, electionem suam certam reddere satagat.

Funde preces quoque et supplicationes pro conversione infidelium, hæreticorum, peccatorum omnium, ut ab erroribus mentis ac cordis vitiis liberati, gressus suos dirigant in viam salutis et pacis.

Pro consanguineis, benefactoribus, amicis, nominatim inimicis tuis, ut superno juventur auxilio, sanctificentur, omnia sibi necessaria et utilia obtineant.

Pro omnibus justis, afflictis, periclitantibus, in agonia constitutis, ut perseverantiam, solatium, protectionem, beatum finem consequantur.

Tandem pro fidelibus defunctis, iis præcipue, pro quibus orare quocumque nomine teneris, ut mereantur cœlum ingredi, et pro te ante thronum divinæ misericordiæ intercedere valeant.

6. Hæc omnia fideliter age, fili, suaviter simul et efficaciter conare perficere, secundum spiritum.

Attamen si ego tibi susurrem aut communicem quidquam, vel te quocumque modo occupem, aut tecum agam, intermittere omnia, auscultare, cum docilitate et reverentia debes.

Si quid increpam, suscipe correptionem corde submisso: si quid exhorter, si quid urgeam, statue, decerne: si quid largiar aut promittam, esto liberalis vicissim: si quid consoler, humiliter accipe, sine te perfundi consolationis dulcedine, memor quoniam ego bonus, quoniam in seculum misericordia mea.

Quodsi contigerit, ut amor e Corde meo prorumpens, subito te invadat rapiatque, cede, fili, et permitte te rapi quocumque voluerit.

Exterius abscondens, quantum vales, quod gratia facit interius, ne forte quis tribuat tibi quod mihi soli debetur, patere amorem excedere, teque per excessus proripere omnes: patere te divino æstu incendi, liquefieri, dissolvi.

Talia quandoque per nimium amorem suum facit Cor meum erga veros discipulos, ut eos mu-

neret pro laboribus tribulationibusve amanter causa mei toleratis, aut pro sacrificiis generose mihi factis: vel ut faciat eos pleno corde gustare, quam suavis sim in Sacramento, ac quantam dulcedinem ipsis reservem in cœlo: vel denique ut eos mira vi amoris dispositos in me transformet.

At, fili, si, post Communionem pie devoteque susceptam, effectus gratiæ sensibiles, motusque divini amoris non experiaris, noli angi, noli turbari. Sine istorum enim donorum sensu, fructus non minor esse potest.

Etsi autem agitando teipsum, excites sensum, nihil ex isto motu naturæ proficies; sed contra amorem proprium fovebis, vanitatemque nutries, et illusionibus obnoxius eris.

Verum humiliter et tranquille coram me permane, exercens virtutum actus ordinarios: atque ita nitere majorem referre humilitatem, perfectioremque divino beneplacito conformitatem, si non senseris amoris ardorem aut dulcedinem.

Hæc, fili, est via trita Sanctorum, qui, ubi positi erant, ibi quiescebant contenti: si non ad latus meum cum Thoma, aut cum Joanne super pectus, manebant cum Maria ad pedes meos, gratiæ præsenti fidelis et grati: ac sive ad genua mea provoluti, sive ad osculum oris admissi, utrobique pro mensura gratiæ datæ proficiebant.

7. Hoc itaque modo, fili, te geres, postquam sanctissimum susceperis Sacramentum. Hæc autem, licet eadem semper methodus, videbitur semper recens: aliter enim singulis vicibus ac varie, secundum animæ tuæ statum et spiritus gratiæ motum, illam adhibebis.

Volo namque, ut post Communionem sinas cor

tuum in simplicitate sua se mihi effundere, et loqui, et agere mecum prout affectum fuerit vel potuerit.

Quodsi legas formulas precum vel piissimas, non tam tua profers, quam aliena recenses; non tam cor tuum mihi communicas, quam quod cor aliud elicuit, sensibiliter aut insensibiliter coram me recitas. Laudem te? in hoc non laudo.

Putasne sic te posse fieri hominem vere interiorem, percipere secreta, quæ intus animæ suggerere soleo, intimis communicationibus meis frui?

Quapropter, fili, assuesce mecum corde ad Cor conversari, mihi tua sensa exponere, mea tibi excipere, dare quæ tu habes, recipere quæ ego largior.

Attamen, si ob imperitiam tuam vel etiam ob prementem aliquando desolationem, nihil facere possis nisi legas orationum formas; lege, sed lege lente et attente pauca, et interrumpens conare aliqua ex corde tuo promere et communicare mecum. Sic proficies, fili; sic scientiam Sanctorum, artem interius conversandi et agendi mecum, sensim acquires.

8. Quando tandem venerit tempus, ut ad tua redeas, remotam gratiarum actionem ne obliviscaris.

Roga sanctos Angelos, ut pro te coram laudare me pergant: et offer mihi cum illorum laudibus ea, quæ ipse facturus es et passurus.

Vade dein quo divina voluntas te vocaverit: sed exterius interiusque attende tibi: vita dissipationis et distractionis occasiones non necessarias: cave, ne in mundana aut inutilia cor tuum effundas.

At fac mihi in intimo corde tuo sanctuarium, ubi me præsentem tibi serves, frequenter me ores, me consultes, tua mecum communices.

Pro facultate tua, opere testare, te divini beneficii accepti esse memorem: aliquam virtutem exerce perfectius: ostende majorem charitatem illis, qui erga te male affecti sint, vel contra quos ipse aliquid asperi sentias: exhibe profundiorem humilitatem, mansuetudinem suaviorem, virtutes alias, quibus gratitudinem et amorem tuum mihi manifestes, ac simul proximum ad meliora æmulanda ædifices, atque Cor meum recrees.

9. *V. D.* O piissime, o dulcissime Jesu! ex intimo corde tibi gratias ago, pro eo quod me tam perfecte, tam amanter, tam suaviter instruere dignatus es.

Si deinceps post sanctam Communionem tempus non bene transigam, si non recte me geram, inexcusabilem me esse fateor.

Si non locutus fuisses, si me ita non docuisses, imperfecta mea agendi ratio parvusque Communionum mearum fructus aliquatenus apud te forte excusarentur: nunc autem excusationem non habeo.

O Jesu, infinita bonitas! excita me ad fervorem: auxiliare mihi tua gratia, ut melliflua et sancta, quæ ex Corde tuo prompta tradidisti, quæque ipse cupio totis affectibus, opere perficiam.

Quid enim dulcius in vita? quid in mundo felicius? quid melius aut sanctius?

O amor meus, Jesu, Sponse divine animæ meæ, Angelorum Sanctorumque deliciæ sempiternæ! cum te fruor, quid desiderem ultra?

Concede, quæso, ut tunc sim totus tuus, et tu totus meus, ut tecum agam secundum Cordis tui beneplacitum, ut tibi sim ac permaneam resignatus et unitus.

Imit. Chr. Lib. IV. c. 16.

CAPUT VIGESIMUM PRIMUM.

Sacrosanctum Cor Jesu in almo Eucharistiæ Sacramento dat nobis antidotum, quo liberemur a culpis venialibus, et a mortalibus peccatis præservemur.

1. *V. J.* Fili, hic est panis de cœlo descendens: ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur.

Primus fructus solidus et permanens, quem anima in sancta Communione colligit ex Corde meo, hic est, ut a defectu liberetur, firmeturque in bono, et a morte spirituali præservetur.

Effectus hic Communionis adeo consolatorius ut indicaretur, sub nutrimenti specie institutum est vivificum hoc Sacramentum. Nutrimentum enim corpus a debilitate revocat, vires ejus auget, vitam continuat.

Quod alimentum naturale facit in corpore, id, sed multo perfectius a mirabilius, in anima efficit cibus hic supernaturalis, panis Angelorum.

Si fructus arboris vitæ, in paradiso productus, corpus humanum ab interitu defendere atque in juventute perpetua servare poterat; quanto magis cibus hic de cœlo descendens, poterit animam a morte tutari, eamque in constanti vigore custodire?

Imo, fili, quod nec fructus ligni vitæ, nec ulla esca terrestris facere potest corpori, hoc animæ quandoque facit fructus Sacramenti, esca cœlestis. Si enim accideret, ut quis, probatione sincere facta, examine sincere instituto, invincibiliter adeoque inculpabiliter ignoraret aliquod peccatum animæ mortiferum, atque ita bona fide ederet panem hunc

vivum, ecce vitam gratiæ sanctificantis simul et occulti peccati remissionem obtineret.

2. Divinum hoc Sacramentum non modo ingentes præstat vires ad declinandum a malo, sed etiam ipsas causas mali impedit aut minuit.

Nonne aqua restinguit ignem? At longe efficacius cupiditatum æstum extinguit divina Eucharistia. Continet enim omnem virtutem, ideoque passionem omnem reprimit.

Quid mirum, fili, si omnia vitia et illicita oblectamenta reddat ingrata atque nauseosa cœleste hoc mysterium, cum propinet vinum germinans virgines, et Angelicas præbeat delicias?

Nonne ego sum panis vitæ beatæ, et fons dulcedinis æternæ? Qui venit ad me, non esuriet neque sitiet amplius vetita aut periculosa mundi alimenta: illum enim divinis satio bonis, quæ suavitate sua efficiunt, ut omnia prohibita, mundana omnia videantur amara aut insipida.

3. Cum ego sacramentaliter præsens sum, fugiunt hostes salutis procul ab anima, quæ per sanctam Communionem facta est terribilis ipsis.

Si quando præsumunt illam aggredi, non nisi timentes accedunt, impetusque a longe faciunt.

Atque hi ipsi impetus, quoniam animæ passiones magis subjectæ sunt et sedatæ, eam minus afficiunt, minusque periculo exponunt.

Et nonne, dum ipsa ad aliquod peccatum tentari se percipit, si cogitat se in corde suo suscepisse Deum, vel se inibi Deum suscepturam esse, sola hæc cogitatio sufficiens erit ad tentationem repellendam? nonne stimulus erit ad vires exerendas, ut cor servet purum, ac fidelis maneat?

Quam multæ fuerunt in hoc mundo animæ,

quæ, licet prius funestis passionibus mancipatæ fuissent, tamen per pium ac frequentem salutiferi hujus Sacramenti usum, non solum ab illis brevi feliciterque liberatæ fuerint, sed et dæmonum aggressiones facile superarint, permanentes usque fideles!

Et profecto, si dum in mortali vita versabar inter homines, virtus a me exibat et sanabat omnes infirmitates; quanto potius nunc in vita Sacramentali virtus e Corde meo procedens, animas mihi per Communionem unitas curet ac fortificet?

4. Præterea, fili, quando per sanctum Sacramentum ad animam venio, mecum fero omnia Cordis mei sensa, eaque cordi ejus, pro dispositione, communico: amorem humilitatis, amorem charitatis, amorem sanctæ paupertatis, amorem obedientiæ, amorem puritatis, cæterarum denique virtutum, quæ vitiorum radices amovent, ut eorum locum occupent.

Amor hic, qui est omnium virtutum anima, quemque Cor meum per Sacramentum communicat, fortis est ut mors. Ipse, nisi tu impediveris, te reddet invincibilem.

Memento Ecclesiæ primitivæ: quantam amoris fortitudinem Cor meum per sanctam Communionem impertire soleret, ut fideles, etiam natura maxime debiles, pueri virginesque teneræ, omnibus salutis hostibus superiores essent, et ipsa morte fortiores.

Quidquid seductionis habebat superbia vitæ, quidquid habebat cupiditas oculorum, quidquid demum habebat concupiscentia carnis, nullo modo poterat captare corda, quæ hoc cibo fortium roborata, et dulcedine amoris mei expleta, nihil cupiebant, nisi in amore mei perseverare, nec quidquam metuebant, nisi ab amore mei privari.

Quid illa ab amore mei separare potuit? non tribulatio, non angustia, non persecutio, non denique mors sub quacumque forma.

5. Quæ olim tam visibiliter operatum est hoc amoris Cordis mei Sacramentum, eadem operatur adhuc.

Unde enim, nisi e Corde meo in hoc divino mysterio, tot fidelibus tantus horror ab iis, quæ mundus et amor proprius sectantur? tot juvenibus ac virginibus amor puritatis tantus, ut omnia huic contraria, quantumvis naturæ blanda, respuant ac conculcent; atque dilectæ virtutis præsidia quæque, licet naturæ ingrata, quærant et amplectantur læti? tam multis cordis generositas usque ad cruces amatas propter me, usque ad sacrificia gaudenter facta amore mei? Plurimis denique omnis conditionis tanta fortitudo, ut, etiamsi se infirmos fateantur, tamen omnes mundi oppugnationes, et aggressiones inferni sustineant invicti, imo superent ac triumphent?

En mirabilia, fili; en, quomodo panis hic divinus, quem amor Cordis mei largitur, det vitam eamque ab interitu et defectu præservet!

6. *V. D.* O Sacramentum vivum et vivificans, unde habeo panem vitæ, quo vivam et valeam spiritu! Quæso, Domine, semper da mihi panem hunc: sed ita, ut non infirmer neque moriar.

Exempla enim quanta audivimus, et patres nostri narraverunt, illorum, qui hunc panem vitæ manducaverunt, et mortui sunt!

Quinimo vidimus, et cognovimus, et terrore trepidavimus, ex illis ipsis, qui frequenter aut etiam quotidie tecum epulabantur, quique adeo velut Angeli vivere debebant, turpiter abiisse, seque

siliquis porcorum implevisse, et in cœno se volutasse, spreta gratia, spreto cœlo, spreto ipsius inferni metu!

V. J. Ecce, fili, homines, qui cum in honore essent, non intellexerunt; at jumentis insipientibus similes facti sunt!

Sed recte judica: si perceperis illos ipsos, qui nutriebantur hic in croceis, amplexatos esse stercora, id non nisi eorum insipienti, eorum malæ attribue voluntati.

Hoc enim salutiferum Sacramentum, quamquam per se a morte præservat, non tamen privat hominem potestate, si vivere nolit, sibi inferendi mortem.

Passionibus hostibusque debilitatis, mirifice confirmat et adjuvat liberum arbitrium, ast ei necessitatem non infert.

Quamobrem homo sæpe et rite nutrimento hoc divino confortatus, vivet et non morietur, licet possit mori, si quod ad vitam datum est, abutatur ad mortem.

Cum itaque lapsorum exempla audiveris, ad te ipsum reflecte, et dic: Qui stat, videat ne cadat.

Atque adeo diligentius attende tibi, ne per voluntarios defectus aut per teporem impedias, quominus sancta Communio salutares divinosque producat effectus.

7. *V. D.* O Jesu! o vita, per quam vivo, sine qua morior, vita dulcis et amabilis! fac me semper ista vita vivere: fac me semper spiritus vigore frui.

O beatitudo mea, Domine, quem per sanctam Communionem possideo, non solatia sensibilia peto, sed amorem illum, quo ita fortis sim, ut numquam deficiam, quo ita replear, ut omnia quæ-

cumque mundus obtulerit, nauseam mihi, non appetitum, excitent.

Concede, quæso, ut cautius omnes corporis sensus custodiam, et cunctis animæ facultatibus attentius invigilem, ita ut nulla culpa impediatur Communionis fructus.

Arce a me et procul amove omnes peccandi occasiones; protege me potenter et incolumem serva in periculis, quibus propter servitium tuum expositus esse debeo.

Super omnia autem præserva me ab omni peccato, et præsta, ut numquam separer a te, qui es unica mihi vita vera et beata.

8. Quam bonum est tecum esse, o Jesu, dulcedo cordis mei, sola felicitas animæ meæ! O ne patiare me a te recedere, nec ipse, precor, a me recedas.

Mane mecum, quæso, ne tenebræ me apprehendant, ne pericula me circumdent, ne animo ac robore carens peream: tu enim lux vera, tu refugium, tu virtus et salus mea.

Per amorem Cordis tui oro et obsecro, mane mecum, optime et dulcissime Jesu! sine te nihil valet, nihil placet. Sine te quam miser sum! at quam beatus tecum!

Mane ergo mecum, et priva me potius possessione rerum omnium, et cunctarum creaturarum amore, quam ut me possessione et amore tui privari permittas.

Imit. Chr. Lib. IV. c. 4.

CAPUT VIGESIMUM SECUNDUM.

Sacrosanctum Cor Jesu sancta Communione nos sibi unit, facitque nos vivere propter ipsum et per ipsum.

1. *V. J.* Fili, qui manducat me, et ipse vivet propter me.

Quidni mihi vivat, cum ita mihi sit unitus, ut mihi incorporatus, et a me animatus sit?

Ecce enim, si usquam, profecto in Communione factus es membrum corporis mei, de carne mea, de sanguine meo. Tollens ergo membrum Christi, Domini Dei tui, facies membrum iniquitatis aut mundi? Absit.

Verum enim vero ipso corpore et sanguine meo vivificatus ac sanctificatus, exhibebis te ipsum, de me viventem, sanctum, mihi per omnia placentem.

Quemadmodum corpus quodammodo induit qualitates cibi, quo nutriri solet; ut qui valido ac forti cibo semper vescitur dispositus, ipse validus evadat et fortis: ita, fili, experieris, si frequenter et rite alteris de me, omnis puritatis et sanctitatis principio, te quoque fieri omnino purum ac sanctum.

Anima tua mihi adhærens, mente non jam reptabit in rebus terrenis ac perituris, corde non jam delectabitur sordidis aut vanis mundi oblectamentis: sed quæ sursum sunt et durabilia, quæret; quæ sursum sunt et bona, sapiet.

Principia aliena te non amplius animabunt: sensa mere naturabilia non amplius influent in istam vitam tuam; sed quia ego vivo, et tu vives.

Hanc vitam veram, supernaturalem, sanctam, quam vives a me productam, quam vives in me absconditam, etiam vives propter me.

2. Si qua opera bona feceris in hac vita tua, si quas virtutes colueris, si qua pietatis exercitia obieris; hæc omnia propter me.

Si quis rogaverit, cur ita cogites, ita loquaris, ita agas, ita patiaris, respondere poteris: Ita propter eum, qui dilexit me, et tradidit seipsum mihi.

Mirabile commercium Cordis mei, secreta et divina communicatio cum corde puro ac fideli, in hoc amoris Sacramento. Mundus non intelligit hæc.

Et quis capiat nisi innocens corpore et mundus corde? Hic cognoscet, hic experietur, hic denique ad superiora et interiora admissus, adhuc mirabilius vivet propter me.

3. Etenim de me assidue nutritus, mihique penitus unitus, tandem non nisi de me vivet: Spiritu meo spirabit, amore meo amabit.

Imo vero sicut me misit vivens Pater, et ego vivo per Patrem: ita ille, qui manducat carnem meam, et ipse eodem modo vivet per me.

Attende, fili, et intellige omne sublime hoc. Quemadmodum ego a Patre accipio, et in Patre indesinenter habeo divinum esse, et vivere, et perfectum esse: sic bene dispositus, per sanctam Communionem, accipit a me, ac continue in me habet sanctum esse, et vivere, et perfici.

Ego sanctus, quia Pater sanctus est: et qui mihi hic incorporatur, sanctitatem meam participat.

Ego vita de vita Patris: et qui mihi per Communionem unitur, vigore sancto vitæ meæ animatur.

4. Nonne, fili, ignis sibi immisso ferro aut ligno calorem suum et colorem communicat? At longe mirabilior ac perfectior in Sacramento communicatio inter me et animam rite comparatam.

Ipsa se mihi totam communicat, et disposita recipit communicationem non solum Humanitatis, sed etiam Divinitatis meæ, quæ, Humanitate mea desmente existere et agere in ipsa, continuat in ipsa operari, veluti cibus supersubstantialis, vitamque ejus spiritualem, vitam sanctam, non conservat tantum, sed et auget et perficit.

Imo facit, ut in beatam illam animam perpetuo influat Spiritus meus, ipsamque suaviter ac fortiter urgeat Cordis mei amor, quo incitata, se a Spiritu meo duci sinit; quin etiam quocumque Spiritus duxerit, eo concurrit alacriter, semper et ubique vivens in me.

Hac itaque ratione anima bene disposita, per sanctam Communionem, propter me vivit et per me. Sæpius sacramentaliter refecta, mihi tandem assimilatur ita, ut vitam meam in se exprimat.

Macte animo, fili, et hæc æmulare, ac diligenter conare, ut tam consolatoria, tam utilia, tam mihi et tibi in æternum gloriosa attingere possis.

5. *V. D.* O Jesu Domine, qui scis omnia, tu scis, quantum hæc desiderem, quantum cupiam.

Per sacratissimum Cor tuum obsecro te, principium et finis vitæ meæ, frequenter me, quem gratia tua genuisti filium, teipso in hoc Sacramento tuo nutri, ut vivam propter te.

Ecce, Domine, dono tuo vivo: sed ad quid vivo, si non propter te vivam?

O Jesu, fons vitæ, beatitudo indeficiens! evacui

me ab omni inordinata dispositione, ut totus a te replear, ac totus tibi vivam.

Quotiescumque ad me per sanctam Communionem veneris, si quid mundanum in me repereris, si quid alienum a Spiritu tuo, si quid contrarium Cordis tui beneplacito; extermina, quæso, ut cedat locum tibi, Spiritui et amori Cordis tui.

Libera me prorsus ab omni impedimento: igne divino amoris tui consume quidquid in me obstat, quominus sancte et perfecte tibi uniar, atque ita non amplius meus sed tuus, vivam penitus propter te.

6. Renova, sanctifica corpus et animam meam, ut tibi dedicata et a te animata, occupentur unice de te vel propter te.

Fac, oro, ut omnem occupationem propter te suscipiam et peragam, atque per illam frequenter, quantum licet, de te me occupem.

Da, ut statim ac fuero ab occupatione liber, mente et corde ad te ultro vertar, ut pondus, obice remoto, ad centrum suum properat.

Tu solus esto deinceps initium et finis omnium, quæ sive interius sive exterius agam aut patiar.

Hei mihi! Domine Jesu, quam diu, quam sæpe, licet nutritus a te et propter te, laboravi et sustinui, non propter te, sed propter inimicos gloriæ et honoris tui, amorem proprium et vanam superbiam!

Dimitte mihi, obsecro, hanc perversitatem, hanc injustitiam, hanc ingratitudinem magnam.

Et efficacem da gratiam, ut quod justissimum est et dignissimum, vivens de te, etiam propter te vivam.

7. O Jesu, amantissime et amabilissime Sponse animæ meæ! illumina me, inflamma me, ut te,

Vita mea sola beata, perfectius cognoscam, ferventius amem.

Agnosco, Domine, et fateor me non esse dignum, ut tollas me ad sublimitatem vitæ tuæ, quam Sanctis tuis communicare in Sacramento consuevisti: sed tu, Domine, dignissimus es, ut tibi serviatur sancte etiam a me, ad gloriam et gaudium Cordis tui.

Hanc igitur gratiam concede mihi benigne, ut per piam et frequentem Communionem eo usque pertingam, ut vivam ego, sicut tu.

Imo, vive tu, o Jesu, infinita dulcedo, æterna felicitas mea, tu vive, regna, triumpha in me, ad honorem tuum, ad omne id, quod Cordi tuo gratum esse potest.

Immoletur, sacrificetur tibi amore purissimo quidquid habuero, quidquid fuero: tu solus, dulcissime Jesu, vita mea: tu solus mihi omnia.

Imit. Chr. Lib. IV. c. 15.

CAPUT VIGESIMUM TERTIUM.

Sacrosanctum Cor Jesu per sanctam Communionem consummat unionem nobiscum, et nos in ipsum transformat.

1. *V. J.* Fili, qui manducat meam Carnem, et bibit meum Sanguinem, in me manet, et ego in illo.

Ecce unio consummata, qua ego, persona divina, corpore et anima inveniar in te, et tu, humana persona, corpore et anima in me inveniaris.

Hæc igitur unio vera et substantialis. Nemo enim est in me, nisi in ipso ego sim.

Ut si quis liquefactæ ceræ aliam infuderit ceram, alteram cum altera commisceat necesse est: ita cum Carnem et Sanguinem meum sumpseris, mecum sic conjungeris, ut tu in me, et ego in te sim vere et intime.

Nonne, fili, amoris mysterium hoc est? Imo et amoris excessus est; et vis et potestas amoris in Cor meum, ut hinc mortali detur, non corpori meo tantum, verum etiam animæ et ipsi Divinitati meæ penitus adunari, illisque dulciter frui

Quantum hoc mirantur Angeli! quantum stupent! quam felicem te prædicant!

2. In hoc sancto consortio profundit Cor meum suavem illam et pretiosam gratiam, qua unio hæc consummata perduret, ita ut maneam ego in te, et tu in me.

Etenim consumptis etiam speciebus sacramentalibus, ego personaliter, quatenus Deus, maneo in te, non solum ut vivens in vivo templo, gratia habituali ornato, sed etiam ut perpetuum principium supernaturalis sanctitatis, vitam tuam elevans continuo influxu gratiæ sanctificantis, frequentique infusione multiformis gratiæ actualis: atque ita tu vicissim in me modo peculiari manes.

Hinc fit, fili mi, ut vitam vere sanctam, vitam quodammodo divinam vivere possis; cum et in corpore et in anima tua semper habeas Divinitatem meam, unde vivas.

Hæc autem manens unio inter me et te erit perfecta, cum fuerit inter me et te vera similitudo, vera uniformitas: dissimilia enim et differentia non nisi difficile et imperfecte sibi uniuntur.

Beata unionis manentis perfectio! Beatus tu, fili, si per frequentem devotamque Communionem,

per multiplicem gratiam inde receptam, per generosam fidelitatem, per constantem amoris fervorem, te ad hanc perfectam unionem disposueris!

3. Quid enim ex unione perfecta, nisi unitas? Ergo non jam duo, sed quodammodo unum quid erimus.

Hæc unitas mirabilis, dulcisque, et beatifica hoc commendatur maxime, hoc alias omnes, ex creatis objectis coalescentes, excellit, quod non ex utriusque nostrum confusione aut compositione, verum ex alterius in alterum transformatione fiat.

Non autem tu me in te mutabis, sicut cibum naturalem: sed tu mutaberis in me.

Tunc, fili, affectiones cordis tui non jam erunt tuæ, desideria tua non amplius erunt tua, gaudium tuum jam non tuum.

Quas autem habueris inclinationes naturales, et quos alios affectus secundum hominem, isti, pro hac vita transformata, erunt quasi non essent: quoniam his non vives.

Vives vero in hac vita nova vitam meam: affectiones et inclinationes Cordis mei, jam affectiones et inclinationes tuæ: amor Cordis mei, desideria, gaudium, jam amor tuus, desideria tua, gaudium tuum.

Aversio Cordis mei a malo, a mundo, ab omni vano, pervadet cor tuum et replebit.

Zelus immensus, quo ardet Cor meum, pro divina gloria et honore, ac pro salute et perfectione animarum, cor tuum inflammabit.

Quæ amara sunt, experieris dulcia; insipida reperies sapida; difficilia invenies facilia in ipso, in quo vives et poteris omnia.

Senties de rebus omnibus, sicut ego sentio;

voles sicut ego volo; vives sicut ego vivo: imo vero vives, non jam tu, sed ego in te.

4. Ecce, fili, altitudinem, ad quam anima fidelis per sanctam Communionem sublimatur! Ecquis nisi expertus capiat omnia sancta, omnia suavia, omnia mirabilia animæ sic in me transformatæ!

Multi vocati ad hanc supernaturalem transformationem, pauci vero electi: non eo quod vocatos eligere nolim, sed propterea quod se per gratiam datam non disponant.

Quot enim sunt, qui, etiamsi frequentent sanctum Sacramentum, in rebus tamen plerisque omnibus naturam sequi pergunt!

Quot etiam, qui satis sollicite se in statu gratiæ servare nituntur, atque hoc contenti, ita naturæ serviunt, ut actus suos ex inclinatione aut aversione naturali perficiant!

Quot denique, qui, licet piam vel etiam religiosam vitam profiteantur, multosque in ea transegerint annos, naturam transcendere nondum didicerunt!

Quid ergo mirum, hos omnes semper remanere imperfectos, semper miseros, semper indispositos, ad unionem illam divinam et perfectam!

5. Ipsi vero, qui dispositi hunc statum transformatum attigerunt, quanta felicitate fruuntur! quam sancta libertate gaudent! quanta puritate dulcedinem meam gustant!

Hinc omnia peritura spernunt, seipsos obliviscuntur, consummati in me manent et beati.

Maxima beatitudo, fili, maxima elevatio, maxima perfectio, ad quam homo attollatur in vita mortali, hæc est, ut in me transformatus maneat et consummatus.

Mirabilis, imo et ineffabilis status, in quo mea tua sunt et manent, et tua mea, et in quo unitas ac communitas inter me et te jugiter firmantur.

Eia, fili, noli tantæ perfectionis amittere fiduciam, sed audita conditione tam beata, animosior esto, generosior esto, fidelior esto: ita, tempore convenienti, tollam te ad me.

6. *V. D.* O Jesu, amor meus, purissime Sponse, Deus sanctissime! quanta dulcedine mecum agis, qui tam sæpe et tam benigne ad me venias in hoc mellifluo Sacramento tuo, ut me miserum unias tibi, sacrosanctæ Humanitati tuæ, et adorandæ Divinitati!

Per amorem Cordis tui, quo me tali favore dignaris, oro et obsecro, igne divino consume quidquid in me fuerit istius unionis perfectioni contrarium, fervoremque accende magnum, ut generosus sim et fidelis singulis gratiæ motibus, ad transcendendum omnia mere naturalia, et ad puras virtutes exercendum.

Tu scis, Domine, quanto, per bonitatem tuam, tenear desiderio me magis semper magisque disponendi ad unionem tecum perfectam et permanentem.

Ecce tibi offero, tibi trado quidquid sum: trado tibi cor meum, ut uniatur tuo: trado tibi spiritum meum, ut absorbeatur a tuo: trado me totum, ut efficaci gratia Sacramenti tui reddar similis uniformisque tibi.

Accipe me, o Jesu, accipe me: uni me tibi penitus: absorbe me totum: transforma me in te.

7. O quam magna et mira vis amoris tui, quo animam in teipsum transmutas! quanta bonitatis tuæ dignatio! quanta quoque dignitas et magnitudo animæ in te transformatæ!

O Domine Deus meus! en umquam sic te frui licebit mihi? O liceat, quæso! omnis honor et gloria tam felicis, tam gratuiti favoris erunt Cordi tuo, bonorum omnium fonti.

Desinam ego esse quod sum, ut incipiam esse quod tu es, Domine Jesu! tu solus vivas in me cum tuo amore, cum tuo Spiritu, cum inclinationibus tuis et dispositionibus omnibus, cum beneplacito tuo pro tempore et æternitate.

Imit. Chr. Lib. III c 5.

CAPUT VIGESIMUM QUARTUM.

Sacrosanctum Cor Jesu per sanctam Communionem nobis donum perseverantiæ largitur.

1. *V. J.* Fili, qui manducat hunc panem, vivet in æternum.

Quidni perpetuam agat vitam? habet enim in se perpetuum, semper vitale, principium, quod vitam gratiæ in terra continuat, donec ad vitam gloriæ pervenerit in cœlum.

Intelliges pretium hujus salutiferi Communionis fructus, et ejusdem amore flagrabis, si attenderis magnitudinem doni, quo in vita gratiæ perseveratur.

Perseverantia, fili, virtutis consummatio, custodia meriti, triumphus ultimus et permanens, laborum perpessionumque merces secura, gloriæ sempiternæ corona.

Sine perseverantia, cætera, quæcumque fuerint, æterno carent præmio et fructu: sola perseverantia probat et coronat omnia.

Atque ideo Sancti omnes circa magnum hoc donum præcipue solliciti fuerunt, ut, cum id con-

digne mereri non possent, ei certe nullum offerrent impedimentum, atque per data media diligenter se disponerent.

Ita tu, fili, remotis obstaculis, sollicite te disponas: ac, sicut illi, tu per sanctam Communionem præstantissimum perseverantiæ donum obtinebis.

2. Hoc statui in Corde meo, fili, ut Eucharistia, Sacramentum maximum, maximam gratiam. — perseverantiam suppeditaret.

Et profecto, cum in Sacramento meipsum tibi dedero, unde quidem Majestas Divinitatis humiliari videatur; quomodo non darem perseverantiam, unde Divinitatis gloria extollatur?

Itaque licet ex teipso debilis sis et multas habeas miserias, tantas hic ex Corde meo accipies tibi vires, ut incolumis ad terminum tuum pervenire valeas.

Si enim Propheta fortitudine cibi, Sacramenti tantummodo figuræ, pervenit ad montem Dei, quanto magis fortitudine vere vivifici, vere divini cibi poteris pervenire usque ad altitudinem collium æternorum?

Leva oculos tuos, et vide, quam multi, non minus debiles per se et infirmi quam tu, jam illuc pertigerint salvi. Erige animum, et alacriter procede.

3. Noli inordinate timere quidquam, fili: mihi enim unitus, a casu efficaciter ac facile cavere poteris.

Unde initium ruinæ nisi a tepore? Anima enim tepore languente, necesse est spiritualia fieri insipida aut ingrata, et naturam, quæ sua sunt, appetere et quærere.

Tunc ex naturæ propensitate homo negligere custodiam facultatum animæ corporisque sensuum incipit, atque etiam, ad cor deficiens recreandum, eis liberius indulget, eosque subinde illecebris peccati, primum quidem non sine trepidatione quadam, postea vero gradatim audacius exponit.

Atque hinc tribus passibus in perditionem labitur. Primo enim, agit incautior, donec se in proximo peccandi periculo invenerit: secundo, non satagit enixius orare divinamque implorare gratiam, ut aufugiat periculum, ut non succumbat: tertio, solus et inermis in medio hostium intus et foris conspirantium, ludit quodammodo cum monstro larvato, cum ecce obruitur, et cadens prolabitur in abyssum.

4. Per quid, fili, tanta mala avertes securius et facilius, quam per salutiferum Sacramentum, quod te mihi conjungit, amorisque vinculo colligat, et te virtutis meæ reddit participem?

Quid tam aptum ad teporem ab anima tua arcendum, quam frequens ac pia Communio, per quam fervor amoris divini ingreditur pervaditque te totum?

Imo vero si quod teporis principium, per Communionum intervallum, apparuerit, hoc amovet nova et devota Sacramenti susceptio, pristinumque restaurat fervorem. Non enim æstus et frigus, fervor et tepor simul in corde commorantur.

Quin, fili, Communio sancta totum hominem ad interiora revocat, omnesque animæ facultates et sensus corporis recolligit, ad sacrum convivium mihi concelebrandum in pace et gaudio.

Huc autem non trahit corruptæ naturæ propensitas, verum ipsa compescitur in hoc divino

mysterio, quod passiones animæ sedat et inordinatos membrorum motus componit.

Hic deliciæ cœlestes desiderium sui augent, dum satiant: mundana autem oblectamenta, si qua fuerint ante percepta, ita sui fastidium generant, ut appetitus eorum vilis et indignus videatur.

Sæpius itaque per Communionem renovatus spiritu, in me recollectus, propria cordis tui experientia doctus, capies, quantum tenearis, quantique tua intersit, te esse fidelem.

Idcirco per Communionum interstitium cautus esse conaberis, ne ultro te objicias periculo. Quodsi umquam in periculo necessario vel improviso te reperieris, ex familiarite mecum consueta, quam in Communione didiceris et usque foveris, illico ad me recurres, orans, supplicans, diffidens tibi, mihi fidens, nitens quantocius aufugere periculum, teque mihi arctius unire.

Sic agens, fili, super aspidem et basiliscum ambulabis, et conculcabis leonem et draconem, et omne monstrum peccati evades, ac tandem ad finem pervenies salvus et illæsus.

5. Itaque, fili, nisi sæpe vescaris Carne mea et Sanguine meo in Sacramento, atque Sacramenti gratiæ satis coopereris, in vita supernaturali non perseverabis.

Verumtamen hæc ipsa cooperatio per frequentem Communionem facilis redditur ac suavis, propter peculiarem gratiam ad eum finem in Sacramento datum, ac propter specialem ex Corde meo infusum amorem, quo alleviantur et dulcescunt omnia.

En igitur, quomodo donum donorum, perseverantiam finalem tibi per frequentem, piamque, et sanctam Communionem obtinere possis.

Agedum, fili mi; res summi momenti tibi est:

magnanimus esto et fortis, ut Cordis mei discipulum decet. Mediis utere fideliter: tene te mihi constanter unitum: ita tibi assequeris bona illa immensa et pretiosa, quæ sanctam perseverantiam modo comitantur, et in æternum consequentur.

6. *V. D.* Quam immensa, Domine Jesu, quam pretiosa sunt illa bona! Tanta sunt, ut pro illis Sancti tui libenter dederint cætera omnia, atque illorum dulcedinem gustantes, sæpe præ nimia felicitate sua lacrymati sint.

Quomodo igitur velim adeo beatifica cum peccati infortuniis commutare? quomodo velim charitatem, amorem tui, pro amore inimici felicitatis meæ relinquere?

Non enim amittam illa, quæ charitatis effectus sunt et fructus, nisi relinquam, nisi e corde meo expellam charitatem ipsam. Per se enim charitas numquam excidit.

Tu prior dilexisti me, optime Jesu! tu prior venisti: at ecce non recedes prior: non relinques me, nisi ego prior reliquero te. Tam benigna est Cordis tui bonitas!

O Jesu, ne patiaris, ut te relinquam. Sine te, quid mihi nisi tenebræ, et luctus, et angor, et amaritudo, et miseria, et mors perpetua?

Oh! ne tanta mihi mala permittas. Da, Domine, da, ut unitus tibi, quavis morte corpore moriar potius, quam ut amittam te, vitam animæ meæ, et bonorum omnium fontem.

Per Cor tuum, per Cor Virginis Matris tuæ, per quidquid tibi gratum est in cælo et in terra, oro te et supplico, largire mihi perseverantiam: concede gratiam, adde animum, ut datis a te mediis efficaciter utar.

7. Ego quidem debilis sum, Domine, et infirmus: sed tu omnipotens es, ac bonus. Fortifica me igitur et auxiliare mihi. Esto mihi in Deum Salvatorem, et Cor tuum in domum refugii, ut salvum me facias.

O Jesu, Pastor bone, propter nomen tuum deduc me, et enutri me teipso, et aqua viva e Corde tuo scaturiente refrigera me, ut alacriter te sequi pergam.

O Jesu, Medice cœlestis, miserere mei, cura frequentes languores meos, resarci defectus meos, redde vigorem, ut non deficiam in via.

O Jesu, Præceptor meus, doce me facere voluntatem tuam: dirige viam meam usque ad finem.

O Jesu, Dilecte mi, recrea me; consolare me in afflictionibus, adjuva me in difficultatibus, incita me, urge me ad procedendum et perseverandum.

O Jesu, Sponse divine animæ meæ, tene me tibi: trahe me post te: ecce voluntarie tractus curram virtute tua: curram indefessus ad securam æternamque possessionem tuam.

Imit. Chr. Lib. III. c. 59.

CAPUT VIGESIMUM QUINTUM.

Sacrosanctum Cor Jesu per sanctam Communionem nobis dat pignus futuræ gloriæ.

1. *V. J.* Qui manducat meam Carnem, et bibit meum Sanguinem, habet vitam æternam: et ego resuscitabo eum in novissimo die.

Ecce, fili, mysterium magnum, sed mysterium magnum amoris, mysterium magnum consolationis.

Hic enim in sanctissimo Sacramento et phar-

macum immortalitatis, et resurrectionis symbolum accipis.

Hinc fit, ut non solum anima, per me vivificata et sanctificata, perveniat ad vitam in perpetuum beatam, sed etiam corpus corruptibile et obscurum vivifico ac glorioso Corpori meo unitum et incorporatum, immortalitatem ac gloriam æternam consequatur.

Itaque, non propter gratiam sanctificantem tantum, sed et nova quadam ratione, propter sanctam Communionem, et animam tuam in æternum lætificabo ac beabo, et corpus tuum reformabo, ac configuratum Corpori meo, dotibus gloriosis peculiariter ornabo.

En, fili, lætissimus et mirabilissimus Communionis fructus, qui cæteros omnes complet ac coronat.

2. Fili, cum Cordis mei bonitas omnem magnificentiam suam ostendere vult, ecce cæteræ qualitates ejus virtutesque omnes præsto sunt, concurruntque, et laborant ad rem nobilitandam et perficiendam.

Porro in sancto Eucharistiæ Sacramento amor Cordis mei decrevit munificentiæ suæ magnitudinem ita manifestare, ut fructus ejus gloriosissimi perdurarent in omnem æternitatem.

Noli itaque mirari, si hoc mysterium tot ac tantis abundet prodigiis, tot ac tantis affluat bonis: si totum sit sublime, totum sanctum, totum dulce, totum consolatione plenum.

Maximum quidem miraculum tibi hic promittitur, te non anima tantum, sed corpore etiam victurum esse per æternitatem omnem; at minus est quam quod propter te jam factum est. Minus

quippe est, hominem in æternitate vivere, quam Deum in tempore mori: minus est, hominem suscitari ad vitam gloriosam in cœlo, quam Deum ad vitam absconditam demitti in Sacramento.

Et quomodo non resurgat membrum, cum resurrexerit caput? Et quomodo non vivat in æternum, qui æternam vitam habet in semetipso? Itaque cum ego apparuero, vita tua, tunc apparebis et tu mecum in gloria.

3. Ecce, fili, hujus gloriæ sempiternæ pignus in Sacramento habes, pignus, non qualecumque, sed tantum valens, quantum promissum.

Vide igitur, quantam futuræ beatitudinis tuæ certitudinem, a parte sua, præstiterit tibi Pater cœlestis, qui tali modo dederit Unigenitum suum Filium, obsidem!

Quod autem gaudium tuum et consolationem penitus complere debet, ex hoc ipso pignore abundanter habes, unde dulcissimam certitudinem illam non reddas a parte tua incertam.

Quid itaque restat, fili, nisi ut gratus sis et fidelis, ut Cordis mei bonitate læteris, ut fruaris effusis tibi bonis, ut quotiescumque me susceperis, gaudens recorderis beatitudinis æternæ, cujus pignus possideas, qua anticipata fruaris?

Cum venerit quod promissum est, cessabit usus Sacramenti, et non jam anticipatam beatitudinis participationem habebis, sed ipsam beatitudinis plenitudinem possidebis, et in ipsam intrabis, et penetraberis ab ipsa.

Tunc fides locum cedet visioni, spes perfruitioni: charitas autem manens prorumpet in gaudia sempiterna. In illa beatitudine tua non spirabis nisi amorem, non loqueris nisi amorem, non

agitabis nisi amorem: eris enim in puro amoris regno.

4. Ad regnum amoris ducit amoris Sacramentum: quanto amor hic melius nutritus fuerit perfectiusque in corde tuo exarserit in tempore; tanto magis ibi te rapiet, et in te splendebit gloriosius in æternitate.

Itaque, fili mi, donec declinent umbræ mortalitatis, et immortalitatis veniat dies, amore vive resignatus; amore puro cresce pacificus.

Omnia quæcumque circumspicis, sive prospera, sive adversa, eodem puri amoris oculo intuere, unice intentus, inter hæc universa, mihi, in quo habes vitam, et resurrectionem, et beatitudinem.

Si vitam mortalem, miseriis gravem senseris, scito, te tanto melius gustaturum esse felicitatem futuram, quanto præsentis vitæ miserias magis expertus fueris; teque eo suavius quieturum esse super pectus meum in cœlo, quo duriora amore mei pertuleris in mundo.

Interea, fili, alacris esto et fortis: refice vires animosque vivifico Sacramento: amore mei mane conformatus beneplacito meo, vivens et moriens.

5. *V. J.* O bonitatis excessus! O Jesu, quis in hac vita comprehendat, quale Cor tu habeas!

Ecce tu teipsum mihi das in Sacramento, ad mihi suppeditandum omnia desiderabilia in tempore, atque simul tradis mihi teipsum, pignus æternæ beatitudinis, quam gratuita liberalitate mihi promisisti.

Gratias tibi, optime Jesu, gratias perpetuas, propter tantam Cordis tui charitatem.

Totis præcordiis gaudeo ob tantum ac tam pretiosum donum, adeo amanter et suaviter datum,

quo salutis æternæ fiduciam mihi præstas dulcissimam.

Oro, Domine Deus meus, oro suppliciter, ut efficacem mihi largiaris gratiam, ut electio mea ad gloriam cœlestem, a parte tua tam certa, et tam divine pignerata, non evacuetur a parte mea, sed per fidelitatem, bonaque opera, et vera merita fiat certa vicissim.

6. O omnium dulcissime Jesu! quanto fervore et alacritate debeo tibi servire, quanto animo duras perambulare vias, quanto amore tibi adhærere, ut ad illa perveniam gaudia ineffabilia, quæ hic prægusto, ac quorum tanto fruor pignore!

Ah Jesu, Dilecte mi, purissime Sponse animæ meæ! si tam suave est, te frui in exilio, quid erit in patria? si consolationes tuæ tam dulces sunt in Sacramento, quid erunt in regno tuo? si, dum hic velatus es, amplexus tui ita cor rapiunt, quid tandem efficient, cum te facie ad faciem videbo, cum recumbam super Cor tuum, et de torrente deliciarum tuarum satiabor et inebriabor?

O mi Deus! quando hæc cogito, omnia quæcumque reperio in terris, onerosa mihi fiunt et tædiosa.

Vita ipsa amittit omne delectamentum, cum nihil in ea mihi penitus satisfacere, aut plene me satiare possit.

Sed et ipsæ consolationes tuæ, et ipsa dulcedo tua me afficiunt pœna quadam mirabili et ineffabili; quia faciunt me clarius cognoscere, et ardentius sitire teipsum, fontem omnis consolationis, et dulcedinis omnis.

Teipsum, o Jesu mi! teipsum sitio: te apertum videre desidero: te sine specie in gloria tua

contemplari cupio: amore æterno frui te opto et ardeo.

Veni ergo, amor meus, veni: combure me: consume me: dissolve me, ut sim tecum, o unicum desiderium meum, unicum bonum meum!

Imit. Chr. Lib. IV. c. 11.

CAPUT VIGESIMUM SEXTUM.

SUMMA.

Sacrosanctum Cor Jesu nobis omnia.

1. *V. J.* Cor meum, fili, quod in sanctissimo Sacramento pignus futuræ gloriæ possides, quodque in cœlo beatitudo tibi erit, interea, dum moraris in terra, tibi omnia.

Est enim totum cum omnibus, quæ habet, tibi, et usui, et fructui tuo deditum.

Cor autem hoc, cum natura humana constet, humanum quidem est, adeoque erga te humane sentire potest, at cum naturæ divinæ sit hypostatice unitum, simul divinum est, Cor divinæ personæ est, divina proinde et infinita possidet.

Ecce ergo bonorum omnium fontem, usque patentem, usque scaturientem, ex quo haurire semper, quem exhaurire numquam potes.

Hic, fili, hic reperies omnia quæcumque tibi necessaria, quæcumque tibi utilia sunt.

Si quando spiritu deferbueris, hic accenderis, hic spiritu renovaberis, hic vigorem internum recipies.

Si deliqueris, hic misericordiam consequeris, hic veniam obtinebis, hic pacem recuperabis.

Si debilitate langueas, hic reficieris, hic fortificaberis, hic virtute divina roboraberis.

Si opus habeas consilio, vel animo, vel auxilio, hic abundanter impetrabis.

Si quam gratiam divinam, si quem favorem utilem, si quam consolationem genuinam desideres, hic invenies.

Quidquid denique ad veram felicitatem tuam inservit, hic, quovis tempore et quovis loco, in sanitate et in morbo, in vita et in morte, obtinebis.

2. Cor meum, fili, etiam in Sacramento, tibi virtutum omnium et omnis sanctitatis exemplar. Contemplare oculis fidei, ama, imitare Cordis mei virtutes, omnes ad unitatem reductas, et tamen singulas permanentes. Unus amor continet, nobilitat, exhibet omnes.

Vide hic suavitatem amoris Cordis mei, humilem mansuetudinem ejus. Ecce hic vere Cor Dei absconditi, exinaniti: at quousque exinaniti! Quanto profundius meditatus fueris, tanto profundiorem humilitatis abyssum reperies, ac tanto melius percipies magnitudinem benignitatis, qua Cor meum tanta subit sustinetque amore tui, semper mansuetum, semper mite erga omnes.

Vide pietatem. Considera, quomodo Dei Patris servitio se devoveat: quomodo commodis ejus se consecret: quomodo iis, quæ beneplaciti ejus sunt, semper occupetur.

Vide paupertatem. Intimum hoc Cor inspice, quæ sint sensa ejus erga mundi hujus bona. Inspice, quomodo iisdem utatur. Inspice, quomodo rebus congruis careat. Ecce hic sanctæ paupertatis forma.

Vide puritatem. Imo, fili, vide et observa, quomodo corpus, spirituale quodammodo factum, habeat, ut radium solis, semper et ubique purum: vide et observa, quo modo utatur sensibus: vide et observa, quam sanctæ affectiones ejus omnes. En speculum puritatis.

Vide obedientiam. Vide et stupe, fili. Ecce enim ad vocem meræ creaturæ, ad verbum sacerdotis, præsto sum Corde ad omnia parato: et etiamsi sacerdos loquatur turpis lucri gratia, imo etiamsi sacerdos sit improbus, simul ac protulerit sanctæ consecrationis verba, adsum ad quælibet Corde dispositus. In quocumque loco ponar, in eo quiesco Corde resignato. Quomodocumque etiam tracter, licet non insensibilis, beatus tamen sum ac maneo. Hæc, fili, perfectæ obedientiæ norma.

Vide prudentiam. Examina devote, quantam in sancto Tabernaculo te doceat prudentiam exemplo, in mediis ad finem eligendis et applicandis: quantam in sociis habendis, cum semper inter Angelos versetur: quantam, in affectibus sive inclinationis sive aversionis manifestandis.

Vide justitiam. Intuere, quomodo ad Deum, cui omnia debentur, referat sacramentalem vitam suam, occupationesque omnes. Scrutare et nota, quanta fidelitate omnia, parva et magna, ad divinam gloriam dirigat.

Vide fortitudinem. Attende virtutem in ferendo, æquo invictoque animo, gravia quæque, cum a parte infidelium, et peccatorum, et tepidorum, et ingratorum omnium, tum a parte locorum, in quibus relinquitur, aut negligitur, aut etiam indigne tractatur: in persistendo in divini amoris cœptis, invita oppositione et adversitate quacumque: in

utendo ipsis rebus adversis ad amorem erga Deum et erga homines exhibendum puriorem.

Vide moderationem seu discretionem. Discernit enim inter hominem peccantem et peccatum hominis. Hominem opus Dei, peccatum vero hominis opus esse sciens, destruere peccatum, hominem autem salvare desiderat et quærit, indefessa cum patientia. Discernit inter naturam et gratiam, inter rerum speciem et veritatem. Discernit inter bona et bona, atque ea ut meliora probat, quæ divina voluntas actu requirit aut mavult.

Vide zelum. Flagrat hic animas salvandi desiderio, omnes captans occasiones, ac mire laborans. Ad hoc diu noctuque fundit orationes: ad hoc longanimitatis, misericordiæ, virtutis omnis præbet exemplum: ad hoc multis variisque modis animabus loquitur: ad hoc nunc inspirat et movet, nunc premit et urget. Ita hic omnibus possibilem, amantibus facilem docet zelum.

Vide generositatem. Vide, quæ det, ac qua hilaritate: dat ecce gaudenter non solum quod habet, sed etiam quod est; non solum gratias, sed etiam merita sua, atque seipsum super omnia. Vide, quæ sacrificet, ac qua amoris nobilitate. Vide, quam consolationem sentiat, cum ad divinam gloriam cor humanum consolatur.

Vide perseverantiam. Hic in sanctitate transigit annum post annum, imo seculum post seculum. Huic compara tuæ perseverantiæ tempus per breve vitæ spatium. Perseverat, non ut tu, modo tepescens, modo refervescens, sed eodem semper fervore. Perseverat cum gaudio, quia ex amore perseverat.

En, fili, corona sanctitatis, corona constella-

tionum duodecim, complectentium omnes virtutum stellas, quibus ornatur Cor meum, et in quibus singulis amor est micans et splendens.

Amor enim Cordis mei est, qui humilis, qui mitis, qui pius, qui expeditus, qui purus, qui obediens, qui prudens, qui rectus, qui fortis, qui discretus, qui zelo fidem, spem, charitatem promovens, qui generosus et omnia nobilitans, qui usque perseverans est.

3. Denique, fili, Cor meum via, et dux, et ostium cœli.

Via tutissima, quam sequens errare non poteris: via brevissima, quia rectissima: via amœnissima et facillima, quia via amoris est: via demum, qua omnes Sancti mei ambularunt, et qua, quicumque ambulat, sanctus fiet.

Dux, qui te in omni occasione proteget, et ab omni periculo defendet: qui te multiplici gratia juvabit, et ipso pane Angelorum reficiet: qui te recreabit et sanctificabit spectaculis mysteriorum meorum, per quæ te ducet, quibusque mentem et cor tuum jucunde simul et sancte occupatum tenebit, procedens de mysterio in mysterium, de virtute in virtutem, de sanctitatis gradu in gradum, donec perveneris ad regnum cœlorum.

Ostium, præter quod non est aliud, quo in cœlum admittaris: ostium, per quod solum ingressus datur: ostium, per quod si quis introierit, salvus erit et beatus in æternum.

Cave igitur, fili, ne audias dicentes, altiorem melioremque viam esse animabus perfectioribus, viam, non Cordis mei, sed meræ Deitatis, viam quæ, Humanitate mea neglecta vel prætermissa, te per solam Divinitatem sublimiter ducat ad finem.

Quicumque id tibi dixerit, sive homo fuerit, sive Angelus, huic credere, huic fidere noli.

Etenim per Humanitatem meam ad homines veni: et per eamdem Humanitatem homines ad me venire debent.

Qui aliam tentaverit viam, aberrabit: vagabitur mente arida et sicco corde: interna occupatione et recreatione sæpe destitutus fatiscet; imo prorsus deficere tandem periclitabitur.

Tu autem, fili, memor esto Cordis mei, in quo reperies omnia. Hic me frequenta: hic sæpe coram me esto: hic ora, gratias age, lauda, verba mea audi, meditare Cor meum: contemplare me tecum manentem, tibi omnia offerentem.

Eia, fili mi, adhuc modicum, et super Cor meum quiesces securus in æternum. Interea occupa te de me, et ego de te me occupabo.

Tene te paratum: ecce enim veniens veniam, et tollam te apud me, in regnum meum sempiternum.

4. *V. D.* Imo, amantissime et amabilissime Jesu! donec veneris, memor ero Cordis tui semper: in ipso vivam, in ipso de te occupabor, in ipso me paratum tenebo.

Quomodo umquam oblivisci possim Cor istud, cui omnia debeo, et in quo reperio omnia?

Ecce, o infinita dulcedo! amodo Cor tuum mihi requies, mihi vera beatitudo.

Tanto securius, tutiusque, et suavius hic quiescam, quanto tu, Domine Deus meus, sapientior es, ac potentior, ac dulcior.

Si mundus insidiatur, si diabolus tentat, non turbabitur cor meum, quoniam in pace factus est locus ejus, quoniam habitat in adjutorio Altissimi, in ipso Corde tuo.

O anima mea, in Corde Jesu quam intime eris unita Deo tuo! quam perfecte præsens ipsi! Ibi cum ipso semper: et in ipso vives beata, intuens eum, non figuratum, sed infusum; amans eum, non apparentem, sed afficientem; possidens eum, non tentum, sed te possidentem.

In hoc purissimarum deliciarum paradiso continua felicitate affluens, jugiter fruens bonis Cordis Jesu, Domini Dei tui.

O Cor Jesu mei! Cor Dei mei! verum cœlum, æterna requies Electorum omnium! tantum detur mihi, ut semper in te habitem, te fruar; nec quidquam in terra deerit beatitudini meæ.

Tu namque præsidium et securitas te incolentium: tu præmium et gloria in te perseverantium: tu gaudium et dulcedo te fruentium.

In te lumen mentis, fortitudo cordis, animæ salus, sanctitatis perfectio, consummatio beatitudinis.

O Cor Dilecti mei, in quo sunt infinite plura et meliora, quam quæ animus intelligere, aut cor capere potest, cur extra te quæram bona? Ecce in te sunt bona omnia.

5. Itaque, optime Jesu, in Corde tuo mihi vita beata: et utinam non nisi in Corde tuo mors me inveniat! Utinam ibi tandem reddam spiritum meum!

Imo faciat amor tuus, ut in Corde tuo amodo vivam vitam quasi mortuam, qualem tu in Sacramento vivis!

Quæ mors hac beatior? quæ quies comparabilis huic? Ecce hæc quies mea in morte, qua rebus omnibus expediri, et in te et propter te solum vivere amore puro desidero.

O Jesu, vita mea et omne bonum meum! ita semper perfecte mortuus, vivam tibi adeo pure, ut, cum mortalis vitæ venerit finis, non mihi restet, nisi ut expirem quietus super Cor tuum!

Ultimum suspirium meum sit suspirium Cordis tui expirantis: suspirium resignati amoris puri! moriar amore, ut tu mortuus es! moriar puri amoris holocaustum in Corde tuo consumptum!

Nonne, Domine Deus meus, hæc mors erit quies beata, dulcis somnus, quo obdormiam super Cor tuum in terra exilii, ut expergiscar super Cor tuum in regno gloriæ, et quiescam securus, et gaudeam in æternum?

Sic, o sic, Jesu meus et Deus meus! sic opto: sic oro te, o unicum desiderium meum, summum bonum meum!

6. O Cor Jesu! tu nec nominari potes, quin accendas: nec cogitari, quin consoleris: nec repræsentatum videri, quin recrees: quid ergo erit, te sine velamine contemplari, te in veritate amplecti, de tuis gaudiis æternis satiari?

O beatitudo incomprehensibilis, vita felicissima, vita sine fine, sine vicissitudine, vita ab omni incommodo libera, plena bonis omnibus! quantum tui memoria delector! quantum tui desiderio flagro!

Appare, appare, o Jesu, felicitas consummata! intrem in gaudia tua, Domine! associer choris Angelorum Sanctorumque omnium, et cum ipsis incipiam amoris Cordis tui canticum sempiternum!

O beatitudo super omnem beatitudinem! in æternum et ultra contempler te, amem te, fruar te, ad honorem et gaudium Cordis tui, o Jesu, o Deus meus et omnia!

Imit. Chr. Lib. III. c. 21.

MEMENTO.

Quisquis es, memento, quantum Jesus ipse devotionem erga sacratissimum Cor suum commendatam velit. Apparens enim Ven. Margaritæ Mariæ, „Hanc devotionem, inquit, commenda ecclesiasticis ac religiosis, ut medium efficax perveniendi ad sanctitatem, ad status eorum perfectionem: commenda laborantibus pro salute animarum, ut certum adminiculum ad movenda corda, vel durissima: commenda denique fidelibus universis, ut solidissimam devotionem, et aptissimam ad passiones eorum vincendas, ad pacem consequendam, ad eradicandos defectus, ad divinum ferventemque amorem obtinendum, ad brevi attingendam perfectionem magnam. Affluenter divitias suas effundet Cor meum super omnes, qui se illi devoverint.“ *(Apud. Auctor. Mens. S. C. J., A. M. D. G. op. ab Archiep. Paris. approb.)*

„Hæc devotio, ait S. Alphonsus, tota est praxis amoris erga Jesum. Hic autem amor est devotio devotionum omnium. Jure ploratur, multos esse Christianos, qui varia pietatis exercitia obeunt, sed hanc devotionem eximiam negligunt: jure ploratur, multos prædicatores inveniri ac confessores, qui plurima pietatis exercitia inculcant, sed vix aut ne vix quidem loquuntur de hac devotione, quæ tamen Christiani cujusque prima esse debet. Ex hoc neglectu fit, ut animæ tam parum in virtute proficiant, in iisdem defectibus vivere pergant, etiam in peccata gravia relabantur.“ *(Introd. in Nov. S. C. J.)*

Merito igitur exclamat illa Sacri Cordis Sponsa: „Quare non possum notos facere toti mundo the-

sauros gratiarum, quæ in Corde Jesu reconditæ sunt, quasque ipse vult illis copiose profundere, qui ei devoti fuerint! Hac devotione intendit animas ab interitu servare, atque in illis statuere regnum *amoris sui, qui nullam earum, quæ ei consecratæ fuerint, perire sinet.*" *(Ven. Marg. M.)*

EPILOGUS.

1. En, Domine Jesu, per novum beneficium tuum, quod aliis iisque innumeris addidisti, persolvi quod, ad ipsam mortis januam, Cordi tuo vovi: at quam imperfecte id præstiterim, tu novisti, qui es donorum tuorum æstimator perfectus, ac perfectus cognitor ingratitudinis meæ. O Jesu mitis et humilis Corde! per illam ipsam Cordis tui bonitatem, qua mihi adeo indigno tanta largitus es bona, oro et obsecro, ut omnem defectum et omnem ingratitudinem meam condonare digneris.

2. Fretus bonitate Cordis tui nota, debitum hoc meum, opusculum utrumque imperfectum, tibi, optime Jesu, offero, enixe supplicans, ut id velis admittere, eique benedicere, et ei infundere sanctam Cordis tui unctionem, qua fiat sapidum et efficax medium ad corda tibi attrahenda et purificanda, ad ea virtutibus tuis adornanda et tua sanctitate perficienda ad ea denique tibi unienda, et in te consummanda, ad tuam gloriam sempiternam.

3. Coram te, Domine Deus meus, prostratus, oro te instanter pro omnibus, qui hoc opusculo usuri sunt. Speciales uberesque pro illis peto gra-

tias, ut sint vere Cordis tui discipuli et apostoli, mites et humiles corde, utque apud te recordentur mei, qui non sum dignus vocari discipulus, multo minus apostolus Cordis tui, orentque te pro me, ut salvem et sanctificem pauperem animam meam per Imitationem Sanctissimi Cordis tui.

4. Hanc ipse efflagito gratiam, Domine Jesu. Quid enim prodest, cognoscere, te mitem esse et humilem Corde, si ipse non sim corde mitis et humilis? Quid juvat aliis ostendisse viam facilem ac certam salutis et sanctitatis, si ipse reprobus fiam?

5. Precor igitur, o amantissime et amabilissime Jesu, et per cor immaculatum Virginis Matris tuæ, et per ipsum Cor tuum, obsecro, corona dona tua, mihi tam gratuito, tam suaviter præstita. Concede mihi hanc electam gratiam, ut tibi amoris vinculo unitus, numquam a te separer: da mihi donum hoc perfectum, ut amem te perseveranter; amem te ea fidelitate, qua te amant sancti Confessores; ea puritate, qua te amant sanctæ Virgines; eo fervore, quo te amant Martyres; eo zelo, quo te amant Apostoli; eo denique amore, quo te amant Angeli; ut omnem amorem amori Cordis tui rependam, ut omni amoris modo compensem injurias Cordi tuo umquam illatas, ut sensa Cordis tui perfecte indutus, vivam ex solo amore tui, donec admittar in amoris tui regnum æternum. Amen.

INDEX.

	Pag.
Testimonia eorum, qui de hoc opere ex officio judicarunt	III
Prologus	1
Directorium in librum primum	5

LIBER PRIMUS.

Admonitiones ad cor nostrum purificandum utiles.

Cap.		Pag.
I.	Fundamentum	19
II.	Quod nulla res mundi cor nostrum vere quietum, vere contentum reddere possit.	24
III.	Quod cor nostrum in Corde Jesu veram requiem, genuinam felicitatem. inveniat .	26
IV.	Quod ad salutem necessarium sit, Cor Jesu imitari	28
V.	Quod omnis perfectio nostra in Corde Jesu imitando consistat	30
VI.	Quod quicumque vult Cor Jesu imitari, suum cor purificare debeat . . .	33
VII.	Quod cor nostrum præsertim a peccato gravi. summo malo, debeat esse mundum	36
VIII.	Quod etiam a minimo peccato cor nostrum purum esse debeat	39
IX.	Quod cor peccatoris nihil nisi amaritudinem infelicitatis gustare possit . .	43
X.	Quod Cor Jesu omnes, etiam peccatores, advocet	46
XI.	Quomodo purificatio cordis suscipienda sit	50

Cap. Pag.
XII. Quod sanctum Pœnitentiæ Sacramentum facile sit et efficax medium, ad se a peccatis et vitiis purgandum . . . 54
XIII. Quod Deo confidere de peccatorum remissione debeamus, postquam quod moraliter in nobis erat, sincere fecimus . . 61
XIV. Quomodo a relapsu cavendum sit . . 65
XV. Quomodo vitiorum defectuumque radices extirpandæ sint 68
XVI. Quod volenti Cor Jesu sequi, cor suum a mundo quoque abstrahendum sit . . 75
XVII. Quam fallax sit mundus 78
XVIII. Quod servire mundo sit dura servitudo . 81
XIX. Quod jugum Jesu vere suave sit . . 84
XX. Quod totum cor nostrum, nihilo nobis reservato, Jesu donare debeamus . . 87
XXI. De corde custodiendo 90
XVII. De brevitate hujus vitæ 94
XXIII. De morte 98
XXIV. De judicio 102
XXV. De inferno 105
XXVI. De cœlo 109

Directorium in librum secundum . . . 113

LIBER SECUNDUS.

Admonitiones ad imitandum Sacrosanctum Cor Jesu agentis utiles.

I. Quanti æstimanda sit, quantumque fovenda gratia sanctificans 122
II. Quid Filium Dei ad Incarnationem moverit 127
III. Quod cor nostrum, ad exemplum Sacrosancti Cordis Jesu incarnati, totum Deo devotum esse debeat 132
IV. Quod a Sacrosancto Corde Jesu nati, debeamus discere et imbibere Spiritum ejus 136
V. Quod a Sacrosancto Corde Jesu infantis humilitatem discere debeamus . . . 139

Cap. Pag.
VI. Quod Sacrosanctum Cor Jesu, nati in stabulo, nos sanctam paupertatem doceat . 147
VII. Quod Sacrosanctum Cor Jesu, in solitudine inter Angelos commorantis, nos sanctam doceat castitatem 152
VIII. Quod Sacrosanctum Cor Jesu nos e præsepio doceat sanctam obedientiam . . 158
IX. Quod Sacrosanctum Cor Jesu circumcisi, nos cordis mortificationem doceat . . 161
X. Quod, ad exemplum Sacrosancti Cordis Jesu, a Magis adorati, omnem respectum humanum superare debeamus . . . 170
XI. Quod a Sacrosancto Corde Jesu, in Templo præsentati, rectam in omnibus rebus intentionem discere nos oporteat . . . 175
XII. De libertate cordis, quam Sacrosanctum Cor Jesu, in Aegyptum fugientis, nos docet 181
XIII. Quod Sacrosanctum Cor Jesu, in Templum ascendentis, doceat nos orare . . 186
XIV. De amore solitudinis, secundum exemplum Sacrosancti Cordis Jesu Nazarethi degentis 193
XV. De divina præsentia, in qua, Sacrosancti Cordis Jesu baptizati exemplo, vivere docemur 199
XVI. Quod Sacrosanctum Cor Jesu, in deserto tentati, doceat nos cordis pacem semper conservare 205
XVII. Quod Sacrosanctum Cor Jesu, incipientis vitam publicam, doceat nos zelum animarum 212
XVIII. Quod Sacrosanctum Cor Jesu, nuptiis in Cana præsentis, nos spiritualem lætitiam doceat 219
XIX. Quod Sacrosanctum Cor Jesu, cum hominibus conversantis, doceat nos proximi supportare defectus 221
XX. Quod Sacrosanctum Cor Jesu, summa simplicitate agentis cum omnibus, nos sanctam erga proximum simplicitatem doceat . 228
XXI. Quod Sacrosanctum Cor Jesu, humilis charitatis suavitatem hominibus exhibentis, exemplar dederit nobis imitandum . . 235

Cap. Pag.
XXII. Quod Sacrosanctum Cor Jesu, viventis in mundo, doceat nos modum ita in mundo versandi, ut nec de mundo simus, neque a mundo lædamur 241
XXIII. Quod Sacrosanctum Cor Jesu, fidem a discipulus suis exigentis, nos vitam fidei vivere doceat 245
XXIV. Quod Sacrosanctum Cor Jesu, promittentis salutem perseverantibus, et media salutis fiducialiter orantibus, doceat nos vivere vitam spei 252
XXV. Quod Sacrosanctum Cor Jesu, dilectionem omnibus præcipientis, nos vitam divini amoris vivere doceat 257
XXVI. Quod Sacrosanctum Cor Jesu, nos semper progressui in virtutibus faciendo incumbere doceat 264

Directorium in librum tertium 271

LIBER TERTIUS.

Admonitiones ad Sacrosanctum Cor Jesu patientis imitandum utiles.

I. Quanti facienda sit sanctitas, quantumque affectanda 280
II. Quod in hac vita nemo vivere possit, quin patiatur 287
III. Quomodo Sacrosanctum Cor Jesu erga patienda fuerit affectum 291
IV. Quanta in bene patiendo sint bona . . 297
V. Quomodo nosipsos, exemplo Sacrosancti Cordis Jesu, in afflictionibus divinæ voluntati conformare debeamus 302
VI. Quod Sacrosanctum Cor Jesu nos in afflictionibus ad orationem recurrere doceat . 307
VII. Quomodo Sacrosanctum Cor Jesu nos in tribulationibus opem creaturarum adhibere doceat 313

Cap. Pag.
VIII. Quomodo, ad exemplum Sacrosancti Cordis Jesu, oppositiones insectationesque hominum pati debeamus 317
IX. Quomodo ferenda sit, ad Sacrosancti Cordis Jesu exemplum, personarum vel maxime utilium aut etiam necessariarum desertio . 323
X. Quomodo Sacrosanctum Cor Jesu captivi imitari possimus 328
XI. Quomodo, ad exemplum Sacrosancti Cordis Jesu, falsas accusationes ferre oporteat . 333
XII. Quod Sacrosanctum Cor Jesu nos doceat, quomodo injurias personales pati debeamus 339
XIII. Quomodo Sacrosanctum Cor Jesu eo usque imitari nos oporteat, ut stulti haberi cum ipso et propter ipsum sincero corde velimus 345
XIV. Quomodo, ad exemplum Sacrosancti Cordis Jesu, oporteat nos velle omnibus postponi 350
XV. Quomodo nos Sacrosanctum Cor Jesu flagellati, imitari per voluntarias mortificationes oporteat 355
XVI. Quomodo, ex Sacrosancti Cordis Jesu exemplo, discere corporales sufferre ægritudines ac dolores debeamus 360
XVII. Quomodo, ad exemplum Sacrosancti Cordis Jesu, mortem accipere debeamus . . 366
XVIII. Qua cordis dispositione, ad exemplum Sacrosancti Cordis Jesu, erga crucem affici debeamus 373
XIX. Quod Jesus crucifixus, orando pro tortoribus suis, immensam Cordis sui bonitatem erga peccatores demonstret atque peccatores graviter peccando ipsum denuo crucifigant 379
XX. Quod Jesus ex Corde condonans latroni eique paradisum promittens, nos doceat, quomodo anxietas de salute æterna sit patienda 384
XXI. Quantam Cordis teneritudinem nobis ostenderit Jesus, cum Matrem suam nobis in Matrem dedit 389

Cap. Pag.
XXII. Quod Jesus in cruce derelictus, doceat, quomodo nos gerere debeamus, cum tentationibus expositi linquimur . . . 396
XXIII. Quod Jesus, in derelictione sua sitiens et non allevatus, ostendit, quomodo in desolatione nos gerere debeamus . . 405
XXIV. Quod Jesus omnia consummans in cruce, doceat nos etiam debere in cruce omnia consummare 412
XXV. Quod Jesus commendans Spiritum suum in manus Patris, doceat, quomodo nos ei penitus dedere debeamus . . . 416
XXVI. Cor apertum Jesu amore nostri mortui, refugium est et solatium omnium . . 419

Directorium in librum quartum 424

LIBER QUARTUS.

Admonitiones ad se Cordi Jesu beati uniendum utiles.

I. Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum inventio est amoris Sacratissimi Cordis Jesu 432
II. De mirabili institutione Sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti 437
III. Quam vivida fide Ecclesia devotionem suam erga Sanctissimum Sacramentum, omni tempore et loco, demonstravit . . 443
IV. Quod Sacrosanctum Cor Jesu in amoris sui Sacramento sit perfecte beatum . 450
V. Sacrosanctum Cor Jesu est Cor Ecclesiæ suæ sanctæ 455
VI. Sacrosanctum Cor Jesu militantem in terris Ecclesiam unit Ecclesiæ triumphanti in cœlis 462
VII. Sacrosanctum Cor Jesu Ecclesiam, quæ mundatur in purgatorio, militanti Ecclesiæ et triumphanti adunat 468

Cap. Pag.
VIII. De ineffabilibus Sacrosancti Cordis Jesu in Sacramento occupationibus erga Patrem suum 472
IX. Sacrosanctum Cor Jesu in Sanctissima Eucharistia Patrem suum infinite honorat . 477
X. Sacrosanctum Cor Jesu immolationibus suis in Sanctissima Eucharistia, divinam placat justitiam, et gratias immensas nobis procurat 482
XI. Sacrosanctum Cor Jesu in amoris sui Sacramento maxima consolatio nostra in terris 487
XII. Sacrosanctum Cor Jesu in vita Sacramentali, ut in mortali quondam, erudiens homines non cessat docere, ipsum mitem esse et humilem 493
XIII. Sacrosanctum Cor Jesu voluit sanctissimam Eucharistiam esse perpetuum Passionis suæ commemorationem, amorisque sui in illa exhibiti memoriale sempiternum . . 497
XIV. Sacrosanctum Cor Jesu in mirabili Sacramento summam divinorum omnium mysteriorum exhibet 503
XV. Sacrosanctum Cor Jesu in Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento nos ad divinas Perfectiones introducit 510
XVI. Quantam reverentiam et internam et externam erga Sanctissimum Sacramentum haberi velit Cor Jesu 519
XVII. Quod nobis conandum sit omni modo compensare injurias, quibus Sacrosanctum Cor Jesu in amoris sui Sacramento afficitur . 525
XVIII. Quod debeamus probare nosipsos, priusquam ad Sanctum Eucharistiæ Sacramentum accedamus 532
XIX. Quomodo nos ad sanctam Communionem præparare debeamus 538
XX. Quomodo nosipsos gerere debeamus, postquam Sanctum Sacramentum suscepimus . 545
XXI. Sacrosanctum Cor Jesu in almo Eucharistiæ Sacramento dat nobis antidotum, quo liberemur a culpis venialibus, et a mortalibus peccatis præservemur . . . 553

Cap. Pag.

XXII. Sacrosanctum Cor Jesu sancta Communione nos sibi unit, facitque nos vivere propter ipsum et per ipsum 559

XXIII. Sacrosanctum Cor Jesu per sanctam Communionem consummat unionem nobiscum, et nos in ipsum transformat . . . 563

XXIV. Sacrosanctum Cor Jesu per sanctam Communionem nobis donum perseverantiæ largitur 568

XXV. Sacrosanctum Cor Jesu per sanctam Communionem nobis dat pignus futuræ gloriæ 573

XXVI. Sacrosanctum Cor Jesu nobis omnia . 578

Epilogus 587

Bei Gebr. Carl und Nicolaus Benziger *in Einsiedeln, New-York und Cincinnati* sind ferner (nebst vielen andern Andachtsbüchern und Schriften) erschienen:

Breviarium sodalis Mariani et hominis christiani. Velinp. 18. 1842. (552 S.) 15 Ngr. 48 kr. Fr. 1. 70 c.

Pastor fidelis animarum fidelium in sacris suis functionibus, seu modus orandi etc. Mit 5 Bildern. 12. 1853. (246 Seiten.) 11 Ngr. 36 kr. Fr. 1. 25 c.

Stimulus pastorum. Ex sententiis Patrum concinnatus, in quo agitur de vita et moribus Episcoporum, aliorumque Prælatorum, per reverendissimum D. D. *Barthotomæum* a martyribus, Archiepiscopum Bracharea exet Hispaniæ Primatem. Hunc denuo editus ab *Josepho Fessler*. ss. Theologiæ Doctore et Episcopo Nysseno i. p., juxta exemplar anno 1572 Romæ impressum. 12. 1853. (298 S.) 25 Ngr. fl. 1. 24 kr. Fr. 3.

Vade mecum. Sive libellus precum ad usum præcipue juventutis studiosæ accomodatus. Collegit et edidit P. *Conradus Effinger*. Approb. 2te Aufl. 4 Bilder. 18. 1856. (640 S.) 13 Ngr. 42 kr. Fr. 1. 50 c.

Brandes, *Dom Charles*, Bénédictin d'Einsideln. **Vie de S. Meinrad et Histoire du Pèlerinage d'Einsideln.** LaSainte-Chapelle, ses miracles et ses pèlerins depuis mille ans. Mit vielen feinen Bildern und Holzschnitten. 12. 1861. (140 Seiten.) cart. 14 Ngr 45 kr. Fr. 1. 60 c.

Grain, le, de Sénévé. Recueil de prières 9te Aufl. 5 Bilder. 32. 1862. (480 S.) 6½ Ngr. 21 kr. 75 c.

Pèlerin, le, de N.-D. des Ermites, ou instruction sur le pèlerinage, suivie d'un recueil de prières. 4te Aufl. 5 Bild. 12. 1858. (492 S.) 10 Ngr. 33 kr. Fr 1. 15 c.

Précis de l'Histoire de l'Abbaye et du Pèlerinage de Notre-Dame-des-Ermites. Mit 9 Ansichten. 16. 1861. (80 Seiten.) 6½ Ngr. 21 kr. 75 c.

Souvenirs d'Einsideln. Récits sur le Pèlerinage de Notre-Dame-des-Ermites. Publié par le R. P. *Dom Charles Brandes*. Mit 3 Bildern. 16. 1862. (96 S.) 3½ Ngr. 12 kr. 40 c.

Delizie del Cristiano. Orazioni per persone secolari ben educate. Mit 3 Bildern und vielen Vignetten. 18. 1852. (240 Seiten.) 5½ Ngr. 18 kr. 65 c.

Giriet, Giachen Fr. Cuortas **Devoziuns** principalmeing per Affons rimnadas ensemen é componidas. 3te Aufl. 32. 1858. (128 S.) 3½ Ngr. 12 kr. 40 c.

Annalen der Verbreitung des Glaubens. Eine periodische Sammlung von Briefen der Bischöfe und Missionäre aus verschiedenen Missionen. Aus dem Französischen. 8. 172 Hefte, Comm. Das Heft n. 6½ Ngr. 21 kr. 75 c.

Betrachtungen über das Leben und die Geheimnisse Jesu Christi, nach der Anweisung des heil. Ignatius. Aus dem Franzosischen, von *P. Claudius Perrot.* 3te Ausgabe in 2 Bänden. Mit 7 Bildern. Gross 8. 1856. (1680 Seiten.) 2 Thlr. 16 Ngr. fl. 4. 12 kr. Fr. 8. 80 c.

Brandes, P. Carl. **Benediktiner-Bibliothek.** 18.

I. Bändchen: *Leben des hl. Benedikt.* Mit Stahlstich. 18. 1858. (476 S.) 18 Ngr. fl. 1. Fr. 2. 10 c.

II. Bändchen: *Regel des hl. Benedikt.* br. 18. 1857. (184 Seiten.) 7 Ngr. 24 kr. 85 c.

Regula sancti Patris Benedicti. 2te Auflage. 18. 1863. (156 S.) 7 Ngr. 24 kr. 85 c.

III. Bändchen: *Erklärung der Regel.* 2te Auflage. 18. 1863. (690 S.) 24 Ngr. fl. 1. 18 kr. Fr. 2. 75 c.

— **Der heil. Meinrad und die Wallfahrt von Maria-Einsiedeln.** Die hl. Gnadenkapelle, ihre Wunder und ihre Pilger seit einem Jahrtausend. Mit Bildern aus dem Leben des Heiligen in 7 feinen Holzschnitten und 9 Stahlstichen in Ueberdruck. 12. 1861. (164 Seiten.) 14 Ngr. 45 kr. Fr. 1. 60 c.

— **Der Papst** als Fürst des Kirchenstaates. gr. 8. 1849. (62 Seiten.) broschirt 5½ Ngr. 18 kr. 65 c.

Burgener, P. Laurenz. **Helvetia sancta,** oder **Leben und Wirken** der heiligen, seligen und frommen Personen des Schweizerlandes. Aus bewährten Quellen. Mit Approbation. Mit 3 Bildern. 3 Bände. Gr. 8. 1860. (1422 Seiten.) 4 Thlr. fl. 6. 45 kr. Fr. 14 20 c.

Effinger, P. Conrad. **Bussbilder** oder Anleitung zu einer aufrichtigen Bekehrung und einem gottse-

ligen Leben. Ein Betrachtungs- und Gebetbuch. Mit vielen bildlichen Darstellungen aus dem Leben heiliger Büsser und Büsserinnen etc. Auch als Vorbereitung für die heilige Communion. Mit Approb. 12. 1861. (406 S.) 16 Ngr 54 kr. Fr. 1. 90 c.

— **Die Nachfolge Mariä** oder die sel. Jungfrau und Gottesmutter Maria, als Vorbild aller Tugenden, in Betrachtungen dargestellt für ihre frommen Verehrer. Nebst Gebetbuch. Approb. 2te Aufl. 4 Stahlstiche. 12. 1862. (492 S.) 16 Ngr. 54 kr. Fr. 1. 90 c.

Einsiedler-Kalender für **1863. 23. Jahrgang.** Mit 2 lithographirten Bildern u. vielen Vignetten. 4. (48 Seiten.) br. 3½ Ngr. 12 kr. 40 c.

Feier, die, des tausendjährigen Bestehens von Maria-Einsiedeln im Festjahre 1861. Denkschrift über die Festlichkeiten des Millenariums. Mit den Festpredigten der Hochw. Bischöfe von Basel und Strassburg, des Hochw. Abts Dr. Haneberg und der Hochw. P. Gall Morel, P. Karl Brandes, P. Georg Ulber und P. Jos. Maria Beifle. gr. 8. 1862. (212 S.) br. n. 25 Ngr. fl. 1. 24 kr. 3 Fr.

Florentini, P. Theodosius. **Kommet, lasset uns anbeten!** Andachtsbuch für die tägliche, monatliche und ewige Anbetung des hhl. Altarssakramentes. Mit allgem. Andachten. Mit Approb. 6 Bilder. 8. 1858. (620 S.) 18 Ngr. fl. 1. Fr. 2. 10 c.

Gethsemane und Golgatha. Ein Betrachtungs- und Gebetbuch zur Verehrung des bittern Leidens und Sterbens Jesu Christi. Nach Betrachtungen der gottsel. Anna Katharina Emmerich und den Schriften der vorzügl. Verehrer der hl. Passion. Von dem Verfasser von „Nazareth u. Bethlehem." 12. Aufl. 5 Bilder. 8. 1863. (542 Seiten.) 18 Ngr. 1 fl. Fr. 2. 10 c.

Goffine, R. P. Præm. **Unterrichts- und Erbauungsbuch**, enthaltend eine kurze Auslegung aller sonn- und festtäglichen Episteln und Evangelien etc. Bearbeitet von *P. Theodosius Florentini*. Mit Approbationen. 19te Auflage. Mit 2 Bildern. 8. 1862. (816 Seiten.) 18 Ngr. 1 fl. Fr. 2. 10 c.

— Dasselbe, mit *noch* **24** *Bildern*, wovon 12 die heiligen Zeiten des kathol. Kirchenjahres und 12 die Heiligenfeste vorstellen. 24 Ngr. fl. 1. 18 kr. Fr. 2. 70 c.

— Dasselbe, mit einer *kurzen Beschreibung des heiligen Landes* und seiner heiligen Orte etc. Mit

12 lithogr. Ansichten und 1 Karte des gelobten Landes. (888 S.) 23 Ngr. fl. 1. 15 kr. Fr. 2. 60 c.

— Dasselbe, mit diesem Anhang und den 24 Bildern. 28 Ngr. fl. 1. 33 kr. Fr. 3. 25 c.

Hausen, Wilhelm, aus der Gesellschaft Jesu. **Der wahre und sichere Weg** zur christlichen Vollkommenheit. Nebst Gebetbuch. 2te Aufl Mit 5 Bildern. 18. 1862. (384 S.) 7 Ngr. 24 kr. 85 c.

— **Die Perle der Hausmission**. Anleitung, die Früchte der hl. Mission zu bewahren. Mit Gebetbuch. Approbation. 2te Auflage. Mit 5 Bildern 8. 1857. (468 S.) 10 Ngr. 33 kr. Fr. 1. 15 c.

Hecht, P. Laurenz. **Der Katholik** in der Andacht zum kostbaren Blute Jesu Christi. Gebetbuch, zunächst für die Mitglieder dieser Erzbruderschaft. 8te Aufl. 2 Bild. 12. 1855. (288 S.) 6½ Ngr. 21 kr. 75 c.

Kempen, Thomas v. **Vier Bücher von der Nachfolge Jesu Christi**. Mit Gebetbuch. *Miniatur-Ausgabe*, Nro. 1. Mit Approbation 2te Auflage. 6 Bilder. 32. 1861. (512 S.) 6½ Ngr. 21 kr. 75 c.

— *in mittlerem Druck*, Nro 2. 19te Aufl. Mit 7 Bildern. 18. 1863. (480 S.) 6½ Ngr. 21 kr. 75 c.

— *in grösserem Druck*, Nro. 3. Mit 6 Bildern. 12. 1859. (360 Seiten.) 9½ Ngr. 30 kr Fr. 1. 5 c.

— **Perlen der Weisheit**. Der „Nachfolge Christi" 2ter Theil. Von der wahren Weisheit. Mit Gebetbuch. 3te Aufl. 3 Bild. 18. 1858. (450 S.) 8 Ngr. 27 kr. 95 c.

Kirchenjahr, das geheiligte Vollständiges Gebet- und Erbauungsbuch für das ganze Kirchenjahr. Bearbeitet von H. W. und von J. H. Suter, Priester. Mit Approbation. 4 Bändchen. 12 1859.

I. Bändchen: *Advents- u. Weihnachtsandachten etc.* 4 Stahlstiche. (284 S.) 10 Ngr. 33 kr. Fr. 1. 45 c.

II. Bändchen: *Fasten-Andachten etc.* Mit 4 Stahlstichen (332 S.) 10 Ngr. 33 kr. Fr. 1. 15 c.

III. Bändchen: *Andachten für die Oster-, Pfingst- und Fronleichnamszeit etc.* Mit 4 Stahlstichen. (432 Seiten.) 13 Ngr. 42 kr. Fr. 1. 50 c.

IV. Bändchen: Vorzüglich für die Zeit *vom heiligen Fronleichnamsfest bis zur heil. Adventzeit.* Mit 4 Stahlstichen. (436 S.) 13 Ngr. 42 kr. Fr. 1. 50 c.

Morel, P. Gall. **Gedichte** *I. Sammlung*. Mit Porträit in Stahlstich. 16. 1852. (304 Seiten.) Lr. 24 Ngr. fl. 1. 18 kr. Fr. 2. 75 c.

Morel, P. Call. *II. Sammlung.* Mit Stahlstich. 16. 1859. (322 S.) br. 24 Ngr. fl. 1. 18 kr. Fr. 2. 75 c.

— Das **Porträt** in Stahlstich. 4. n 1 Fr.

— **Spruchverse** zur Erbauung u. Unterhaltung. Stahlstich. 16. 1859. (220 S.) br. 9½ Ngr. 30 kr. Fr. 1. 5 c.

Nakatenus, Wilhelm, aus der Gesellschaft Jesu. **Himmlisches Palmgärtlein**. Vollständiges Gebetbuch. Elegante Ausgabe mit neuen Vignetten und zierlicher Einfassung. Mit 2 Stahlstichen. 24. 1862. (480 Seiten.) 8 Ngr. 27 kr. 95 c.

— Dasselbe, *f. Velinpapier.* 9½ Ngr. 30 kr. Fr. 1. 5 c.

Perrot. P. Claudius. **Geistliches Morgenbrod** für christliche Seelen im Welt- und Klosterstande. 2 Bände. Mit Approbation. 5 Stahlstiche. 8. 1862. (800 S.) Thlr. 1. 9 Ngr. fl. 2. 9 kr. Fr. 4. 50 c.

Prugger, M. Lehr-, Exempel- und Gebetbuch für Kranke und Sterbende. Herausg. von J. A. Eberle, Pfarrer. In 2 Theilen. Mit Approb. 8 Bilder. gr. 8. 1854. (712 S.) 18 Ngr. fl. 1. Fr. 2. 10 c.

Sales, des hl. Franz von, **Philothea**, oder Anleitung zu einem frommen Leben. Mit Gebetbuch aus den Schriften desselben Heiligen. 7te Aufl. Mit 6 Bildern. 18. 1863. (576 S.) 9½ Ngr. 30 kr. Fr. 1. 5 c.

Schematismus der Welt- und Ordensgeistlichkeit und der Frauen-Congregationen der katholischen Schweiz. Mit alphabetischem Namenregister. 8 (212 S.) br. n. 8½ Ngr. 28 kr. Fr. 1.

Sigrist, Jos. **Hausbüchlein** für den gemeinschaftlichen häuslichen Gottesdienst. Mit Approb. 2 Bilder. 12. 1862. (192 Seiten.) 4½ Ngr. 15 kr. 55 c.

Silbert, J. P. Die im Umgang mit Gott erleuchtete Seele. Denkbuch für kathol. Christen. Elegante Ausg. mit Randverzierung. Stahlstichen u. Farbentitel. Gr. 8. 1844. (464 S.) Thlr. 1 6 Ngr. 2 fl. Fr. 4. 20 c.

Tosti, P. Aloys. Benediktiner in Monte Cassino. **Marienpsalmen** oder der heilige Maimond. Aus dem Italienischen, von *P. Gall Morel.* Feine Ausgabe. Mit 2 Stahlstichen. 12. 1856. (352 Seiten.) 15 Ngr. 48 kr. Fr. 1. 70 c.

— **Psalmen**. Aus dem Italienischen übersetzt von *P. Gall Morel.* Mit Gebeten. Feine Ausg. Mit 2 Stahlstichen. 12. 1854. (396 S.) 16 Ngr. 54 kr. Fr. 1. 90 c.

Waldblumen aus dem finstern Walde Legenden, Hymnen, Epigramme. Beschreibungen, Gedichte etc.

aus alter und neuer Zeit auf den hl. Meinrad und das Heiligthum in **Einsiedeln**. Herausgegeben v. *P. Gall Morel*. Elegante Ausgabe mit 4 Stahlstichen. 12. 1861. (208 S.) br. 15½ Ngr. 51 kr. Fr. 1. 80 c.

Waser, P. C., aus der Gesellschaft Jesu. **Lebensvorbilder** für christliche Jünglinge, besonders für studirende. In 2 Bändchen. Mit Approbation. 4 Bildern. 12. 1851. (440 Seiten.) 7 Ngr. 24 kr. 85 c.

— Der getreue **Wegweiser** für christl. Jünglinge. Approb. 12. 1852. (534 S.) 8 Ngr. 27 kr. 95 c.

Willam, P. Friedrich. **Unser Mit-Leiden mit der schmerzhaften Mutter Christi.** Betrachtungen über die sieben Schmerzen Mariä, nebst besonderen und allgemeinen Andachten. Aus dem Italienischen. Mit Approbation. 5 Bildern. 8. 1859. (548 Seiten.) 16 Ngr. 54 kr. Fr. 1. 90 c.

— **Vater, dein Wille geschehe!** Handbüchlein für Priester bei Kranken und Sterbenden, und ein Hülfsbüchlein für den Kranken selbst. Approb. 6 Bild. 12. 1856. (354 S.) 10 Ngr. 33 kr. Fr. 1. 15 c.

Benz, J. B. **Graduale und Offertorien** für Weihnachten, St. Peter u. Paul u. das Kirchweihfest, deutsch und lateinisch. 6 Motetten für Sopran, Alt, Tenor und Bass, mit theils obligirter, theils willkürl. Orgelbegleitung. Folio. 1862. (40 S.) In eleg. Umschlag.
Partitur und Stimmen 1 Thlr. fl. 1. 42 kr. 3 Fr. 45 c.
Stimmen, einzelne 3 Ngr. 10 kr. 35 c.

— **Sechs deutsche religiöse Gesänge**, theils für 3, theils für 4 Stimmen: Weihnachtslied, Aloysiuslied, Bonifaziuslied, Bruderschaftslied, Grablied, Osterlied. Quer 4. 1862. (40 S.) 14 Ngr. 45 kr. Fr. 1. 60 c.

Greith, Carl. **Choral-Messe, I.**, harmonisirt und für gemischten Chor mit Begleitung der Orgel für Stadt- und Landchöre bearbeitet. Eleg. Ausg. Folio. 1859. (24 S.) Partitur u. Stimmen 18 Ngr. 1 fl. 2 Fr.
Stimmen, einzelne 3 Ngr. 10 kr. 35 c.

— **Zweite Choral-Messe.** In Folio. 1861. (24 S.)
Partitur und Stimmen 18 Ngr. 1 fl. 2 Fr.
Stimmen, einzelne 3 Ngr. 10 kr. 35 c.

Lütgen, Paulus. **Tenebræ factæ sunt.** Antiphona quatuor vocum pro feria Sexta in Parasceve. gr. 4. 1846. (14 S.) Eleg. br. 16 Ngr. 54 kr. Fr. 1. 90 c.

Merk, Anton. **O salutaris hostia!** Leichter vier-

stimmiger Gesang vor dem Hochwürdigsten für Sopran, Alt, Tenor und Bass. Deutsch und lateinisch. Quer 4. 1862. (12 S.) br. 4 Ngr. 14 kr. 50 c.

Schubiger, P. Anselm **Gesang- und Gebetbuch** für das Volk, enthaltend drei- und vierstimmige Lieder für den öffentlichen Gottesdienst, mit allgemeinen Andachtsübungen. *Mit neuen Notentypen.* 3te Auflage. Mit 3 Stahlstichen. 8. 1861. (376 S.) 27 Ngr. fl. 1. 30 kr. Fr. 3. 15 c.

— **Laudate Dominum! Lobet den Herrn!** 21 Hymen auf die hl. Zeiten und Feste, lateinisch und deutsch. Für 4 Singstimmen ohne Begleitung. Quer 4. 1852. (40 S.) br. 13 Ngr. 42 kr. Fr. 1. 50 c.

— **Lob Gottes**, das, im Munde der Unschuld. Fünfzig zwei-, drei- und vierstimmige Lieder für die Jugend, mit und ohne Orgelbegleitung. Jedes Lied mit 1 Bilde. 2te Auflage 12. 1856. (200 Seiten.) 1 Thlr. 4 Ngr. fl. 1. 54 kr. Fr. 4.

— **Marienrosen.** 30 mehrstimmige Lieder ohne Begleitung, zur Verehrung der sel. Jungfrau, in Schule und Haus. Von G. Görres, Silbert, Passy, P. Gall Morel etc. 8te Aufl. *Mit neuen Notentypen.* Quer 4. 1859. (60 S.) Eleg. br. 15 Ngr. 48 kr. Fr. 1. 70 c.

— **Die Sängerschule** St. Gallens vom 8ten bis 12ten Jahrhundert. Mit 96 Seiten Abhandlung, 35 Facsimile in Gold- und Farbendruck und 60 Seiten Beispielen in neuen Notentypen. Hoch 4. 1858. br. 2 Thlr. 24 Ngr. fl. 4. 45 kr. Fr. 10.

Stöcklin, P. Conrad. **Festblumen.** Mehrstimmige Lieder auf die Festtage, für Kirche und Schule. Revidirt und *mit neuen Notentypen.* Quer. 4. 1860. (102 S.) Eleg. br. 21½ Ngr. fl 1. 12 kr. Fr. 2. 50 c.

Zwyssig, P. Alberik. **Lied vom heiligsten Herzen Mariä**. Für 2 Sopran-Solo mit 4 Chorstimmen und Orgelbegleitung; oder für 2 Sopran, Alt oder Bass ohne Orgel; oder für 2 Sopran mit Orgel allein. 4 (18 S.) br. 7 Ngr. 24 kr. 85 c.

Gallerie religiöser Bilder in Stahlstichen. Nach Gemälden von *P. v. Deschwanden etc.* Mit Gedichten von *P. Gall Morel.* 17 eleg. Hefte mit Feingoldschnitt. Das Heft zu 6 Stahlst. 7 Ngr. 24 kr. 80 c.

Bei freier Auswahl, ohne Goldschnitt und ohne Gedichte, das Dutzend 12 Ngr. 39 kr. Fr. 1. 40 c.

Anstalt von Gebrüder Karl und Nikolaus Benziger

in Einsiedeln **in der Schweiz.**

Verlags- und Sortimentsbuchhandlung. Buchdruckerei mit Stereotypie. Buchbinderwerkstätte. Kupferdruckerei und galvanoplastische Anstalt. Lithographie mit Coloriranstalt. Kunst- und Devotionalienhandlung. Fabrikation von gekettelten Rosenkränzen.

(*Unsere Häuser in New-York und Cincinnati halten nebst unsern Fabrikaten auch alle Kirchenornamente etc.*)

4815

248.159.24
A65

Arnoldo, P.J.
AUTHOR

Imitatione Sacri Cordis
TITLE

GRADUATE THEOLOGICAL UNION LIBRARY
BERKELEY CA 94709